Q.e. 87. 3 N 115

DISSERTATIO DE CAUSIS MAJORIBUS AD CAPUT CONCORDATORUM DE CAUSIS.

Authore JOANNE GERBAIS *Doctore Parisiensi, Socio Sorbonico, Regio Eloquentiæ Professore.*

LUGDUNI,
Apud JACOBUM CANIER.

M. DC. LXXXV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

ILLUSTRISSIMIS

ECCLESIÆ GALLICANÆ ANTISTITIBUS.

QUOD opus imperio vestro adornatum est, ANTISTITES ILLUSTRISSIMI, quod, augustißimo referente Archipræsule, suffragiis vestris approbatum, quod prudenti cœtus vestri consilio ad tempus sepositum & reconditum; illud ecce tandem in lucem prodit, eodemque vestro favore publicum ornari ambit, quo, dum secretum erat, inglorium non fuit. Scilicet enim obscurum esse illud haudquaquam passi estis, dum latuit, GLORIOSISSIMI ANTISTITES; sed, quæ vestra benignitas fuit, ejus autem laus summa, in ipso illo tabulario repositum voluistis, ubi monumenta, quæ antiquißima sunt

vobis & pretiosissima, curiosè asservantur. Fruebatur ibi quidem umbrâ non ignobili, luciſque penè amulâ; neque majorem in diem exire optasset, nedum tentasset usquam, nisi sæpiùs invitatum advocatumque inde fuisset, cùm ab eruditis viris non paucis, libertatum Gallicanarum amantibus, tum verò maximè à pluribus ex ordine vestro Proceribus, quorum nonnulli etiam illud ardentiùs expetebant. Dolere se nempè testabantur viri benè cordati libertatum Gallicanarum partem illam insignem, quæ ad tuendam Episcoporum dignitatem attinet, allatrari palam, imò & arrodi à privatis nescio quibus, gnaviter quidem impudentibus, dum opus ad ipsius defensionem authoritate publicâ, eâque sacrâ, elaboratum immodicâ ferè modestiâ conticescere jubebatur. Dolebam sanè & ego cum illis, eóque dolebam vehementiùs, quòd fieri intereà posse intelligebam, ut aut inertiæ insimularer, quasi provinciæ mihi datæ reipsa defuissem; aut etiam ignaviæ, quasi cum thrasonibus illis confligere refugerem, qui Episcopalia jura temerè proscindebant. Quàm longè tamen ab utraque ista labe abhorrebam, & illi ex vobis diù jam intellexerant, PATRES SANTISSIMI, *qui in generalibus Gallicani Cleri comitiis aderant, ubi scripta à me disserta-*

tio relecta est, & illi quoque etiam nunc testari possunt, qui eo abhinc tempore generalem rerum vectrarum curationem habuere; quibuscum nempè etiam importuniùs forsan actum à me aliquando, ut abrumpendi mihi silentii veniam obtinerent. Opportunè verò tandem laboranti mihi occurrit vir in eis præcellentissimus, qui, etiamsi hîc innominatus, mille tamen mihi verendus est nominibus; Regiam scilicet viam indicavit ille mihi, quæ quanquam aperta omnibus, intentata mihi tamen adhuc erat. Contuli me igitur illo suadente ad Regem Christianissimum; sacram Majestatem oravi supplex quò potestas fieret mihi edendi libelli ad propugnandas Ecclesiæ Gallicanæ libertates in majorum causarum judiciis comparati: exorata illa haud ægrè potestatem fecit, diplomaque simul indulsit, quo tutus eccè tectusque libellus in lucem progreditur. Quanquam autem sub tanto nomine nihil ipsi à malevolis timendum superfit; nihil minùs tamen benevolentiam vestram ambitiosè requirit, PATRES SANCTISSIMI: *Cum enim ejusmodi fœtus nonnisi affirantibus vobis conceptus natusque sit; cum non nisi faventibus etiam vobis in umbrâ, ut ita dicam, educatus: neque is profectò sub solibus etiam clarioribus sat jucundè crescet, nisi benignitas ve-*

stra simul affulgeat. Quòd si autem favere pergatis, spes est certè, nec vana, fore ut & fructus dabit aliquando, eosque ut ordini vestro dulces quidem nec insalubres, ita & ordinis vestri hostibus ac æmulis acerbos & crudos. Enim verò asserere non dubitem, ILLUSTRISSIMI ANTISTITES, *hac una dissertatione quam offero vobis, etsi non ita longâ, & ea contineri argumenta, quæ ad primam saltem Cæsarum majorum cognitionem vindicandam vobis, satis sint, & fallacias retegi, quibus ab extraneis abnegatur. Ne tamen vim tantam industriæ meæ tribui à me quis crediderit: Hanc enim esse totam fateor non operis formæ, quæ mea est; sed rerum ipsarum, ipsorumque argumentorum, quæ certè mea non sunt: sunt enim petita hæc non è meo penu, non sic quidem locupleti; sed è limpidis sinceriſque traditionis sacræ fontibus, quos Catholicorum nemo respuat. Exempla similiter adduxi, non dubia illa quidem & obscura, quæ Lectorem ancipitem permittant; sed certa & illustria, quæ fidem etiam à nolentibus extorqueant. Licet verò Causas omnes majores ferè delibavi, quæ in Ecclesia universa celebriores extitêre; eas tamen majori curâ relegi & collegi, quæ in Galliis nostris, à Decessoribus quidem vestris agitatæ sunt. Erit ergo munus*

quod offero, PATRES SANCTISSIMI, *veluti speculum illustre in quo relucebunt imprimis heroïca Decessorum vestrorum facta. Agnoscetis in eo quidem summam eorum in arcendis ab ovili Christi lupis vigilantiam, quoties de tuenda fide actum est: Agnoscetis incredibilem prudentiam, quoties de sancienda disciplina: Agnoscetis inviolatam æquitatem, quoties de dicendo jure: Agnoscetis verò inter hæc summam semper in tuendis Episcopatûs juribus constantiam, summamque simul in Episcoporum principem sedemque Apostolicam cùm reverentiam tum pietatem. Ast & in eo speculo dotes quoque vestras posteri intuebuntur*, GLORIOSISSIMI ANTISTITES, *Decessorum quidem vestrorum insignibus nequaquam dissimiles: Legent enim, nec sine admiratione legent, quâ providentiâ exorientibus in Gallia novitatibus, ut difficilia erant tempora, occurristis: Legent quanta animi fortitudine antiquam, nusquam verò antiquatam apud Gallos, Episcopalium judiciorum normam propugnastis: Legent quâ observantiâ transmissa Apostolica Sedis edicta non semel suscepistis. Quid si verò & scribendi locus hîc fuisset quàm concordibus animis (Provincialibus licet conciliis intermissis) antiquæ disciplinæ adhæretis singuli? Quid si*

docendi, quàm unanimi nisu in Diœcesibus quique vestris Calvinianas reliquias excutitis, Hierarchiæ hostes insequimini, morum infectores profligatis? Sed nec istæc miracula ignorabit posteritas, ILLUSTRISSIMI ANTISTITES, *Ut enim eorum non extet in Commentariis vestris memoria sempiterna; scriptis certè monumentisque publicis, ad Ecclesiæ Gallicanæ gloriam, nusquam non celebrabitur: Imò Ecclesia Gallicana istæc tamdiu prædicabit & ipsa, quamdiu tot monstris totque pestibus beneficio se vestro liberatam gloriabitur. Ego verò demirabor illa, quamdiu vivam,* GLORIOSISSIMI ANTISTITES; *eroque tamdiu, cum vobis, tum ordini vestro sanctissimo, devotus planè & addictus.*

Lutetiæ Parisiorum pridiæ Kal. Novembs. JOAN. GERBAIS.

Extrait

Extrait du Procez verbal de l'Assemblée generale du Clergé de France du 17. Novembre 1670. page 567.

MONSEIGNEUR le Président a dit, Que le sieur Gerbais Docteur de Sorbonne avoit travaillé par ordre de l'Assemblée derniere à un ouvrage sur les Causes majeures, qui étoit fort beau & fort sçavant, dont il a raporté le precis & la substance, & qu'il seroit à souhaiter que tous les gratifiez du Clergé employassent leur temps & leur travail aussi utilement pour l'Eglise. Que cet ouvrage étoit digne d'estime & de loüange, & qu'il ne jugeoit pas à propos qu'il fust imprimé presentement, estimant qu'il devoit être mis dans les Archives. Sur quoy la Compagnie a loüé le travail dudit sieur Gerbais, & l'a exhorté de continuer à s'employer aussi utilement à l'avenir, & a ordonné que son ouvrage seroit mis dans les Archives du Clergé.

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE; A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlemens de Paris, Tholose, Bourdeaux, Dijon, Rouen, Aix, Rennes, Grenoble, & Mets, Maîtres des Requestes ordinaires de nôtre Hôtel, Baillifs, Senéchaux, Prevosts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra: SALUT. Nôtre cher & bien amé JEAN GERBAIS Docteur de la Maison & Societé de Sorbonne, & nôtre Professeur en Eloquence au College Royal de France, Nous a fait remontrer qu'il a composé un Livre Latin qui porte pour titre *Dissertatio de Causis Majoribus*, avec une Preface, lequel Livre il desireroit donner au public, s'il avoit nos Lettres de Permission sur ce necessaires, lesquelles il Nous a tres-humblement supplié de luy accorder. A CES CAUSES, Nous avons permis & permettons par ces Presentes à l'Exposant de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nôtre obeïssance ledit Livre en un ou plusieurs volumes, en telles marges, en tels caracteres, & autant de fois qu'il voudra durant l'espace de dix années, à compter du jour qu'il sera achevé d'imprimer pour la premiere fois en vertu des Presentes; Et faisons defenses expresses à tous Im-

primeurs, Libraires, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient de l'imprimer, faire imprimer vendre ny debiter en aucun lieu de nôtre obeïssance, sous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, fausses marques, ou autrement en quelque sorte & maniere que ce soit, ny d'en faire des extraits ou abregez; & à tous Marchands étrangers, Libraires, ou autres d'en apporter ny distribuer en ce Royaume d'autre Impression que de celles qui auront esté faites du consentement de l'Exposant ou de ceux qui auront droit de luy en vertu des Presentes, le tout à peine de trois mille livres d'amande payable sans deport par chacun des contrevenans, & applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, de confiscation des Exemplaires qui seront trouvez contrefaits en France ou ailleurs, des presses & caracteres qui auront servi à contrefaire ledit Livre, & de tous dépens, dommages & interests; à condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Livre en nôtre Bibliotheque publique, un en celle de nôtre Château du Louvre appellé le Cabinet de nos Livres, & un en celle de nôtre tres-cher & feal le Sieur DALIGRE Chevalier Chancelier de France avant que de l'exposer en vente, à peine de nullité des presentes. Lesquelles seront registrées gratuitement & sans frais dans le Registre de la Communauté des Marchands Libraires de nôtre bonne Ville de Paris, du contenu desquelles Nous voulons & vous mandons, Que vous faſſiez joüir pleinement & paisiblement l'Exposant & ceux qui auront droit de luy sans souffrir qu'il luy soit donné aucun trouble ny empêchement. VOULONS aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre autant des Presentes ou un Extrait dicelles, elles soient tenuës pour deüement signifiées, & foy y adjoûtée, & aux copies collationnées par un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'original. MANDONS au premier nôtre Huissier ou Sergent sur ce requis de faire pour l'execution d'icelles tous Exploits necessaires, sans demander autre permission. CAR TEL EST NÔTRE PLAISIR, nonobstant clameur de Haro, chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires. Donné à Paris le deuxiéme Septembre l'an de grace mil six cens soixante-dix-sept, & de nôtre Regne le trente-cinquiéme. Signé, Par le Roy en son Conseil;

LEGER.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le seize Janvier mil six cens soixante-dix-neuf suivant l'Arrest de la Cour du Parlement du huitiéme Avril mil six cens cinquante-trois, & celuy du Conseil Privé du Roy du vingt-septiéme Fevrier 1665. lequel enregistrement nous avons fait à la charge que ledit Livre sera debité par un Libraire ou Imprimeur suivant l'Ordonnance. Signé, COUTEROT Syndic.

Et ledit Mr GERBAIS a cedé son droit de Privilege au Sr JACQUES CANIER pour en joüir suivant la teneur d'iceluy.

ALLOCUTIO AD LECTOREM.

QUO consilio ad id Operis genus me contuli, quâ methodo in eo versatus sum, & quo tandem animo publici juris id facio; hæc verò paucis te volo, LECTOR BENEVOLE.

Anno Christi 1665. cùm generalia Cleri Gallicani comitia Lutetiæ haberentur, ILLUSTRISSIMI ANTISTITES qui tùm aderant, significarunt palàm, ut in commentariis ejus anni legere est, non ingratam rem facturum me sibi, si tractatum *de Majoribus Causis*, de quibus quidem variis tunc studiis disceptabatur, susciperem.

Horum ego voluntati, quæ lex erat mihi, obsequutus totos quinque annos in id unum incubui, ut quæ in Ecclesiasticis monumentis eo de argumento continebantur, recenserem; eumque redigerem in ordinem, qui & ad intelligendum facilis esset, & ad praxim, si quando usus foret, comparatus.

Anno 1670. elucubratam à me dissertationem, ad Illustrissimos Galliarum Antistites, etiam tum in Comitiis generalibus congregatos detuli, eorum quidem judicio ac censurâ temperandam.

Illustrissimus Ecclesiæ Princeps Franciscus Harlæus, Archiepiscopus tum Rothomagensis, nunc Parisiensis Ecclesiæ Antistes, qui primas in Comitiis generalibus partes agebat, legere ipse illam non dedignatus est; Quâque est Vir præcellentissimus in litteratos homines boni-

tate, honorificentissimis verbis ad sacrum Senatum retulit tùm de me, tùm de opellâ istac meâ, ut Commentaria ejus anni fidem faciunt.

Ipsi haud ægrè assensere Patres omnes, laudatumque vicissim Opus in Chartophylatio publico asservandum illud, pro tempore quidem utendum, censuêre.

Cùm autem paucis post mensibus liber quidam de Canonicis Episcoporum judiciis Gallicè, at non admodùm æquo in rem Gallicam animo editus esset, cœpit à pluribus Episcopis virisque aliis non paucis Ecclesiæ Gallicanæ libertatum amantibus desiderari Opus istud meum, in quo nempè cæteras inter Majorum Causarum species, ea in primis à me ad Gallorum normam exacta erat, quæ gravioribus Episcoporum judiciis continetur.

Tùm verò nuper in Comitiis generalibus anni 1675. Antistites multi vehementiùs institêre, ut eam tractationem, quæ de Majoribus Causis parata à me ferebatur, proferrem in lucem, expostulantibus etiam de me nonnullis, quasi reus ipse fuissem intempestivi silentii, quo nempe tempore inflatis veluti buccis adversùs eam Gallicarum libertatum partem privatus nescio quis allatrabat.

Inde itaque liberam mihi potestatem factam credidi evulgandæ dissertationis meæ de Causis Majoribus; ac ne quis forsan obmurmuraret, etiam à Christianissimo Rege veniam obtinui.

Jam verò præfari quicquam nihil attinet de argumenti præstantiâ aut difficultate; cùm, vel ipso Majorum Causarum audito nomine, grande aliquid statim, atque adeò & arduum nemo non suspicetur.

Moneo dumtaxat de Causis Majoribus hîc à me dispu-

tatum non generali quâdam ac vulgari methodo, persequendo scilicet omnia quæ universim hoc in genere statuta sunt, aut ubivis usurpata; sed ea præcipuè selegi quæ ad Gallias nostras magis attinebant, quæque Ecclesiæ Gallicanæ demonstrandis juribus, moribusque illustrandis visa sunt aptiora: Neque enim existimavi responsurum me satis Illustrissimorum Antistitum jussis ac voluntati, si aliam fortè viam ingrederer; quando id reipsâ unum explicari à me postulabant, QUID NEMPE JURIS IN PRÆSENTIA OBTINERE DEBEAT APUD GALLOS DE CAUSIS MAJORIBUS.

Hoc igitur inquiro diligentiùs; atque idcircò Dissertationem meam inscripsi, AD CAPUT CONCORDATORUM, DE CAUSIS. Cum enim Concordatorum leges ægrè quidem initio, usu tamen inductæ sic jam videantur, ut municipalium instar legum nobis evaserint, operæpretium duxi examinare in primis, si quid fortè novi concordata de Causis Majoribus statuissent, speciatimque de Episcoporum causis & judiciis, quibus præsertim inhærere fuit animus.

Contuli itaque varias eâ de re, quæ hactenùs fuêre, variorum sententias: & postquam, ut mihi videor feciſse, luce ipsâ ostendi clariùs Concordatorum pactis intactas esse Causas Majores, adeóque juris nihil per Concordata de Majoribus Causis fuisse innovatum; longiùs quidem altiúsque repetendæ mihi leges fuerunt quas Majores nostri olim in eis agitandis secuti sunt: atque ad ea veniendo tempora quibus Concordata inita sunt, observo per ætates assiduè, numquid fortè posterorum disciplina & mores à Majorum institutis in aliquo defeciverint.

Quoniam verò tria sunt omninò genera Majorum causarum de quibus moveri potest difficultas; earum scilicet quæ aut ad fidem spectant, aut ad disciplinam ancipitem, aut demùm ad Episcoporum dejectiones, quæsivi ante omnia qui mores Gallorum fuerint in fidei causis judicandis; tùm quo ipsi pacto se gesserint in ambiguis disciplinæ quæstionibus: ac tandem quo jure usi sint in gravioribus Episcoporum negotiis: Quibus quidem in omnibus mirari licet, quàm religiosa fuerit Gallorum constantia in retinendis antiquis Canonibus.

Inter hæc tamen mutationes non dissimulo, quas invehere conati sunt extranei nonnulli; sed & quibus Galli fortiter obstitêre: illustriora etiam Episcoporum judicia refero quæ acta sunt in Galliis; in quibus si aliquando attentata est antiquitas, at intercessum quoque identidem, pugnatumque contrà fuit ab heroibus Gallicis; adeò ut Ecclesiæ Gallicanæ libertas hac parte oppugnata quidem, at expugnata nusquam omninò & oppressa videbitur.

Denique ea relego tempora quæ Concordatorum legem secuta sunt; vigentemque ad nos usque libertatis Gallicanæ spiritum, etiam recentibus Cleri Gallicani Sorbonæque monumentis patefacio.

Quanquàm verò Ecclesiæ Gallicanæ jura tueor, ne quis tamen credat uti me armis, vel Ecclesiæ universæ, vel Ecclesiæ Romanæ, privatarum omnium Ecclesiarum Principi, tantillùm infensis; imò verò argumenta quæ adduco præcipua, ea peto maximè cùm ab Ecclesiæ ipsius universæ canonibus ac regulis, quarum quidem Gallia tenacior fuit, tùm ab oraculis summorum Pontificum,

quorum authoritatem semper, juxtà Ecclesiæ universalis sensum, Gallia quoque venerata est.

Accedit quòd non de fide hîc agitur quæ *sola immobilis est & irreformabilis*, ut habet Tertullianus, sed de aliqua parte disciplinæ, quæ ut legibus, ita & moribus Ecclesiarum plerumque constat. Quis verò nescit aliarum Ecclesiarum alias sæpè numero esse consuetudines in eis rebus quæ jure divino sancitæ non sunt? Quis nescit *Ecclesiasticas traditiones quæ fidei non officiunt ita servandas esse, ut à Majoribus acceptæ sunt*, quemadmodùm scribit Hieronymus, *aliorumque consuetudines aliorum contrario more non subverti*, ut habet idem Doctor.

In eadem quoque sententiam scribit Gregorius Magnus lib. 1. Ep. 75. ad Episcopos Numidiæ: imò in Gallicana Ecclesia nominatim loquitur in responsionibus ad interrogata Augustini Cantuariensis Episcopi; qui cùm non satis caperet quomodo, stante una fide, alius esset Missarum celebrandarum Ritus in Ecclesiâ Gallicanâ, & alius in Ecclesiâ Romanâ, eum sic erudit Pontifex Maximus: *Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in quâ se meminit enutritum; sed mihi placet ut sive in Gallicanâ, seu in quâlibet Ecclesiâ aliquid inveniſti, quod plùs omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas.* Itaque si religiosior fuit Gallia in retinendis Majorum traditionibus, non est quòd quis pugnare illam existimet aut contra Ecclesiæ universæ unitatem, quæ morum diversitate minimè lædítur, aut contrà Ecclesiæ Romanæ Principatum, qui in procurandâ sacrorum Canonum executione, privatarumque Ecclesiarum juribus conservandis maximè elucet.

Porrò quæ Religio Galliæ fuit in obſervandis antiquis traditionibus, eadem hæc mea fuit in illis colligendis & complectendis: neque enim vel prætermiſi quicquam, quod ad illuſtrandam veritatem pertinere intelligerem, vel aliquid diſſimulavi, quod obſcurare illam parumper videretur. Quæ quidem omnia ſic à me præſtita ſunt, *ut à Majoribus tradita & apud nos depoſita ſcribam relatoris fide potiùs, quàm authoris præſumptione*, veluti præfatur Vincentius Lirinenſis in commonitorio: Nam integra authorum loca ordine refero, ut jacent in illorum monumentis; ex iiſque ferè locis Diſſertatio hæc mea tota componitur; quæ quidem etſi non ita longa ſit, in ea tamen ferè omnia delibantur graviora negotia quæ in Eccleſiâ universâ extitêre; tractantur verò planè cuncta, quæ in Eccleſiâ Gallicanâ tranſacta ſunt.

Quonam autem ordine ſingula ſum perſecutus, ſubjecta, inſtar indicis, oſtendet articulorum omnium tabula, ex quibus diſſertatio conſtat: quorum quidem nonnulli in ſuos etiam paragraphos majoris lucis gratiâ diſtincti ſunt.

Cæterùm ſi quidpiam imprudenti mihi excidit, quod aut à veritate abhorreat, aut offenſioni cuipiam eſſe poſſit; id certè retractatum jam nunc volo, tractationemque univerſam, Illuſtriſſimis Galliarum Antiſtitibus in Comitiis generalibus jam acceptam, cùm ſedis Apoſtolicæ, tum Eccleſiæ Catholicæ judicio ac cenſuræ ex animo rursùs lubenſque ſubjicio.

ARTI

ARTICULORUM SERIES ET ANATOME.

ARTICULUS I.

Quænam Causæ Majores dicantur? & variæ illarum acceptiones.

SYNOPSIS.

I. *PAUCI assequuntur quid sibi velit nomen Causarum Majorum* pag. 2.

II. *Innocentius I. Causarum Majorum mentionem primus fecit, easque statuit ad Sedem Apostolicam, post Episcopale judicium, referendas. Tria Majorum Causarum genera subindicat idem Pontifex; causas nempe fidei, causas disciplinæ ancipitis, & negotia graviora Episcoporum.* pag. 3.

III. *Qui sequuti sunt Pontifices ad usque Leonem IX. ab Innocentio I. vix dissentiunt: quanquam non ita discrètè omnes locuti sunt, maximè verò Nicolaus I. qui fictis veterum Pontificum Epistolis, quæ paulò ante vulgatæ erant, moveri tantisper cæpit.* pag. 6.

IV. *Leo IX. ab antiqua Majorum Causarum notitia recedit apertiùs, fictarumque Decretalium jam tunc invalescentium sequutus fidem de Majoribus Causis sic sentire videtur, ut ab unius Summi Pontificis arbitrio pendere illas existimet, in primis autem Episcoporum judicia. Leoni consentit Gregorius VII.* pag. 11.

V. *Innocentius III. receptis Majorum Causarum speciebus Episcoporum translationes superaddit*, pag. 12.

VI. *Occasione datâ enarrantur breviter quæ de Episcoporum translationibus Ecclesiastici codices suppeditant; & penès quem sit fueritve olim transferendorum Episcoporum potestas ad eorumdem codicum normam expenditur*, pag. 13.

VII. *Alexander IV. Innocentio IV. duce, Majoribus Causis etiam illas accensuit quæ in Episcoporum electionibus oriuntur*, pag. 14.

VIII. *Bonifacius VIII. superaddit Coadjutorum Episcoporum & Superiorum Prælatorum dationem, ut ipse loquitur.* pag. 25.

IX. *Quibus gradibus Coadjutorum nominationes ad Majorum Causarum ordinem ascenderint conjecturis haud improbabilibus aperitur*, pag. eâdem.

X. *Galli nostri diversam aliquatenùs Majorum Causarum notitiam tradiderunt; easque obscuritate ferè ac difficultate definierunt.* pag. 27.

XI. *Supponuntur à dissertatore pro Majoribus Causis ea omnes, quæ hocce nomine à summis Pontificibus in jure donatæ sunt.* pag. 30.

ARTICULUS II.

Status quæstionis proponitur; quis nempè modus sit finiendi Causas Majores in Galliis? quâ de re generatim agitur, variorum variis allatis opinionibus.

SYNOPSIS.

I. *NON ut omnium Ecclesiarum una est fides, ita una est & similis disciplina.* pag. 32.

II. *Fixa est & determinata ratio apud Gallos agitandi causas, quas majorum albo inscripsere posteriorum temporum Pontifices; nempe translationes Episcoporum, controversias quæ ex ipsorum electionibus oriuntur, & Coadjutorum designationes.* pag. 35.

III. *Ambigitur de Causis Majoribus primæ classis, hoc est, de Causis fidei, de Causis disciplinæ ancipitis, & de gravioribus judiciis Episcoporum*, pag. 38.

IV. *Aperitur via resolvendi eius dubii: in quo quidem disputatio tota versabitur.* pag. 40.

ARTICULUS III.

An concordata inita Leonem X. inter & Franciscum I. novi aliquid juris statuerint circa modum finiendi Causas Majores in Galliis, capite quod inscribitur DE CAUSIS.

SYNOPSIS.

I. REFERTUR *caput* DE CAUSIS *ut in concordatis jacet.* pag. 42.

II. *Examinatur quæ sit sententia legis sancitæ hoc in capite: quæ quidem lex cùm, ne mutatis quidem verbis, descripta sit cùm è pragmaticâ sanctione, tùm è Concilio Basileensi ubi lata primùm fuit, eius mens requirenda videtur à Patribus Concilii Basileensis: quos quidem si audias, de minorum tantùm Causarum reformandis iudiciis cogitasse ipsos intelliges: siquidem de Maioribus Causis tùm temporis nihil movebatur.* pag. 43.

III. *Non alia mens eiusdem legis in pragmaticâ Sanctione & in concordatis quærenda: atque ita clausula excipiens Causas Majores eò tantùm adhibita est, ut significaretur caput istud* DE CAUSIS *nihil pertinere ad Causas Maiores*, pag. 49.

IV. *Quanquam verò detur clausula excipiente Causas Maiores etiam determinari rationem earum finiendarũ in Galliis, id certè conficietur unum, scilicet Causas Maiores non esse omninò finiendas in partibus absque relatione vel appellatione ad summum Pontificem, sicuti minores causas finiri posse edicitur*, pag. 50.

V. *Reprobatur eorum opinio qui caput* DE CAUSIS *sic interpretantur, ut vi clausulæ adhibitæ Maiorum causarum cognitionem etiam primã ad unam sedem Apostolicam velint pertinere*, p. 52.

VI. *Amovetur difficultas mota ab aliquibus quòd in Concilio Basileensi & in Pragmatica Sanctione Maiores Causæ eâdem classe comprehendi videantur cum causis electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum*, quas immediata subjectio ad Sedem Apostolicam devolvit. pag. 55.

VII. *Illustrissimi Marcæ opinio excutitur, qui lib. 7. de Concord. Sacerd. & Imp. docere visus est Episcoporum saltem depositiones ex lege Concordatorum immediatè subjiciendas esse Summo Pontifici.* pag. 57.

APPENDIX AD ARTIC. III.

An concordata præscripserint modum finiendi judicia Episcoporum cap. *De publicis concubinariis.* §. *Quod si ii?*

SYNOPSIS.

I. QUIDAM *cum fateantur cap.* DE CAUSIS *Episcoporum deponendorum formam non esse præscriptam, id ipsum factum putant altero Concordatorum capite, quod est* De publicis concubinariis. §. Quod si ii. pag. 63.

II. *Refertur textus capitis ex quo tale aliquid confici existimant.* pag. 64.

III. *Perperam & gratis contendunt his verbis*, Si ii quorum destitutio ad nos & Sedem prædictam spectat, *Episcopos promiscue intelligi.* pag. 65.

IV. *Quod quanquam ipsis condonaretur, non statim obtinerent Episcoporum dejectionem ad solum Pontificem Romanum, etiam in prima instantia, pertinere: immò verò contrarium ex ipso paragrapho bellè colligitur.* pag. 68.

COROLLARIUM.

I. CONSECTARIA *quinque ex præmissis.* pag. 71.

II. *Deficientibus concordatis consulendum est jus vel antiquius ipsis concordatis, vel certè recentius, ad quod singulæ causa Majores expendantur.* pag. 72.

ARTICULUS IV.

Quæ ratio fuerit olim, quæve perseverat etiamnùm apud Gallos finiendi Causas quæ ad fidem spectant?

De fidei Causis primò agitur, quia principem locum tenent inter Causas Majores. pag. 73.

§. I.

De Causarum fidei judiciis generalia aliqua præmittuntur, quæ instar fundamentorum sint.

SYNOPSIS.

I. *MIRA quorumdam opinio proponitur, qui omni Causarum fidei cognitione Episcopos interdicunt, hoc uno nomine quòd majores sint.* pag. 74.

II. *Asseritur breviter Episcoporum jurisdictio in Causis fidei cognoscendis & judicandis, primò scripturâ sacrâ.* pag. eâdem.

III. *Tum Ecclesiæ universæ traditione & usu.* pag. 73.

VI. *Ac tandem ipsa summorum Pontificum authoritate.* pag. 78.

V. *Etsi juris sit Episcoporum fidei Causas cognoscere, non idcirco fidei causæ Majorum Causarum titulum ac dignitatem amittunt.* pag. 82.

VI. *Nihil etiam inde læditur Apostolicæ Sedis privilegium primatusque inviolabilis in ipsis fidei judicandis quæstionibus.* pag. 84.

VII. *Ex his regula veluti componitur, juxta quam fidei quæstiones, siquidem in provinciis oriantur, agitari possunt ac finiri.* pag. 89.

§. II.

Quomodo fidei quæstiones in Gallia hactenùs tractatæ sunt?

SYNOPSIS.

I. *ECCLESIÆ Gallicanæ præstantia; ipsiusque integritas, & constantia in tuendis fidei dogmatis.* pag. 90.

II. *Continuâ traditione, seu factorum enarratione demonstratur Episcopos Gallicanos ab natâ in Gallis Religione acceptam à Christo jurisdictionem in fidei quæstionibus cognoscendis exercuisse.* pag. 91.

III. *Ne quidem in Ianseni causa, quæ ad Innocentium X. relata est, admissum est aliquid quod sit contrarium vel moribus Gallicanis, vel ipsi Episcoporum dignitati ac potestati.* pag. 103.

ARTICULUS V.

Qui mos agendi Gallorum fuit occurrente dubio in rebus ad disciplinam spectantibus?

SYNOPSIS.

I. *GENERALIA quædam de disciplina Ecclesiastica præmittuntur.* pag. 110.

II. *In dubiis de disciplina occurrentibus consulendi sunt superiores Hierarchici.* pag. 112.

III. *Quòd si dubia graviora sunt, consulendus ipse hierarchiæ Princeps Episcopus Romanus, uti factitatum est ab Ecclesiis tum Orientis, tùm Occidentis.* pag. 113.

IV. *Hanc viam in primis ingressa est Ecclesia Gallicana, ut consultationes multæ probant, quibus Galliarum tùm Episcopi tum Reges ac Principes Apostolicam Sedem adiverunt.* pag. 114.

V. *An summorum Pontificum responsis obtemperandum, ut latis legibus?* pag. 120.

ARTICULUS VI.

Quo jure, quave consuetudine usi sunt Galli in finiendis causis gravioribus Episcoporum.

SYNOPSIS.

I. *DISSERTATIONIS hæc est pars difficilior & potior.* pag. 122.
II. *Distinguetur per quatuor Epochas notiores, ex historiis nostris petitas.* pag. 124.
III. *Generalia quædam præmittenda.* pag. eâdem.

ARTICULUS VII.

Generalia quædam de Episcoporum judiciis præmittuntur, quæ ad illustrandos Ecclesiæ Gallicanæ mores deinceps juvent?

SYNOPSIS.

I. *ETSI ante tempora Concilii Nicæni nulla lex positiva fuerit de judiciis Episcoporum, certum tamen est etiam tum illa fuisse penes Episcopos Provinciales.* pag. 126.
II. *Non penès unum Episcopum Romanum, ut novitii quidam scriptores fingunt.* pag. 127.
III. *Illam disciplinam commendat Concilium Nicænum Can.* 5. pag. 130.
IV. *Eamdem illustrat magis Concilium Antiochenum Can.* 14. pag. 131.
V. *Concilium Sardicense novam judiciorum Episcoporum formam inducere, vel firmare saltem visum est, appellationes tribuendo summo Pontifici.* pag. 133.
VI. *Lex Sardicensis non statim accepta videtur Orientalibus Ecclesiis, ut potè quæ peculiares leges in Synodis suis sancitas potius sequebantur.* pag. 137.

VII. *Exempla antiqua quæ contrà proferuntur, exquisitæ appellationis formam reipsâ non habent.* pag. 138.

VIII. *Sed habeant, si ita lubet, saltem ex ipsis conficietur primam cognitionem causarum Episcopalium non pertinuisse ad summum Pontificem.* pag. 139.

IX. *Ut perperam concludunt aliqui ex Iulii Epistolâ.* pag. 140.

X. *Et ex quibusdam posterioribus depositionum exemplis, putà Nestorii, Acacii, & Photii.* pag. 141.

XI. *Insolentia facta, si quæ sunt, jus non faciunt, neque in exemplum trahi debent.* pag. 143.

XII. *Africana Ecclesia tardiùs quoque Sardicensem legem secuta est, Nicæno Canoni, propriæque disciplinæ fortiùs adhærescens.* pag. 144.

XIII. *Ad usque Vandalorum irruptionem.* pag. 151.

ARTICULUS VIII.

Quo jure, quave authoritate Episcopi graviorum criminum dejecti sunt in Galliis ad usque tempora Caroli Magni?

§. I.

Quod genus legum valuit apud Gallos de Episcoporum judiciis ad Carolum Magnum?

SYNOPSIS.

I. *DUBITANDI locus nullus est quin ante Concilium Sardicense eadem ratio in Galliis viguerit deponendorum Episcoporum, quæ in cæteris Ecclesiæ partibus.* pag. 153.

II. *Contrarium non suadet Cypriani locus de Martiano Arelatensi.* pag. 154.

III. *Ut confirmat Euphratæ depositio facta in Concilio Aggripinensi,* pag. 156.

IV. *Quod Concilium etsi nationale fuerit, nihil inde imminuitur provincialium Synodorum authoritas.* pag. 157.

V. *Neque*

V. *Neque etiam statim inde consequitur licere idem summo Pontifici in Episcoporum judiciis quod nationali Concilio.* pag. 158.

VI. *Quo tempore lex Sardicensis vigere cœperit in Gallias, neque assequi promptum est, neque sollicitius inquirendum.* pag. 160.

VII. *Certum tamen est ante tempora Caroli Magni non usos fuisse Gallos solo antiquo Ecclesiæ Orientalis codice qui in Concilio Chalcedonensi laudatus est.* pag. eâdem.

VIII. *Licet revera prima illa Ecclesiæ Gallicanæ ætate priorum Conciliorum Canones, ex quibus constat ejusmodi codex, in Galliis valuerint.* pag. eâdem.

IX. *Fuerintque etiam in scriem redacti aptatique ad usum Galliarum.* pag. 162.

X. *Verùm ante tempora Caroli Magni fuerunt & alii Canones in usu apud Gallos, putà, cùm Africani tum Sardicenses.* pag. 163.

XI. *Et sanè Innocentius I. legem Sardicensem de iudiciis Episcoporum Gallis intimaverat in Epistola ad Victricium Rothomagensem.* pag. 164.

---

§. II.

Insigniora Episcoporum judicia recensentur ad usque tempora Caroli Magni.

SYNOPSIS.

I. *PAULINUS Trevirensis: Saturnius Arelatensis: Instantius Priscillianista in Synodis Episcoporum judicati.* p. 168.

II. *Proculi Massilienſis depositio expenditur, agiturque de Ursi & Tuentii negotio.* pag. 169.

III. *Maximi Valentinæ civitatis Episcopi iudicium refertur: explicaturque Epistola Cælestini tum de causa Massilienſis Episcopi, tùm de Daniele.* pag. 172.

IV. *Armentarius in Concilio Regensi, Chelidonius in Arelatensi, dejicitur.* pag. 176.

V. *Chelidonii appellationem ad Leonem Romanum Pontificem acerrimè tulit Hilarius Arelatensis, in quem & Leo tantisper exarsit.* pag. eâdem.

VI. *Leoni roganti adiunxit se Valentinianus Imperator, edictumque emisit, & præter Leonis ipsius voluntatem, & contra Sardicensem regulam: quod ideò edictum Gallos non ligavit.* pag.177

VII. *Non plus roboris habuit altera lex à Gratiano lata, quæ ut summum temporanea fuit.* pag.179.

VIII. *Hilarus Papa in negotio Hermetis Synodorum authoritatem in Episcopis judicandis confirmat: ut & in coërcenda Mamerti Vicnnensi audaciâ.* pag.182.

IX. *Eandem authoritatem comprobat Ioannes II. in Contumeliosi causa: nec Agapetus ejus successor alia in mente fuit.* pag 186.

X. *Vigilius Papa Auxonio Arelatensi vices suas delegans Episcoporum negotia jubet in Conciliis judicari.* pag.187.

XI. *Summi Pontifices, vices suas præcipuis quibusdam Episcopis delegando Provinciarum & Metropolitanorum jura minimè inverterunt, sed potiùs confirmarunt.* pag. 188.

XII. *Neque aliis conditionibus Galli Episcoporum Romanorum Vicarios recepêre.* pag. 189.

XIII. *Saffaracus Parisiensis, & Emerius Santonensis in Synodis Episcoporum deponuntur.* pag.190.

XIV. *Anno 567. in Concilio Lugdunensi sancitur lex de Episcopis in Synodis judicandis.* pag.191.

XV. *In eodem Concilio Salonius Ebredunensis & Sagittarius Vapingensis, ac rursùs in Concilio Cabilonensi deponuntur,* pag.192.

XVI. *Promotus in Concilio Parisiensi dejicitur suggerente Pappolo Carnotensi.* pag.193.

XVII. *Pratextatus Rothomagensis in Concilio Parisiensi accusatur & dejicitur, quanquam immeritò, si audiatur Gregorius Turonensis, qui & ipse in Synodo apud Brennacum à Leudaste quodam quasi reus delatus est.* pag. 197.

XVIII. *Ægidius Remensis in Concilio Metensi, & Desiderius Viennensis in Concilio Cabilonensi exauctorantur.* pag.198.

XIX. *Quoniam hæc posteriora facta Gregorii Magni ætate contigerunt, expenditur quæ mens fuerit Summi illius Pontificis de judiciis Episcoporum; quæ certè à moribus Gallicanis aliena non fuit.* pag. 199.

XX. *Agapius & Bobo dejiciuntur in Concilio Matisconensi: plures Episcopi ac nominatim Dido in Concilio apud Villam Regiam:*


image
not
available

lanensis , Vvolvodus Cremonensis, Theodulphus Aurelianensis, Iesse Ambianensis , Thegano Chorepiscopo Trevirensi teste , in opere de gestis Ludovici Pii. pag.214.

II. *Ad annum* 835. *Ebbo Remensis in Concilio apud Theodonisvillam exauctoratus est.* pag.215.

III. *Circa idem tempus Aldricus Cenomanensis in Concilio Provinciæ judicatus est : quod ne improbavit quidem Gregorius IV. sed appellationes tantùm adstructas voluit.* pag. 218.

IV. *Nihil amplius desideratum est à Leone IV.* pag.220.

V. *Benedictus III. Leonis IV. successor Hincmaro Remensi instar privilegii tribuens , ne ab alio quàm ab Episcopo Romano judicari posset , jus commune supponit & confirmat.* pag.223.

VI. *Vigebat jus commune ubique gentium , cùm Apocryphæ Episcoporum Romanorum Epistolæ prodierunt ; in quibus quidem jus antiquum circa Episcoporum judicia videtur inverti , cum ea Episcopo soli Romano tribuuntur.* pag. eâdem.

VII. *Quæ tamen, nisi jam earum falsitas planè constaret, explicari non ineptè possent de appellationibus.* pag.226.

VIII. *Supposititius fœtus turbas nihilominùs excitavit , utpote adoptatus ferè à Romanis quibusdam Pontificibus. Verùm Gallia credula non sic fuit, ut judicia Episcoporum etiam probant quæ secuta sunt, verbi gratiâ Tortoldi & aliorũ apud Saponarias* p.228.

IX. *Item Rothadi Suessionensis, cujus causa anno* 863. *variis studiis agitata est Nicolaum I. inter & Episcopos Gallicanos.* pag.230.

X. *Nequidem Teutgaudi Trevirensis , & Guntharii Agrippinensis depositio à Nicolao I. Roma tentata Gallicanas libertates rectà impetit.* pag. 236.

XI. *Qui Nicolai I. authoritatem objiciunt coguntur & ipsi Nicolai I. facta ex æquo interpretari.* pag.237.

XII. *Hadrianus II. Nicolai I. Successor fictas decretales cupidè amplexus est ; iisque usus maximè contra Gallos in causâ Hincmari Laudunensis. Galli autem fortiter obstitêre ; ac tandem eorum virtuti Roma utcunque cessit , cum Ioannes VIII. Hadriani II. Successor Hincmari Laudunensis condemnationem approbavit.* pag. 238.

XIII. *Ioannes VIII. in aliis etiam aliquibus favere Gallis visus est : verùm longè plura ipse aggressus est contra Gallicanas liber-*

tates, fictis decretalibus nimio plus credens. pag. 244.

XIV. *Ac tandem sic crevit Romana licentia eodem nixa fundamento, ut Carolus Calvus Ecclesiæ suæ iura tueri cupiens ad Ioannem VIII. scribendum duxerit, ne ultrà in Ecclesiasticorum iudiciorum ratione innovaret.* pag. eâdem.

XV. *Caroli Calvi Epistola, & quæ solemnis eo usque fuerat iudiciorum forma apud Gallos clarè monstrat, & est ipsa veluti legitima quædam intercessio, atque, ut aiunt, protestatio contra ius novitium quod invehebatur: unde minùs virium exempla habitura sunt, si quæ deinceps antiquo iuri contraria observabuntur.* pag. 245.

XVI. *Artaldi Remensis cum Hugone negotium perperam objicitur ab adversariis libertatum Gallicanarum, cùm aptius ipsum sit ad Gallorum constantiam comprobandam; nihil etiam obest Episcopi Bellovacensis citatio cum eodem negotio coniuncta.* pag. eâdem & sequentibus.

ARTICULUS X.

Quodnam jus prævaluit apud Gallos in Episcoporum judiciis à temporibus Hugonis Regis & Joannis XV. Pontificis ad concordata inita Leonem X. inter & Franciscum I?

SYNOPSIS.

I. *HÆC est Epocha quam nonnulli libertatibus Gallicanis fatalem credunt.* pag. 250.

II. *Illustrissimus ipse Marca eam opinionem profitetur; sed ita ut parum dignè cùm de Summis Pontificibus, tùm de Gallis ipsis sentire se ostendat.* pag. eâdem.

III. *Neque illam opinionem stabilit satis argumento ducto ex Arnulphi Remensis causa, quod veluti Achillèum proponit* pag. 252.

IV. *Nihil amplius efficit recens quidam scriptor eodem argumento aliter proposito.* pag. 257.

V. *Reliqua quæ proferuntur argumenta petuntur 1 ex authoritate*

summorum Pontificum qui ab illo tempore Episcoporum judicia unis sibi tribuerunt. 2. à collectionibus Canonum illo ab hinc tempore editis. 3. à factis & exemplis quibusdam. pag. 259.

§. I.

An authoritate Pontificum conficitur jus novum, quod aiunt de Episcoporum judiciis valuisse à temporibus Hugonis Regis, cùm ubique, tùm speciatim in Galliâ?

SYNOPSIS.

I. *LEONIS IX. Gregorii VII. & Innocentii III. præsertim jactatur authoritas: nihil autem Leo IX. contrà jus antiquum tentavit sive in sua Epistola ad Petrum & Ioannem Episcopos Africanos, sive in Concilio Remensi, cui præfuit, & in quo Episcopus Lingonensis dejectus est.* pag. 262.

II. *Magis urgetur authoritas Gregorii VII. quam quidem extolli mirum est ab Illustrissimo Marca prolatis articulis, qui dictatus ejus vocantur: si quidem dubiâ fide laborant articuli illi apud eruditos; apud Gallos autem nullius usquam fuêre ponderis.* pag. 263.

III. *Ne illum quidem articulum, qui Episcoporum depositionem soli Romano Pontifici tribuit, editum quis credat à Gregorio VII. contrà Oecumenicorum Conciliorum Canones, decessorumque suorum sanctiones.* pag. 265.

IV. *Hoc tamen si tentavit, Galliam huic novitati obsecutam nemo probaverit.* pag. 268.

V. *Facta Gregorii VII. nihil plus faciunt contrà libertates Gallicanas, siquidem & iis Galli obstitêre.* pag. eâdem.

VI. *Ne Gregorius quidem ipse sibi constitit in Episcoporum judiciis per Legatos exercendis.* pag. 270.

VII. *Innocentii III. effatum objicitur, quo translationes, cessiones ac depositiones Episcoporum institutione divinâ soli Romano Pontifici reservatas pronuntiat.* pag. 271.

VIII. *Sed improbatur vel ab ipso Marca.* pag. eâdem.
IX. *Et reipsâ veritati contrarium est, nisi benignè explicetur.* pag. 273.
X. *Nam neque jure divino usquàm depositiones Episcoporum reservatæ sunt Summo Pontifici.* pag. eâdem.
XI. *Nisi fortè jus divinum latius usurpetur.* pag. 275.
XII. *Neque jure Canonico minimè dubio, ad usque tempora Innocentii ipsius III.* pag. 277.
XIII. *Immò ne ipse quidem Innocentius III. in Concilio Lateranensi 4. cui præfuit, derogavit prisco juri Canonibus sancito de judiciis: nec, ipso teste & arbitro, derogare quis meritò posset.* pag. 278.

§. II.

An è variis Canonum seu Decretalium collectionibus, quæ à temporibus Hugonis Regis editæ sunt, argumentum duci queat contrà mores antiquos Ecclesiæ Gallicanæ de Episcoporum judiciis ac depositionibus?

SYNOPSIS.

I. *TRES opponuntur collectiones, Ivonis, Gratiani, & Gregorii IX.* pag. 281.
II. *Collectio Ivonis vim legis nullam habet.* pag. eâdem.
III. *Si haberet, faveret & ipsa plurimùm. ut quæ ex ipsis Decretalibus Apocryphis contineat ea quæ antiquum usus sapiunt, & legitimas sanctiones, quas prætendimus complectatur.* pag. eâdem.
IV. *Non dissimulandum quin Ivo Carnotensis in Gaufridi causâ propensior fuerit in Romanas partes: quid verò mirum? siquidem sua ipsius causa agebatur: quanquàm neque id impunè tulit à Comprovincialibus Episcopis.* pag. 284.
V. *Collectionis Gratiani minima authoritas; cùm & parùm accurata sit Bellarmino teste, & privati hominis fœtus, ut arguit Antonius Augustinus.* pag. 286.

VI. *Deinde in illa ipsa collectione multa reperire est, quæ antiquam judiciorum formam commendant.* pag. 287.

VII. *Collectio Gregorii IX. quæ objicitur, nullam vim tribuit effato Innocentii III. quod continet.* pag. eâdem.

VIII. *Major est quidem authoritas hujus collectionis, quàm cæterarum: sed in Galliâ saltem, ubi jus priscum semper prævaluit, vim legis obtinuisse illam non suadebitur.* pag. 289.

IX. *Neque iuvat quicquam quod in scholis Galliarum aliquibus prælegatur.* pag. 291.

---

§. III.

An facta seu exempla quædam depositionum, quæ authoritate Pontificiâ factæ dicuntur in Galliis ante concordata, jus antiquum illic extinctum esse persuadeant?

SYNOPSIS.

I. *CERTUM est exempla depositionum aliqua proferri posse à temporibus Hugonis, quæ antiquo iure contraria sunt: sed non idcirco illud evertunt.* pag. 294.

II. *Nam legibus standum, non exemplis.* pag. eâdem.

III. *Deinde plura eiusmodi exemplorum nimis probant.* pag. 295.

IV. *Reliquisque adeò authoritatem abrogant.* pag. eâdem.

V. *Sed & hoc depositionum genus à Gallis improbatum testatur Goffridus Vindocinensis.* pag. 296.

VI. *Quæcumque iudicia tentata sint in Galliis à summis Pontificibus, ius Gallorum antiquum ea non everterunt.* pag. 297.

VII. *Etsi fortè rei nonnulli talibus iudiciis acquieverint.* pag. 298.

VIII. *Iure tamen Romani Pontifices, ossitantibus nempè, vel conniventibus Metropolitanis, authoritatem suam in coërcendis Episcopis interponere potuerunt.* pag. 299.

IX. *Ita quidem fecit olim Alexander II. ut constat ex eius Epistola ad Gervasium Archiepiscopum Remensem.* pag. eâdem.

X. *Ita posterioribus longè temporibus Ioannes XXII. ut ex libello eius*

ejus liquet ad quosdam Galliæ Episcopos inscripto de finienda causa Petri Episcopi Catalaunensis : qui libellus totus refertur, quia disertè probat antiquam iudiciorum disciplinam tum temporis viguisse in Galliis, ne contradicente quidem summo Pontifice. pag. 301.

XI. *Duo & alia egregia monumenta referuntur quæ ad eandem causam pertinent, remque eandem confirmant. Alterum est Epistola Ludovici X. Regis ad Gazonem Laudunensem; alterum est Epistola Roberti Episcopi Remensis.* pag. 305.

ARTICULUS XI.

De temporibus quæ concordatorum legem secuta sunt.

SYNOPSIS.

I. *De mente & interpretatione concordatorum nihil additur iis quæ articulo 3. fusè tractata sunt.* pag. 310.

II. *Quæ quidem confirmantur usu, qui deinceps secutus est : nam quotics ab initis concordatis Romani Pontifices iudicare voluerunt Episcopos aliquos Galliarum, toties intercessum est vel à Rege ipso Christianissimo, vel à Clero Gallicano, Episcopisve accusatis.* pag. eâdem.

III. *Ita intercessit Carolus IX. ubi Pius IV. quinque Episcopos ob Lutheranam pravitatem dejicere aggressus est.* pag. 311.

IV. *Ita eodem regnante Principe Veteicensis & Valentinus Episcopi à Pii IV. judicio contrà se lato ob abusum ad Regium tribunal provocarunt.* pag. 313.

V. *Responsio quam adhibent nonnulli planè futilis est, & se ipsam jugulans.* pag. 314.

VI. *Opponuntur tria alia facta seu exempla.* pag. 315.

VII. *Primum, Aniciensis scilicet Episcopi, nihil contrà jus commune facit; utpote cum singulari privilegio Apostolicæ Sedi obnoxium se immediatè præfert Episcopus Aniciensis.* pag. 316.

VIII. *Secundum, Archiepiscopi nempe Lugdunensis, non plus*

juvat; cùm ipse primatialis dignitatis ratione Papam unum agnoscere judicem voluerit. pag. 317.

IX. *Tertium, scilicet Episcoporum quibus procurante Richelio Cardinali judices ab Urbano VIII. delegati sunt, nihil habet ponderis: tum quia singulare est omninò, tum quia fortiter intercessit Clerus Gallicanus, ubi primùm libertas fuit.* pag. eâdem.

X. *Referuntur acta Cleri Gallicani circà hoc negotium.* pag. 318.

ARTICULUS XII.

An Concilium Tridentinum Gallicos mores immutaverit circa Episcoporum judicia?

SYNOPSIS.

I. *REFERTUR lex lata à Concilio Tridentino cap.* Causæ criminales: *quæ quidem contraria est antiquo juri.* pag. 341.

II. *Sed an lata Gallis, dubium.* pag. eâdem.

III. *Cardinalis enim à Lotharingiâ in ipso Concilio capiti huic intercessit, si fortè Regis Regnique Galliarum libertatibus ac privilegiis obesset.* pag. 342.

IV. *Improbatum quoque nominatim est ab oratoribus Regis Christianissimi.* pag. 344.

V. *Ipsummet Concilium libertates Gallicanas reservavit, Cardinali Lotharingo teste.* pag. eâdem.

VI. *Deinde verò disciplina Concilii Tridentini generatim accepta non est à Gallis; atque adeò nec eos ligat.* pag. eâdem.

VII. *Reipsâ Senatus Parisiensis anno 1569. Tridentinæ legis rationem non habuit in causa Cardinalis Castellonii, Episcopi Bellovacensis.* pag. 345.

VIII. *Malè argumentatur qui objicit Episcopos Gallicanos à Rege Christianissimo postulasse sæpiùs ut Concilii Tridentini disciplinam recipi juberet, immò & ipsos huic disciplinæ Sacramento se subjecisse.* pag. 346.

IX. *Adjunguntur & ea quæ in Belgio contigêre, ubi deliberatum fuit de Tridentino recipiendo.* pag. 348.

ARTICULUS XIII.

Quæ sit etiamnum Gallorum mens de Episcoporum judiciis ac depositionibus?

SYNOPSIS.

I. *MENS Gallorum explorari melius non potest quàm ex sententiâ, tum Episcoporum Gallicanorum, tum Sorbonicæ facultatis.* pag. 350.

II. *Anno 1663. Doctores Parisienses quid eâ de re sentirent professi sunt apud Regem Christianissimum, duce ac perorante Archiepiscopo Parisiensi.* pag. eâdem.

III. *Eorum declaratio Regia & publica authoritate comprobata est.* pag. 351.

IV. *Referuntur articuli Sorbonici, Senatusconsultum, & sanctio Regia.* pag. eâdem.

V. *Quid sit Episcoporum Gallicanorum ea de re sensus, ex iis colligitur, quæ in negotio quatuor Episcoporum contigêre.* pag. 359.

IV. *Referuntur Epistolæ plurimorum Episcoporum ad summum Pontificem, & ad Regem Christianissimum.* pag. 360.

DISSERTATIONIS EPILOGUS.

An divisio juris in antiquum & novum ferenda sit in Galliis, quoad Episcoporum deponendorum rationem?

Ex antedictis concluditur, quod ferenda non sit. pag. 375.

APPENDIX.

Insignia quatuor monumenta, quibus Ecclesiæ Gallicanæ libertas, in retinenda antiqua judiciorum Episcopalium forma, confirmatur.

I. *EPISTOLA Caroli Calvi ad Hadrianum Pontificem, de causa Hincmari Laudunensis.* App. pag. 2.

II. *Rescriptum Concilii Duziacensis ad eundem Pontificem, de eodem negotio.* App. pag. 25.

III. *Epistola Caroli Calvi ad Ioannem VIII. Pontificem de judiciis & appellationibus Episcoporum & Presbyterorum Galliæ ad Sedem Apostolicam.* App. pag. 50.

IV. *Apologia Gerberti pro Synodo Remensi, in Arnulphi causa.* App. pag. 69.

DISSERTA

DISSERTATIO DE CAUSIS MAJORIBUS AD CAPUT CONCORDATORUM DE CAUSIS.

ARTICULUS I.

Quanam Causæ Majores dicantur? Et variæ illarum acceptiones.

SYNOPSIS.

I. *PAUCI assequuntur quid sibi velit nomen Causarum Majorum.*

II. *Innocentius I. Causarum Majorum mentionem primus fecit, easque statuit ad Sedem Apostolicam post Episcopale judicium referendas. Tria Majorum Causarum genera subindicat idem Pontifex; causas nempe fidei, causas disciplinæ ancipitis, & negotia graviora Episcoporum.*

III. *Qui secuti sunt Pontifices ad usque Leonem IX. ab Innocentio I. vix dissentiunt: quanquam non ita diserte omnes locuti sunt, maximè verò Nicolaus I. qui fictis veterum Pontificum Epistolis, quæ paulò antè vulgatæ erant, moveri tantisper cæpit.*

IV. *Leo IX. ab antiquâ Majorum Causarum notitiâ recedit apertiùs, fictarumque Decretalium jam tunc invalescentium secutus fidem de Majoribus Causis sic sentire videtur, ut ab unius Summi Pontificis arbitrio pendere illas existimet; in primis autem Episcoporum judicia. Leoni consentit Gregorius VII.*

V. *Innocentius III. receptis Majorum Causarum speciebus Episcoporum translationes superaddit.*

VI. *Occasione data enarrantur breviter quæ ab Episcoporum translationibus Ecclesiastici Codices suppeditant; & penes quem sit, fuerit ve olim transferendorum Episcoporum potestas, ad eorumdem Codicum normam expenditur.*

VII. *Alexander IV. Innocentio IV. duce, Majoribus Causis etiam illas accensuit quæ in Episcoporũ electionibus oriuntur.*

VIII. *Bonifacius VIII. superaddit Coadjutorum Episcoporum, & Superiorum Prælatorum dationem, ut ipse loquitur.*

IX. *Quibus gradibus Coadjutorum nominationes ad Majorum Causarum ordinem ascenderint, conjecturis haud improbabilibus aperitur.*

X. *Galli nostri diversam aliquatenùs Majorum Causarum notitiam tradiderunt; easque obscuritate ferè ac difficultate definierunt.*

XI. *Supponuntur à dissertatore pro Majoribus Causis eæ omnes, quæ hocce nomine à Summis Pontificibus in jure donatæ sunt.*

I. DE causis Majoribus crebra fit mentio apud Canonum interpretes rerumque Sacrarum scriptores: frequens etiam de illis habetur sermo tùm à doctis, tùm ab indoctis hominibus: vix tamen aliquos reperias qui satis capiant quid Majorum Causarum nomen sibi velit, vel certè qui illud satis explicent. Quod, ut ne plu-

rimorum in eo tractando argumento indiligentiam accusem, inde profectum dicere maluerim, quia non eadem fuit semper apud omnes Causarum Majorum acceptatio; quemadmodum nec idem semper apud omnes earum fuit numerus.

Cum itaque de Majorum Causarum judiciis accuratiùs paulò disserere propositum sit mihi, operæ pretium duxi explicare ante omnia quid Majorum Causarum nomine significatum sit olim apud alios atque alios: & quo pacto earum numerus in jure Pontificio creviſſe sensim visus sit.

Et quoniam res ista cum jure Pontificio maximè conjuncta est, in ea explicanda summorum in primis Pontificum authoritatem adhibebo; quorum in verbis ac sententiis recensendis temporum ætatumque ordinem sequar: quæ ratio & in reliquis dissertationis hujus partibus servabitur.

II. Causarum Majorum, qui fidei sit, authoritatisve indubitatæ, meminit nemo ante Innocentium I. Hic nempe anno Christi circiter 404. in Epistola illa celebri ad Victricium Rothomagensem disertè sic scribit. *Si autem Majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam (sicut Synodus statuit) post Episcopale judicium referantur.* Quanquam verò mentionem ibi facit clarissimam Causarum Majorum: attamen, cujus generis sint causæ illæ quas majores vocat, planè non aperit; quemadmodum nec Synodi hujus nomen profert quam laudat, cujusque executionem videtur procurare.

Non desunt viri graves qui existiment significatam eò loci ab Innocentio Nicænam Synodum: At certè adduci non possum ut eis assentiar: Nam in toto Concilio Nicæno causarum, non Majorum dicam, sed ne ullarum quidem, relatio facienda statuitur ad Sedem Romanam, seu Apostolicam. Quin potiùs Canone 5. decernitur, *ut singulis annis per unamquamque Provinciam bis in anno Synodi fiant, ut omnes in unum convenientes Episcopi Provinciæ, ejusmodi quæstiones examinent:* Hoc est, eas maximè quæstiones, quæ Episcoporum depositionem attinent, ut legenti patet. Canone autem 6. commendatur quidem Romana aliqua consuetudo, juxta quam Episcopi Alexandrini jura confirmantur: Hoc verò planè nihil juvat ad vindicandam Apostolicæ Sedi Majorum Causarum relationem: Alioquin idem Privilegii Ecclesiæ Alexandrinæ tribuendum foret. Aptiùs dixerimus attendisse Innocentium ad Synodum Sardicensem, quæ omnium prima Canonibus 3. & 7. liberam facit potestatem Episcopo à Collegis dejecto appellandi, seu confugiendi ad Sedem Apostolicam. Et certè non est alia Synodus ante Innocentium I. cui tale aliquid adscribi possit.

Itaque dubium supereſt nullum quin Causis Majoribus Episcoporum depositiones accenseat Innocentius: Cum ad vindicandas Majores Causas Apostolicæ Sedi eum ipsum Canonem laudet, qui de referendis ad Sedem Romanam Episcoporum judiciis conditus est.

Sed neque unas Episcoporum depositiones veluti Majores Causas agnovit Innocentius: Nam & quæstiones dubiæ disciplinæ, & fidei causas, ex Patrum institutis ad Sedem quoque Apostolicam referendas professus est. De quæstionibus quidem disciplinæ ambiguæ sic habet in Epistola ad Felicem Nucerianum Episcopum. *Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque quæ possunt aliquam recipere dubitationem ad nos, quasi ad caput atque ad apicem Episcopatus referre; ut consulta videlicet sedes Apostolica, ex ipsis rebus duris certum aliquid faciendum pronuntiet.*

De causis verò fidei agit magnificè in Epistola ad Concilium Milevitanum; ubi, postquam Africanis Patribus gratulatus est, quod non modo commissos curæ suæ greges ab errorum labe fortiter defenderent, sed & quod Ecclesiæ quoque Romanæ oracula consulerent, sic subjungit, *præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis, & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio.*

Liquet igitur Innocentio I. Causarum quas Majores ipse primus nuncupavit, quasque ad Sedem Apostolicam referendas dixit, genera tria agnovisse; videlicet Episcoporum depositiones, quæstiones dubiæ disciplinæ, & causas fidei; quas quidem potiori quodam jure majores dici nemo non probaverit.

Ex his autem judicare jam licet quantùm ab Innocentii I. sententiâ, atque adeo à vera legitimaque

Majorum Causarum notione aberrent, qui Causas Majores eas esse jam definiunt, quæ rectâ, seu in primâ, vt aiunt, instantiâ ad Sedem Apostolicam deferuntur : siquidem Innocentius ipse Majorum Causarum nomenclator, Majores Causas, nonnisi *post Episcopale judicium*, ad Sedem Apostolicam referri jubet.

Non feliciùs multò enituntur qui Causas Majores distributione quadam explicant : aliasque rerum esse dicunt, quæ ad fidem attinent ; alias personarum, quæ ad Episcopos. Ut enim hæc divisio minimè deficiat, cum quæstiones missas facit sententiæ disciplinæque ancipitis ; Peccat certè ea parte quâ Episcoporum causas promiscuè majores censet. Enimverò non quælibet, sed summa tantum Episcoporum negotia, quibus nempe in dejectionis discrimen veniunt, hocce nomine dignanda sunt. Cum è contrario infimi Ordinis Clericorum, immo & Laïcorum negotia in Causas Majores toties evadant, quoties admittere illos in fidem contingit. Non inficior tamen quin à personarum dignitate ortum sit, quod Episcoporum, non Clericorum item, aut Presbyterorum dejectiones ad Majores Causas revocatæ sint.

III. Qui ab Innocentio I. sedere Pontifices nonnullas etiam causas tanquam majores ; ob rerum nempe vel difficultatem, vel præstantiam, Apostolicæ Sedi vindicarunt : Sed neque omnes æquè disertè locuti sunt, neque singuli easdem, eisdemve notis designarunt.

Zozimus in Epistola quam ad Episcopos Galliæ scripsit de privilegiis Ecclesiæ Arelatensis conservandis, negotia, si quæ in Provinciis quas censet emerserint, ad Episcopi Arelatensis notitiam referri jubet: *Nisi*; inquit, *magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen.*

Bonifacius Epistolâ 2. quæ est ad Galliæ Episcopos, de Maximo Episcopo, Manichæorum sectatore, aliorumque criminum reo; Primò quidem Synodum habendam esse ait in Provincia, ubi causa ipsius judicetur: Tum verò hæc addit: *Quidquid autem vestra Charitas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostrâ, ut condecet, necesse est authoritate firmetur.*

Leo Magnus Epistolâ 84. quæ est ad Anastasium Thessalonicensem, Causas Majores non semel commemorat: Capite quidem 7. *At si fortè* (inquit) *inter ipsos qui præsunt, de Majoribus* (*quod absit*) *peccatis causa nascatur, quæ Provinciali nequeat examine definiri, Fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere: Et si coram positis partibus, nec tuo res fuerit sopita judicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur.* Capite autem 10. *Unde si causa aliqua major extiterit, ob quam necessarium sit fraternum advocare conventum: dignos de singulis Provinciis Episcopos, quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat.* Pauciscque interjectis, caput 11. sic exorditur. *Si autem in eo quod cum fratribus tractandum definiendumve crediderit, diversa*

eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificationem referantur.

Hilarus Papa Epistolâ 8. quæ est ad plures Metropolitanos Galliæ, postquam eos hortatus est, ut opportunis locis ac temporibus concilia habeant ad Ecclesiastica negotia componenda, hæc addit, *In dirimendis sanè gravioribus causis, & quæ illic non potuerint terminari, Apostolicæ Sedis sententia consuletur.*

Vigilius Epistolâ 2. quâ Eutherii consultationibus respondet, *quamobrem*, inquit, *Sancta Romana Ecclesia ejus*, id est Petri, *domini voce consecrata, & Sanctorum Patrum authoritate roborata, Primatum tenet omnium Ecclesiarum: Ad quam tàm summa Episcoporum negotia, & judicia atque querelæ, quàm & majores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput semper referenda sunt.* Quod si quis dixerit Vigilii Epistolam ad Eutherium vel supposititiam esse, vel certè ab eo conscriptam, dum Pseudo-Papa adhuc esset: En alterum ejus testimonium integræ quidem fidei, sumptum ex Epistola ipsius 7. ad Auxanium Arelatensem. *Si quæ vero certamina aut de religione fidei (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint: Totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda servate.*

Gregorius Magnus Epistolâ 52. lib. 4. scribens ad universos Galliarum Episcopos de authoritate Virgilio Arelatensi Episcopo attributa, hæc habet. *Si quam verò contentionem (quod longè faciat divina potentia)*

potentia) de fidei causa eventre contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat: Examinata diligentiùs veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem.

Gregorius IV. Epistolâ ad universos Episcopos Galliæ, Germaniæ, & Europæ de negotio Aldrici Cenomanensis: *Non novum aliquid præcipimus*, inquit, *sed illa quæ olim videntur indulta, firmamus, cùm nulli dubium sit, quod non solùm Pontificalis causatio, sed omnis etiam relligionis relatio ad Sedem Apostolicam, quasi ad caput Ecclesiarum debet referri.*

Leo IV. Epistolâ ad Episcopos Britanniæ judiciorum Ecclesiasticorum ordinem fusiùs persequitur, atque tum tandem ad Apostolicam Sedem referenda illa censet, cum neque Canonum, neque Sanctorum Patrum authoritate finiri possunt. Sunt hæc ejus verba relata apud Gratianum distinctione 20. Can. 1. *Quibus autem in omnibus Ecclesiasticis utimur judiciis, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Africanenſium, Carthaginenſium, & cum illis Regulæ præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zozimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii & Gregorii junioris. Isti omninò sunt, & per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul judicantur & Clerici. Nam si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod*

minimè possit per istos definiri; tum, si illorum quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel exterorum similiter Sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda; vel ad Apostolicam Sedem referendum de talibus.

Nicolaus I. in Epistolis quas scripsit sive ad Regem, sive ad Episcopos Galliarum, de negotio Rothaldi Suessonensis mentionem Causarum Majorum sæpiùs injicit. Et quanquam negare tunc visi sint Galli Episcoporum negotia pertinere ad Causas Majores: Crediderim tamen eos ita locutos ad mentem Nicolai I. qui citra appellationem, immo rectà & ante omne judicium Episcopale Majores Causas ad Sedem Romanam referendas contendebat: ita enim de Rothaldo scripserat ipse Epist. 42. *Quamvis & si Sedem Apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen, & tanta vos decretalia efferri statuta* (veterum Pontificum decretales intelligit, quæ non ita diu vulgatæ erant) *Episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis.*

Etenim juxta hunc sensum rectè inficiabantur Galli Episcoporum negotia, Majorum Causarum nomine, referenda esse ad Sedem Apostolicam: scilicet medio nullo Episcopali judicio. Neque enim eò usque talem consuetudinem habuerant, ut infra ostendemus.

Joannes VIII. Epistolâ 93. ad Arelatensem Episcopum Gregorii Magni verba quæ supra citata sunt ferè exscripsit. *Si qua verò inquisitio de fide,*

inquit, *vel fortasse altarum rerum inter Episcopos causa emerserit quæ discerni difficiliùs possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur, atque decidatur; sin autem decidi nequiverit, discussa veritate, ad nostrum judicium referatur.*

Ecce hactenus uno ferè ore de Causis Majoribus loquuntur Summi Pontifices: Atque Innocentio I. cuncti ferè concinunt, ita ut fidei causas, dubiæ disciplinæ quæstiones, & Episcoporum depositiones veluti Majores Causas agnoscant, eoque illas nomine, *post Episcopale quidem judicium*, ad Sedem Apostolicam referendas pronuntient.

IV. At Leo IX. Epistolâ 4. quæ est ad Petrum, & Joannem Episcopos, à vulgari Majorum Causarum notitia recedit apertiùs, vixque aliquem ipsis imponit modum. Nam veterum Decretalium, quæ tum invalescebant, secutus fidem, audacter sic pronuntiat. *Sed hoc vos non lateat, non debere præter scientiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi: Quia etsi licet vobis aliquos Episcopos examinare; definitivam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis, ut dictum est, non licet dare: Quod in Sanctis Canonibus statutum, si quæritis, potestis invenire, scilicet, quia omnium Ecclesiarum majores, & difficiliores causæ, per Sanctam & principalem Beati Petri Sedem à successoribus ejus definiendæ sunt.* Canones, quos hic vocat, alii non sunt ab Apocryphis veterum Pontificum Epistolis. Et re ipsa, paucas post lineas, Clementem laudat, Anacletum, & Anicetum

Gregorius VII. Leone haud minùs audax rem etiam infinitè definit, atque in famoso illo decreto quod vulgò dictatum vocant, eam veluti legem figit, *quod Majores Causæ cujuscunque Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam referri debeant.*

V. Innocentius III. Majores Causas distinguit magis, verùm & earum numerum amplificat: Præter enim quæstiones fidei, Episcoporum depositiones, grandioraque ac difficiliora negotia, pro Majoribus Causis haberi quoque vult Episcoporum translationes, easque idcirco ad Sedem Apostolicam de Jure, ait pertinere. Sunt hæc ejus verba relata primo libro Decretalium tit. 7. cap. 1. *Cum ex illo generali privilegio, quod Beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit, Canonica postmodùm manaverint instituta, continentia Majores Ecclesiæ Causas ad Sedem Apostolicam perferendas: Ac per hoc translationes Episcoporum, & Sedium mutationes ad Summum Apostolicæ Sedis Antistitem de jure pertineant: Nec super his quicquam præter ejus assensum debeat immutari, miramur quod L. Apamensem electum in Tripolitanam Ecclesiam transtulisti.* Arguit nempe Antiochenum Patriarcham (eo tempore scribens, quo Syriam Latini occupaverant) quòd inconsultâ Româ ejusmodi translationem celebrasset; Capite autem sequenti adjicit Episcoporum translationes ac depositiones *non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli Romano Pontifici esse reservatas.* Quæ quidem sententia, quia mira fortè parumque usitata eruditis videbitur,

quo tandem sensu ab Innocentio III. prolata hæc fuerit, accuratiùs paulò examinabimus, ubi de Episcoporum agetur depositionibus.

VI. In præsentiarum autem; siquidem aliud nihil moliri statutum erat hoc in capite, quàm varias Majorum Causarum acceptiones perstringere, satis erit, immo & plusquam fortasse satis, ea per transennam enarrare, quæ de Episcoporum translationibus Ecclesiastici Codices suppeditant: Quibuscum fortè Innocentii III. sententia nova non ita cohærebit.

Ac primò quidem nemo nescit quantùm ab Episcoporum translationibus Ecclesia olim abhorruerit. Non alia de re Concilia leges tulere, aut crebriores, aut etiam severiores. Concilium Nicænum Oecumenicorum antiquissimum Canone 15. districtè vetat ne Episcopus de Civitate in Civitatem transferatur. Idem dictum est à Concilio Antiocheno in Encæniis Can. 21. Concilium Sardicense districtiùs etiam egit Canonibus 1. & 2. Nam ne in fine quidem Laïca communione dignum haberi vult, qui à parva Civitate in aliam transiverit. Ac tandem Concilium Chalcedonense, ut alia omittam, leges omnes quæ hanc in rem editæ priùs erant Can. 5. sic firmat. *De his qui transmigrant de Civitate in Civitatem, Episcopis aut Clericis, placuit Canones qui de hac re à Sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.*

Iterandis toties eadem de re legibus occasionem fecit in primis Orientalium Episcoporum licentia,

qui vix coërceri aliquando potuerunt, quominûs ad majores pinguioresque sedes contenderent.

Alia longè fuit Occidentalium ratio: spectabiliſque præ cæteris visa est Ecclesiæ Romanæ constantia in retinendis antiquis Canonibus, queis Episcoporum translationes vetitæ fuerant. Eam quidem disciplinam sanxerat Leo I. Epistolâ 14. ad Anastasium Thessalonicensem: Cujus hæc sunt verba. *Si quis Episcopus mediocritate Civitatis suæ despecta, administrationem celebrioris loci ambiverit, & ad majorem plebem se quacunque ratione transtulerit, non solùm à Cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit, & propriâ: Ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit.*

Deinceps verò eandem disciplinam sic amplexi sunt Leonis successores, ut vix paucas translationes per plura secula toleraverint: immo nec licebat quidem ab alio Episcopatu transire ad Romanam Sedem. Nam & crimini datum Formoso legimus, quod à Portuensi Ecclesia ad Romanam Sedem transiviſſet; eamque ipsam ob rem illum jam defunctum à Sergio III. damnatum fuisse scribit Luitprandus lib. 1. cap. 8.

Galli quoque nostri eidem disciplinæ adhæsere, legemque hanc dixere sibi in Concilio 2. Arelatensi Can. 13. *nullus cujusque Ordinis Clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus, quacunque occasione faciente, propriam relinquat Ecclesiam.*

Attamen certos esse casus, ubi Episcopos transſ-

ferre non liceat modò, sed etiam quandoque juvet, nemo negaverit. *Quod enim in Canonibus legitur*, inquit Pelagius 2. Epistolâ ad Benignum Archiepiscopum, *non debere Episcopum de Civitate ad Civitatem transire, vel transferri, non de his dicitur qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut authoritate majorum hoc agunt: Sed de his qui avaritiæ ardore inflammati, sponte sua prosiliunt, & potiùs ambitioni quam utilitati Ecclesiæ servire, & ut dominationem agant insistere cupiunt.* Et certè Concilium Nicænum non quasvis translationes vetat, sed eas tantùm quæ fiunt *Præter Regulam.* Quare nec dubitarunt Patres ipsi Nicæni, Theodoreto teste lib. 1. cap. 7. Sanctum Eusthatium ab Ecclesia Berrhænsi transferre ad Sedem Philigonii apud Synodum defuncti. Hoc est ad Ecclesiam Antiochenam. Similiter Concilium Sardicense non tam consuetudinem damnat, quam *corruptelam:* Nec tam ipsas translationes improbat, quam vel *plura habendi cupiditatem, vel arrogantiam, vel tandem fraudes atque artes*, quæ in peragendis translationibus adhibebantur. Ac demum Concilium ipsum Chalcedonense Can. 20. legem de translationibus sic temperat: *exceptis illis*, hoc est Episcopis, *qui proprias amittentes Provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt.*

Itaque citra dubium est Episcopo licere toties ab una Civitate transire ad alteram, quoties Ecclesiæ bonum id postulat: atque id à viris & sanctissimis & præstantissimis olim usurpatum historici confirmant.

Verùm ambigitur penès quem sit, fuerit-ve olim ipsa transferendi potestas : An penès unum Episcopum Romanum, ut censet Innocentius III. An etiam penès alios, ut suadere magis videtur antiquitas.

Omissis enim Canonibus illis qui Ecclesiastica omnia negotia Synodis Provinciarum attribuunt: Ipse Pelagius 2. in Epistola sua prima ad Benignum Archiepiscopum, quæ tota est de translationum argumento, ipse, inquam, laudat refertque Canonem 18. Antiochenum, qui sic habet. *Si quis Episcopus ordinatus ad Parochiam minimè cui est electus accesserit, non suo vitio, sed quòd eum aut populus vitet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam : hic & honoris sit & ministerii particeps, dummodo nil molestus Ecclesiæ rebus existat, ubi ministrare cognoscitur. Quem etiam observare conveniet quidquid Synodus perfecta Provinciæ, quod visum fuerit, judicando decreverit.* Atqui Canon iste rem totam Synodi Provincialis judicio componi jubet; Si fortè repudiatus à populis Episcopus, vel ob aliam causam ne ad Parochiam suam accedat præpeditus, alicui alii Ecclesiæ addicendus sit.

Mens eadem fuit Ecclesiæ Africanæ, translationibus alioqui non parum infensæ. Ita enim Concilium Carthaginense 4. cap. 27. Translationum legem disciplinamque sanxit. *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat : nec quisquam inferioris Ordinis Clericus. Sanè si illud Ecclesiæ utilitas fiendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum & Laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi*

Synodi transferatur : Nihilominùs alio in loco ejus Episcopo ordinato. Inferioris autem gradus Sacerdotes, vel alii Clerici, concessione suorum Episcoporum possint ad alias Ecclesias transmigrare. In toto illo contextu nemo mentio fit quidem Ecclesiæ Sedis-ve Apostolicæ; sed jus omne translationum vel Synodis permittitur, si nempe transferendus sit Episcopus, vel singulis Episcopis, si Clericus inferior. Consonant istiusmodi legibus vetusta translationum exempla, quæ quidem ita celebratæ sunt, ut ne harum quidem conscius aut particeps fuerit Summus Pontifex.

Eusebius Cæsariensis translationum exempla duo refert : Alterum lib. 6. cap. 9. Alterum 7. lib. cap. 26. In priori loco narrat quo pacto Alexander Cappadociæ Episcopus ab Ecclesia cui præerat ad Ecclesiam Hierosolymitanam transierit : in posteriori, quemadmodùm Anatolius ab Ecclesia Cæsariensi ad Laodicensem : Utriusque verò translatio Cleri populorumque votis perfecta est.

Socrates lib. 7. cap. 35. refert reprobatque eorum factum qui Proclo obstiterant, quominùs ad Ecclesiam Constantinopolitanam transferretur. Reprobat, inquam, tum adducto in medium Canone Antiocheno jam ante laudato, tum allatis tredecim exemplis translationum olim usurpatarum à viris etiam Sanctissimis. In tredecim autem illis exemplis unica est omninò translatio quæ Episcopi Romani authoritatem præ se ferat, scilicet Perigenis, qui à Patrensi Ecclesia transiit in Metropolim

Corinthum : Quanquam jubere hanc potuit Romanus Pontifex jure Patriarchico, Patras enim & Corinthum, ambas Civitates Illyrici, Romano Patriarchatui obnoxias olim fuisse ne Græci quidem negaverint. Reliquæ vero duodecim, vel à Synodis, vel certè à Primatibus seu Patriarchis imperatæ erant : qualis exempli causa Silvani fuit, quem Atticus Constantinopolitanus Philippopoli Urbe Thraciæ ; ubi ob frigus nimium Sylvanus, exilis quidem vir corporis, durare non potuerat, Troadem ire jussit. Id enim dubio procul primaria sua authoritate præstitit Atticus, ut imperativa ejus verba satis indicant : eum enim ad Sylvanum sic alloquentem inducit Socrates. *Non est ulla tibi amplius excusatio, quominùs Ecclesiæ administrandæ curam suscipias : Nam Troas nihil habet algoris. Ecce tibi locum Amœnum quem Deus corporis tui imbecillitati paravit : ne cunctleris igitur, sed Troadem ire matures.*

Quod si ad Occidentales plagas transire libeat, ibi quoque translationes comperiemus Synodorum Episcoporumque authoritate fuisse celebratas. Illustre quidem exemplum, vel potiùs exempla illustria plura simul prohibet Concilium Toletanum 16. ad annum Christi circiter 693. Sisbertus Toletanus Episcopus contra Egicam Hispaniarum Regem conjuraverat : Is ob tale facinus à Concilio deponitur, ipsiusque dejectionis occasione plures Episcopi à suis Sedibus ad alias Sedes translati sunt : Qua verò authoritate ? doceant ipsa Patrum verba,

qui Concilio interfuere : *Unde nos*, inquiunt, *per hujus decreti nostri formulam sæpe dictum Sisbertum, secundùm edictum Priscum Synodicæ sanctionis, ac decretum de talibus promulgatæ legis, ab Episcopali ordine & honore dejicimus, à perceptione corporis & sanguinis Christi excommunicatum in exilio perpetuo manere censemus, in fine tantùm communionem per omnia percepturus : excepto si eum principalis pietas cum Sacerdotali conniventia, delegerit absolvendum :* pauciſque interjectis, *ob id nos cum consensu Cleri ac populi ad sæpe dictam Toletanam Sedem pertinentis, prædictum Venerabilem Fratrem nostrum Felicem Episcopum, de Hispalensi Sede quam usque hactenus rexit, in Toletanam Sedem canonicè transducimus, & in eadem Hispalensi Cathedra Fratrem nostrum Faustinum Bracarensis Sedis Episcopum, necnon & Felicem Portucalensis Ecclesiæ Antistitem in prafata Bracarensi Sede similiter Pontifices subrogamus, & perpetua sanctione unumquemque eorum in privatis Sedibus confirmamus.* Non poterat sanè clariùs tradi disciplina quâ Hispaniarum Ecclesiæ cum in deponendis, tum in transferendis Episcopis utebantur.

Non sic pervia est Gallorum vetus consuetudo. Ita quippe tenaces fuerunt ipsi legum à prioribus Conciliis editarum, ut vix aliquas fieri translationes passi sint apud se ad octavum usque nonumve seculum. Quid ipsi tamen senserint de jure seu de potestate transferendi colligere est, primò quidem ex Capitularium lib. 1. cap. 137. ubi lex hujusmodi ponitur : *Ne de uno loco ad alium transeat Episcopus,*

sine decreto Episcoporum, vel Clericus, sine jussione Episcopi sui. Tum etiam ex Epistola Hincmari 45. ubi de hoc argumento fusè ac præclarè disserit Hincmarus occasione translationis Actardi Nannetensis. *Si autem*, inquit, *causa certa necessitatis vel utilitatis exegerit, ut quilibet Episcopus de civitate, in qua ordinatus est, ad aliam civitatem transferatur Synodali dispositione, vel Apostolicæ Sedis consensione, apertissima ratione manifestum fieri debet, quia transfertur causâ fidei, non temporalis commodi: pro animarum lucro, non pro rerum temporalium quæstu, &c.*

Id quidem est discriminis inter utrumque textum, quod Capitularia transferendi potestatem tribuant solis Episcopis, nulla facta mentione Sedis Apostolicæ; Hincmarus autem distinctionem usurpet, faciendasque translationes innuat aut *Synodali dispositione*, ut ait, *aut Sedis Apostolicæ consensione.* Neque verò diffiteri possumus quin Romani Pontifices translationibus se tandem immiscuerint quæ in Galliis celebratæ sunt: Atque ita quidem, ut Episcoporum judicio suum aliquando consensum adhiberent; aliquando renitentibus etiam Episcopis ultrà pergerent, freti non rarò Principum Regumque gratiâ, quæ ut in electionibus, ita & in translationibus sæpe prævaluit. Vulgata duo, sed illustria tamen exempla refero, quæ id confirment.

Prius erit Actardi Nannetensis Episcopi, qui à Brittonum tyrannis è Nannetensi civitate pulsus,

in Morinensem Ecclesiam primò, tum in Turonensem translatus est. Factum sic narrat Hincmarus in Epistola jam laudata. *Postea autem à Salomone tyranno eundem Actardum à Civitate sua expulsum in vacante Morinensi Ecclesia Concilii consensu concessit aliquandiù immorari*, loquitur de Carolo Calvo Rege, pergit: *donec petentibus Clero ac plebe Provinciæ Turonensis, & cohibentibus Episcopis ad Provinciam suam rediit, & à Pontifice Apostolicæ Sedis in vacante Metropoli fuit incardinatus.* Priorem translationem factam esse dicit à Rege Concilii consensu: Posteriorem à Summo Pontifice cohibentibus etiam Episcopis: Verum ne hæc quidem facta videtur absque Episcoporum consensu: Sic enim loquitur Adrianus ipse II. in Decretali sua Epistola, quam de Actardi translatione scripsit ad Episcopos Synodi Duziacensis. *Sicut Synodus expostulavit, plebs & Turonicus Clerus eum concorditer elegit, per nostræ Apostolicæ authoritatis decretum constituimus Cardinalem Metropolitanum & Archiepiscopum Turonicæ Ecclesiæ atque Provinciæ.* Idem repetit Adrianus in Epistola quam eodem de argumento scripsit ad Carolum Calvum: Ex qua præterea constat hujusmodi translationem ab ipso Rege fuisse expetitam.

Eodem ferè tempore iisdemque ferè de causis, vastatâ scilicet à Northmannis Aquitaniâ, transiit Frotarius ab Ecclesiâ Burdegalensi ad Pictavensem, ac deinceps ad Bituricensem. Factum id quidem erat *favore Principis & contra regulas*, ut

legitur in prima Sessione Concilii Pontigonensis: Atque hinc fortè Concilium rogavit Frotarius, uti translationem suam ad Ecclesiam Bituricensem approbaret: Nam, ut est in 7. Sessione hujus Concilii, *lecta est proclamatio Frotarii Burdegalensis Archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem Paganorum in Civitate sua, ut liceret ei Bituricensem Metropolim occupare. Cujus petitionibus unanimitas Episcoporum nullatenùs acquievit.* Verùm quod obtinere à Concilio non potuit, id nihilominùs tum favore Caroli Calvi, tum Joannis VIII. authoritate assecutum esse patet è Joannis ipsius Epistolis quas ea de re scripsit ad Carolum Imperatorem, necnon ad Episcopos Provinciæ Bituricensis, & ad Clerum plebemque Bituricensem: Quanquam in eis sic loquitur, ut condonare se translationem istam significet, non petitioni modò Caroli Imperatoris, sed & precibus tum Episcoporum Provinciæ, tum Cleri plebisque Bituricensis. Nam in Epistola ad Episcopos Provinciæ Bituricensis hæc scribit. *De quorum numero* (qui nempe & verbo & exemplo erudire valeant) *quia Frotarius Burdegalensis dudum Antistes, ut testatur vestra Fraternitas, extat: necessariò duximus eumdem virum alii Ecclesiæ præponendum & incardinandum, Bituricensi scilicet, &c.* in Epistola autem ad Clerum plebemque Bituricensem hæc habet, *suggestionis vestræ relegentes Epistolam, quod ab Apostolatus nostri authoritate de confratre nostro Frotario reverendo Archiepiscopo postulant, &c.*

Ex quibus quidem colligere est Romanos Pontifices Episcoporum translationes in Galliis non authoritate sua sola, initio, & motu proprio, ut aiunt, imperasse: Sed, ne ab Ecclesiæ regulis discedere longiùs viderentur, prærequiri etiam voluisse Cleri plebisque vota, necnon & Metropolitanorum authoritatem adhiberi. Atque ita deinceps in Galliis usurpatum esse confirmat Ivo Carnotensis in Epistola 146. quæ scripta est ad Daimbertum Senonensem Archiepiscopum de translatione Galonis Bellovacensis ad Ecclesiam Parisiensem, cui Rex Philippus tandem consensserat. Ivonis Epistolam integram describere hîc placet, quoniam qui translationum ritus tunc erant apud Gallos, graphicè ibi depingitur. *Notum facimus vestræ paternitati quod Clerus & populus Parisiensis Ecclesiæ voto & voce Domnum Galonem, Belvacensi Ecclesiæ consecratum, in Episcopum elegerunt, & ipsam electionem cum litterarum adstipulatione missis ex Clero idoneis personis prædicto Episcopo præsentes, ut Pastoralem prædictæ Ecclesiæ curam susciperet, humiliter & devotè petierunt. Sed quia translationes Episcoporum necessitate urgente Metropolitani authoritate & Summi Pontificis dispensatione fieri oportet; nos quantum in nobis est eidem electionem assensum præbentes, paternitati vestræ suggerimus, quatenùs eidem electioni adstipulando, à Domno Papa postuletis, ut prædictum Episcopum per manum vestram transferri præcipiat, cum propriam Sedem obtinere non valeat. Ita enim & vestrum ministerium honorificabitis, &*

Ecclesiæ desolatæ solatium præbende, eligentium, & electi devotionem vobis arctius adstringetis; & in hoc Concilium vobis damus, ne si alio exitu res proveniat, Ecclesiæ vestræ dignitas in aliquo minuatur, & mutua charitas non tam firmo vinculo colligetur.

Ex his omnibus, quæ de translationum jure huc usque disserui fas est concludere translationes factas esse olim Synodorum ac Metropolitanorum, quandoque etiam Primatum, seu Patriarcharum authoritate, ne consulto quidem Romano Pontifice. Quare ubi Innocentius III. translationes Episcoporum censet inter Majores Causas, vel novo jure innititur, quod certè divinum non est, vel Causas Majores latiori quadam ratione usurpat, & minùs accurata.

VII. Non exquisitè magis locutus videtur Alexander IV. qui duce Innocentio IV. controversias quæ oriuntur in Episcoporum electionibus majoribus etiam causis accensuit. Certum est enim causarum ejusmodi cognitionem antiquo jure pertinuisse ad Metropolitanos Synodosve Provinciales, vel tandem ad eos quibus electionum confirmatio competebat. Alexandri IV. Constitutionem sic laudat Gregorius X. in sexto. lib. 1. tit. 6. cap. 10. *Quamvis constitutio Felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædecessoris nostri causas electionum Episcopalium, seu super electionibus Episcoporum exortas non immeritò Majoribus Causis annumerans, cognitiones ipsarum per appellationes quaslibet devolvi asserat ad Apostolicæ Sedis examen: Nos tamen, &c.* Constitutionem quidem

quidem istam quodammodò temperat Gregorius.

X. Verùm non emendat omninò; immò probat eam potiùs, qua parte asserit Majoribus Causis annumerandas esse illas quæ super electionibus Episcoporum oriuntur. Ubi tamen observari velim Causas Majores ab Alexandro IV. etiam vocari illas, quæ per appellationem ad Sedem Apostolicam devolvuntur; neque enim alio modo causas è dubiis electionibus oriundas Apostolicæ Sedis vindicat examini.

VIII. Bonifacius VIII. Majorum Causarum notitiam ultra etiam amplificat eodem in sexto. lib. 3. tit. 5. cap. unico; ubi, quod Episcopis adjutores dentur, id quoque vult ad Majores Causas attinere. *Pastoralis*, inquit, *officii debitum exequentes, declaramus atque statuimus Coadjutorum Episcoporum, & Superiorum Prælatorum dationem intelligendam esse de Causis Majoribus, & referendam ad Sedem Apostolicam, ac ab ea (consuetudine non obstante contraria) tantummodò postulandam.*

IX. Rogabit fortè aliquis, nec immeritò, quibus tandem gradibus evecta sit Coadjutorum datio (sic enim loquitur Bonifacius) ad Majorum Causarum dignitatem & ordinem. Etenim liberum olim erat Episcopis, ubi ob valetudinem, vel aliquam aliam causam impares se sentiebant Sacerdotali muneri exequendo, ascisere sibi adjutores qui onus, ejusve partem sustentarent: Eumque usum ut ubique, ita & apud Gallos viguisse probat, vel unus Canon, postremus nempe Concilii Arausica-

ni. I. qui sic habet. *Post omnia occurrit de imbecillitatibus fragilitatis humanæ, ut si quis Episcopus in infirmitatem debilitatemve aliquam & hebetudinem sensus incidit, aut officium oris amiserit, ea quæ nonnisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua Presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, cui, quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat.*

Siquidem licet in re paulò delicatiori aperire quid sentiam: Ita mihi factum videtur ut Romani Pontifices postulandos à se Coadjutores tandem evicerint. Coadjutores olim assumebant Episcopi nulla spe data futuræ successionis: ita enim cautum erat Canonibus, ne qui Episcopi successores sibi designarent: qui contra tentabant, eos coërcebat Romanus Pontifex, ut Canonum quidem Ecclesiasticorum Primarius vindex. Deinceps tamen, quòniam Romani Pontifices, annuente forsan Ecclesia, Canones non exequi modò, sed etiam interpretari, immò & ab eis quoque dispensare aggressi sunt, Coadjutores ipsi, ægrè quidem initio, dederunt, cum spe aliqua successionis: tum verò aliquantò faciliùs: tandemque unis sibi jus fecerunt dandorum Coadjutorum. Oeconomiam hanc docet Zacharias in Epistola ad Bonifacium Episcopum. Consuluerat hic Zachariam de variis Capitibus, ac nominatim de successore sibi ante obitum designando: Ad hoc sic respondit Pontifex. *De eo autem quod tibi successorem constitui velle dixisti, ut te vivente in loco tuo eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur. Quia contra omnem Ecclesiasticam*

regulam, vel institutа Patrum esse monstratur. Sed volumus ut tibi ministret, & sit in Evangelio Christi adjutor dicente Apostolo, &c. Pauciſque interjectis: *Sin autem & eundem divina voluerit clementia post tui diem transitus superesse, si eum aptum esse cognoveris, & in tua voluntate fuerit definitum; eâ horâ quâ te de præsenti sæculo migraturum cognoveris, præsentibus cunctis tibi successorem designa, ut hùc veniat ordinandus. Hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus.*

En certè depicta ratio, quâ Romani Pontifices dare ſenſim aggreſſi ſunt Coadjutores cum ſpe futuræ ſucceſſionis. Nec abſimili forſan Epiſcoporum tranſlationes, quas vetabant Canones priſci, necnon & controverſias quæ oriebantur ex Epiſcoporum electionibus, in quibus fortè peccatum erat contra Canones, ad Sedem ſuam, veluti Majores Cauſas attraxerunt.

Hæc eſt ferè Cauſarum Majorum notitia, quæ tota quidem è monumentis Romanorum Pontificum, atque ex ipſo jure Pontificio deprompta eſt.

X. Galli noſtri diverſam aliquatenùs Majorum Cauſarum ideam tradidere. Neque enim Cauſæ Majores apud eos ſtatim dictæ ſunt quæ de rebus Majoribus ac præſtantioribus eſſent, ſed quæ obſcuritatis plus haberent ac difficultatis: quare tum tandem Apoſtolicam Sedem adeundam, ejuſque conſulenda oracula exiſtimarunt, cum aliunde lux non affulgeret, rationeſque vulgò uſurpatæ minimè ſufficerent.

Exploratum istud fit ex libello proclamationis Ecclesiæ Remensis adversùs Ludovicum Germaniæ Regem Carolo Imperatori & Legatis Summi Pontificis oblato in Concilio Pontigonensi. Ita enim habet. *Paternis Magisteriis instruimur, ut si quæ majora negotia, vel Majores Causæ exortæ fuerint, ad Sedem Apostolicam, prout authoritas docet, & mos antiquus obtinuit, semper referantur. Ideóque quia Imperialem excellentiam vestram Synodo præesse, & Vicarios Sedis Apostolicæ præsto nobis adesse gaudemus, calamitates & miserias Ecclesiæ nostræ, ac filiorum nostrorum, quas hoc anno ab Ludovico Rege, itemque Ludovico filio ejus, & complicibus eorum, cædes videlicet, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, sacrilegia, & cætera flagitia, quæ nullus enumerare potest Ecclesia nostra perpessa est, vestræ serenitati innotescimus, obsecrantes ut pro Dei omnipotentis amore, & pro ingenita vobis benignitate, ac pro ministerio impositio, nobis & Ecclesiæ nostræ ac filiis nostris, secundùm promulgatam omnibus vestram sapientiam, consulatis pariter ac succurratis: ne de cætero talia ac tanta mala Ecclesia nostra ac regnum patiatur, qualia hactenùs passum est.* Ibi quidem veluti Causæ Majores proferuntur calamitates illæ grandiores, quas à Ludovico ejusque filio Remorum Ecclesia perpessa erat.

Gerson id etiam expositit clariùs; primò quidem in tractatu quem inscripsit, *An liceat in causis fidei à Summo Pontifice appellare.* Ubi sextam suam propositionem hanc facit, *In causis fidei illa causa dicitur*

major esse, non quæ est de re majori, sicut de Trinitate & Unitate Personarum, sed quæ difficilis est & ambigua ad determinandum, juxta textum Scripturæ Exodi 18. Deuteron. 17. & 2. Paralipp. 19. in quibus fundantur Canones dicentes, quod Causæ Majores fidei sunt ad Sedem Apostolicam referendæ: Tum septimam propositionem componit his verbis. *In causis fidei poterit una causa dici major apud aliquem Episcopum, vel Diœcesim quæ apud alium Episcopum, vel Diœcesim non reputabitur esse Major, vel ad Superiorem sicut ad Papam remittenda: Quia scilicet apud talem Episcopum vel Diœcesim propter abundantiam Theologorum causa talis non reputabitur difficilis vel ambigua, sed per Sacram Scripturam jam damnata vel approbata.*

Non absimilia docet idem Gerson in alio tractatu quem inscripsit. *De examinatione doctrinarum*, consideratione 3. *Pro quo sit secunda veritas*, inquit, *distinctione præmissa, quod aliquæ sunt doctrinæ palàm hæreticales apud omnes: aliæ dubiæ simplicibus, sed manifestæ sapientibus & peritis: tertiæ veluti neutræ, habentes pro se Doctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus: nec in una tantum Diœcesi, vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longè plurimos. Est ergo veritas, quòd in primis & secundis authoritas inferiorum Prælatorum se extendit, & ad suos tantummodò: in tertiis verò nequaquam, quoniam meritò dicuntur Majores Causæ fidei propter difficultatem decisionis cum periculo scandali: ideò sunt ad Sedem Ecclesiæ, vel ad sedentem in ea referendæ, juxtà istud: si quid*

ambiguum vel difficile, &c. vocans causam grandem non ratione materiæ, sed ambiguæ difficultatis interminatione: cujus distinctionis ignorantia vel dissimulatio culpabilis non paucos depulit in errores, scandalosaque judicia contra ordinariam & Doctoralem potestatem nostra tempestate.

Hac notione imbuti excipiebant fortè jam diù Galli adversùs Nicolaum I. negabantque Episcoporum Causas Majoribus accenseri; utpote cum rarissimè difficultatem eam conjunctam habeant quæ à Comprovincialibus superari non possit.

Quanquam autem notitia hæc Majorum Causarum strictior paulò videatur, ejus tamen extat fundamentum in Scriptura Sacra Deuteron. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, &c.* Neque certè abhorret à doctrina Leonis IV. in Epistola ad Episcopos Britanniæ, quæ ante laudata est; ubi tum tandem conveniendum esse Summum Pontificem statuit, ubi inusitatum aliquod negotium occurrit, quod ab Episcopis, juxta consuetas Ecclesiæ regulas, finiri non possit.

XI. Ut ut sit, nolim ego pugnare hîc de nomine aut notione Causarum Majorum, quemadmodùm nec earum numerum angustiùs præscribere. Perinde est enim ad instituti mei rationem pluresne, an pauciores illæ sint; hujus, an illius naturæ. Quoniam tamen dissertatio hæc mea terminis quibusdam continenda est, hæ ipsæ Causæ Majores mihi erunt, quæ sic à Romanis Pontificibus insignitæ sunt. Atque ita suppono Majores Causas esse

censendas, non modò fidei causas, depositiones Episcoporum, & quæstiones ambiguæ disciplinæ, ut Innocentius I. vetereſque alii Pontifices docuere; sed etiam Episcoporum translationes, controversias quæ ex Episcoporum electionibus oriuntur, & Coadjutorum institutiones, ut placuit recentioribus.

Taceo enim de Causis Regularium exemptorum, ut aiunt, ordinumque integrorum qui à Summis Pontificibus leges accepere, atque ab his unis pendere volunt. Quanquam enim non diffitear Causas ejusmodi aliquandò ad Summum Pontificem referendas, præsertim si ad ordinem integrum in variis Ecclesiæ partibus, dissitisque in Provinciis vigentem spectent; ut Rex Christianissimus pro suâ pietate Cistertienses nuper de Carnium usu in Consistorio Regio decertantes Romam ire jussit: nefas est tamen mihi Causas istas Majoribus accensere, quandiù eas in jure, aut in Canonibus eo nomine donatas minimè comperiam.

ARTICULUS II.

Status quæstionis proponitur, quis nempe modus sit finiendi Causas Majores in Galliis? qua de re generatim agitur, variorum variis allatis opinionibus.

SYNOPSIS.

I. *NON ut omnium Ecclesiarum una est fides, ita una est & similis disciplina.*

II. *Fixa est & determinata ratio apud Gallos agitandi Causas quas Majorum albo inscripsere posteriorum temporum Pontifices; nempe translationes Episcoporum, controversias quæ ex ipsorum electionibus oriuntur, & Coadjutorum designationes.*

III. *Ambigitur de Causis Majoribus primæ Classis, hoc est de causis fidei, de causis disciplinæ ancipitis, & de gravioribus judiciis Episcoporum.*

IV. *Aperitur via resolvendi ejus dubii: in quo quidem disputatio tota versabitur.*

I. TAMETSI omnium qui sub Christi signis militant symbolum sit unum, unaque tessera, una scilicet, eademque fides; *quæ sola immobilis est & irreformabilis*, ut habet Tertullianus: Non una est tamen fidelium omnium institutio, unave omnium disciplina: sed in his quæ ad mores attinent, quæque jure divino sancita non sunt, nationes aliæ aliam sæpenumerò iniere vivendi formam, aliasque sibi leges præstituêre. Immò verò nequidem una eademve particu

particularis Ecclesia sibi semper constitit, iisdemque semper moribus usa est: sed pro ratione temporum suos plerumque mutavit ritus, contrariamque aliquando disciplinam amplexa est.

Ista autem varietas adeò culpanda non est ab aliquibus, ut potiùs ab omnibus maximè laudanda sit: quæ nempe alicubi à viris ipsis Apostolicis Ecclesiarumque fundatoribus ducit originem: ubique verò ad Ecclesiæ, dilectæ Christi sponsæ, ornatum non parum confert. Hinc est quod Sanctus Hieronymus Lucinium olim sic affabatur Ep. 28. *Illud breviter te admonendum puto traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt: Nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subverti.* Idem habet Gregorius Magnus lib. 1. Epist. 75. ad Episcopos Numidiæ. Et sanè priora quatuor Concilia generalia antiquas Ecclesiarum consuetudines partim legibus latis, partim factis, & judiciis peculiaribus vindicarunt.

Mirum itaque videatur nemini, si de disciplinæ capite, puta de Majorum Causarum judiciis acturus, Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem investigem, non Ecclesiarum universarum. Habet enim in primis Ecclesia Gallicana suos mores, suasque traditiones, eò quidem retinendas magis, quod fortuitæ ac temerariæ non sint, sed Canonibus ipsis antiquis, veterumque Patrum sententiis innixæ ac fundatæ. Etenim libertates suas quæ ab istiusmodi traditionibus nihil distant, non alia ratione tuetur

Gallia, quàm antiquo & communi Jure: Nec, si qui fortè illas violare tentent, aptius habet aliquid quod eis objiciat, quam eximium Gregorii Magni dictum: *Si Canones non custoditis & Majorum vultis statuta convellere, non cognosco vos.* Est autem eò Gallia tenacior suarum consuetudinum, quòd probatas diu illas intelligit ab eodem Sanctissimo Pontifice in responsionibus ad interrogata Augustini Cantuariensis Episcopi. Tertia interrogatio Augustini hæc erat; *cur, cum una sit fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ, & altera consuetudo Missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur?* Sic autem respondit Gregorius: *Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam: sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicana, seu in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plùs omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas.* Alexander III. Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem etiam ævo suo comprobavit in Epistola ad Ambianensem Episcopum, ubi frigidorum solvi conjugium patitur ex more Gallorum, quanquam Ecclesia Romana talem re ipsa consuetudinem non haberet.

Quæro igitur, atque hic est dissertationis hujus finis & scopus, QUÆ SIT IN PRÆSENTIARUM RATIO FINIENDI CAUSAS MAJORES IN GALLIIS? Quoniam autem Causarum Majorum genus est multiplex, nec una est finiendarum omnium ratio: solvenda est quæstio de singulis: quæque certa sunt & explorata à dubiis & incertis priùs distinguenda sunt.

II. Fixa est apud Gallos determinataque ratio agitandi Causas illas quas Majorum albo inscripsere posteriorum temporum Pontifices, puta translationes Episcoporum, controversias quæ ex ipsorum electionibus oriuntur, & Coadjutorum institutiones. Nam una lex Concordatorum, quæ viget in Galliis, isthæc omnia videtur composuisse, ubi Episcoporum nominationem Regi Christianissimo, institutionem verò Apostolicæ Sedis commisit Pontifici.

De translationibus quidem, certum est pendere illas vi Concordatorum partim à Rege Christianissimo, partim à Romano Pontifice: ita ut Episcopi transponendi designatio ad Regem spectet, institutio ad Pontificem. Nam ut Rebuffus docet in interpretationibus Concordatorum ad Cap. *De Regia ad Prælaturas nominatione facienda*, verbo *vacantibus*: quacunque ratione vacent Episcopatus in ditione Regis Christianissimi, ipsius est nominare Episcopos vi Concordatorum, uno tantum excepto casu, quem ipsa Concordata memorant, puta, si fortè vacent per obitum in curia. Cæteris enim reservationibus in jure contentis, quarum in Concordatis mentio facta non est, planè derogavit Pontifex.

De controversiis autem quæ oriuntur ex Episcoporum electionibus: siquidem per legem Concordatorum electiones abrogatæ sunt, sublata est quoque jurgiorum ansa, quæ inde nascebantur. Quòd si tamen contingeret nominari aliquem à

Rege Christianissimo minùs idoneum, quid facto usus tum foret sic statuunt Concordata. *Et si contigerit*, loquitur Summus Pontifex, *præfatum Regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, nos & successores, seu sedes hujusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minimè providere debeat, sed teneatur idem Rex infra tres alios menses à die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ solicitatori nominationem non qualificatam prosequenti consistorialiter factæ intimandæ computando, alium supra dicto modo qualificatum nominare: alioquin, ut dispendiosæ Ecclesiarum hujusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacanti per nos & successores nostros, seu Sedem hujusmodi, de persona, ut præfertur, qualificata, necnon Ecclesiis per obitum apud Sedem prædictam vacantibus, semper, etiam nulla dicti Regis præcedente nominatione, liberè provideri possit.*

Tandem de Coadjutorum designationibus tacent quidem Concordata: atque hinc in errorem adductus Rebuffus videtur. Postquam enim hanc statuit regulam ex Concordatis; quomodócunque vacet Episcopatus in Regno Franciæ & Delphinatu, Regis esse nominare, ita subjungit: *fallit quando Episcopus esset captus à Schismaticis, vel à Turcis: tunc Papa poterit dare Coadjutorem sine Regis nominatione, cap. si Episcopus, de supp. neglig. Prælat. in 6. quia non verè vacat Episcopatus, & vacantibus tantùm Rex nominat. Item si Episcopus valetudine perpetua, vel morbo detineatur, vel alio modo;*

Papa sine Regis nominatione Coadjutorem dabat, cap. uno §. Si autem, de Cler. ægrot. in 6. Crediderim tamen locutum fuisse Rebuffum de Coadjutoribus qui dantur sine spe futuræ successionis: quo quidem sensu tolerari utcumque potest ejus opinio, quanquam innixa tantum locis quibusdam 6. lib. Decretalium, quos adducit, quosque non ita magni facimus.

Quod si autem sermo sit de Coadjutoribus qui dantur cum securitate futuræ successionis, planè audiendus non est Rebuffus: Neque ipsius ratio quicquam probat, scilicet quod Episcopatus tunc nondum vacet, quando Coadjutor datur. Etenim quando Coadjutor datur cum securitate futuræ successionis, licet re ipsa nondum vacet Episcopatus; ut vacaturus tamen consideratur, atque ut vacaturo providetur Episcopus. Et certè si posset Romanus Episcopus hujusmodi Coadjutores dare absque nominatione Regis Christianissimi, accideret facilè, ut jure omni nominandi Sedibus quibusvis vacantibus frustraretur Rex Christianissimus: puta si quis fortè Papa Episcopis Coadjutores promiscuè dare in animum induceret. Ea enim cavillatione Concordatis illuderetur, jusque illud nominandi evanesceret, quod Christianissimo Regi Concordatorum lege partum nemo non fatetur. Sed nec adeò iniquè concordata interpretantur ipsi Summi Pontifices: Verùm eos demùm Coadjutores in Franciæ Regno instituunt, qui à Rege Christianissimo, postulantibus quidem Episcopis, fuêre nominati.

Constat igitur, neque est quisquam qui refragari possit, genera hæc tria Causarum Majorum, puta Episcoporum translationes, controversias quæ ex Episcoporum electionibus oriuntur, ac tandem Coadjutorum dationes (eas enim omnes, fugiendæ litis gratiâ, Majores quoque vocari à recentibus permisimus) constat, inquam, tria hæc genera nullum jam negotium facessere; positaque semel Concordatorum lege, certam quoque rationem adesse finiendi ejusmodi Causas apud Gallos.

III. Verùm ambigitur de Causis Majoribus primæ classis, ut ita dicam, hoc est de tribus illis generibus quæ ab antiquitate magis commendata sunt; puta de causis fidei, de judiciis ac depositionibus Episcoporum, déque quæstionibus exploratæ minùs disciplinæ. Sunt enim qui earum quoque finiendarum rationem præscriptam esse velint in Concordatis, eo nempe in capite quod inscriptum est De Causis: alii plane inficiantur.

Qui volunt eo in Capite præscriptam esse formam judicandi ac finiendi Causas Majores quibusde agimus, ad eam ferè clausulam advertunt, *exceptis Majoribus in jure expressè denominatis:* eâ enim ipsâ legem contineri affirmant quæ modum statuit finiendi Causas Majores, si quæ tales deinceps in Regno Franciæ, Delphinatu, & Comitatu Diensi extiterint. At ne hi quidem simili modo legem, quam contendunt latam, interpretantur; sed in oppositas planè diversasque sententias abeunt. Quidam enim tali clausula uni Summo Pontifici

Majorum Cauſarum cognitionem omnem reſervari putant, habendam quidem, vel Romæ per ſe, ut videtur aliquibus, vel ut minimùm in partibus per delegatos, ut aliis magis placet. Alii autem ejuſmodi clauſulam ſic explicant, ut nolint quidem eâ Majorum Cauſarum cognitionem Summo uni Pontifici reſervari, ſeu habendam Romæ, ſeu in partibus; quod utrumque à Gallorum libertatibus abhorrere confitentur: verùm edici ſolummodò, Cauſas Majores ejus eſſe conditionis, ut finiri omnino in partibus non poſtulent, ſed communicari eas poſſe, immò & debere aliquando Summo Pontifici: viâ ſcilicet aut conſultationis, aut relationis, aut etiam appellationis, ut varia ferte fert Majorum Cauſarum indoles & natura: qua parte quidem, inquiunt iſti Majores Cauſas Concordata ſecernunt à levioribus, quæ, ut habet iſtud caput, *apud judices in partibus finiri debent ac terminari.*

Quod autem ad eos ſpectat qui hoc in capite ſtatutum eſſe negant quicquam de Cauſis Majoribus; iſti quidem ſic cenſent: nempe de ſolis Cauſis levioribus legem in Concordatis latam contendunt; quippe cum de his unis, inquiunt, neutiquam verò de Majoribus tum temporis diſceptaretur Curiam Romanam inter & Francorum Regnum. Quare, ex eorum ſententia, non alium ob finem clauſula iſta, *exceptis Majoribus, &c.* appoſita eſt, quàm ut ſignificaretur intactas manere Cauſas Majores: earumque proinde finiendarum rationem,

non aliam deinceps futuram esse, quàm quæ ante in Galliis valuerat.

IV. Idipsum autem examinare diligentiùs propositum est mihi: atque ideò dissertationem hanc de Causis Majoribus inscripsi AD CAPUT CONCORDATORUM DE CAUSIS. Etenim si Concordata modum aliquem fixerint agitandi Causas Majores apud Gallos, utique res brevi confecta erit: Nam huic nos adhærere prorsus conveniet, siquidem eâ jam lege vivimus. Sin è contrario intactæ sunt Concordatorum lege Majores Causæ, neque aliud jus novum ea de re invectum est; scrutari nos oportebit, quæ ante Concordata vigebat ratio finiendi illas in Galliis; eaque retinenda erat citra dubium; nisi fortè nova lex aliqua Concordatis ipsis recentior edita sit, qua Galli teneantur, vel usus fortè contrarius invaluerit. Atque hac in re discutienda, studii quoque nostri pars aliqua, si Deus optimus dabit, versabitur.

ARTICULUS III.

An Concordata inita Leonem X. inter & Franciscum I. novi aliquid juris statuerint circa modum finiendi Causas Majores in Gallis, Cap. *quod inscribitur* DE CAUSIS.

SYNOPSIS.

I. REFERTUR *caput* DE CAUSIS *ut in Concordatis jacet.*

II. *Examinatur quæ sit sententia legis sancita hoc in capite: quæ quidem lex cum, ne mutatis quidem verbis, descripta sit, cum è Pragmatica Sanctione, tum è Consilio Basileensi ubi lata primùm fuit, ejus mens requirenda videtur à Patribus Concilii Basileensis; quos quidem si audias, de Minorum tantùm Causarum reformandis judiciis cogitasse ipsos intelliges: siquidem de Majoribus Causis tum temporis nihil movetur.*

III. *Non alia mens ejusdem legis in Pragmaticâ Sanctione & in Concordatis quærenda: atque ita clausula excipiens Causas Majores eò tantùm adhibita est, ut significaretur caput istud* DE CAUSIS *nihil pertinere ad Causas Majores.*

IV. *Quanquam verò detur clausula excipiente Causas Majores, etiam determinari rationem earum finiendarum in Gallis; id certè conficietur unum, scilicet Causas Majores non esse omnino finiendas in partibus, absque relatione vel appellatione ad Summum Pontificem, sicuti Minores Causas finiri posse edicitur.*

V. *Reprobatur eorum opinio qui caput* DE CAUSIS *sic interpretantur, ut vi clausulæ adhibitæ Majorum Causarum cognitionem etiam primam ad unam Sedem Apostolicam velint pertinere.*

VI. *Amovetur difficultas mota ab aliquibus, quòd in Concilio Basileensi, & in Pragmatica Sanctione Majores Causæ eadem classe comprehendi videantur cum Causis electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum, quas immediata subjectio ad Sedem Apostolicam devolvit.*

VII. *Illustrissimi Marcæ opinio excutitur, qui lib. 7. de Concord. Sacerd. & Imp. docere visus est Episcoporum saltem depositiones ex lege Concordatorum immediatè subjiciendas esse Summo Pontifici.*

I. CAPUT de Causis sic in Concordatis jacet. *Statuimus quoque & ordinamus quòd in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes & singulæ causæ*, exceptis Majoribus in jure expressè denominatis, *apud illos judices in partibus qui de jure aut consuetudine præscripta, vel privilegio illarum cognitionem habent terminari & finiri debeant. Ac ne sub umbra appellationum, quæ nimium, & nonnunquam frivolè interponi consueverunt, atque etiam eâdem instantiâ ad prorogationem litium sæpe multiplicari, injustis vexationibus materia præbeatur: volumus quòd si quis offensus coram suo judice iustitiæ complementum habere non possit, ad immediatum superiorem per appellationem recursum habeat: nec ad aliquem Superiorem, etiam ad nos & successores nostros vel Sedem prædictam, omisso medio. Nec à gravamine in quacunque instantia, ante diffinitivam sententiam quomodòlibet appelletur, nisi forsitan tale gravamen extiterit, quòd in diffinitiva reparari nequiret, & eo casu non nisi ad immediatum superiorem licet appellari. Si quis verò immediatè subjectus Sedi Apostolicæ,*

ad eandem Sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum, usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem inclusivè, si ab illis appellari contigerit. Nisi propter defectum denegatæ justitiæ, aut justum metum: & tunc committi debeat in partibus convicinis, & cum causarum expressione. Quæ etiam de illis legitimè aliàs quàm per juramentum coram iudicibus à Sede Apostolica deputandis, constare debeat, &c.

II. Quanquam dissertatio hæc tota inscripta sit *ad Caput Concordatorum de Causis*; veruntamen capitis ejus tractatio propria magis erit hujus articuli, ubi sententiam legis capite isto comprehensæ peculiari studio ac de industria magis examinabimus. Hanc autem ut assequamur faciliùs.

Observare juvat ante omnia sancitam hoc in capite legem nihil differre ab ea quæ de Causis edita erat in Pragmatica Sanctione; immò utramque iisdem ferè terminis comprehendi; ex quo judices facilè non absimilem quoque utriusque mentem extitisse.

Observandum est insuper quod & Pragmaticæ Sanctioni, & Concordatorum legi præluxerat Concilium Basileense Sessione 31. ubi conditum est primò decretum de Causis: quod non tam imitatum deinceps, quam exscriptum videmus in Pragmatica Sanctione & Concordatis; adeò ut non tres leges sed una potiùs eademque censenda sit, cujus authores Primarii fuêre Patres Basileenses.

Itaque hujusce legis mentem assequi non potest

quis fœliciùs; quàm si primorum ejus authorum sententiam intelligat. Unde verò intelligatur meliùs quæ ratio moverit Basileenses Patres ad ipsam condendam, quam ex ipsis eorum verbis, atque ex ea veluti dispositione quam decreto præmisêre? sic autem præfantur ipsi, Sessione 31. *Sacro-sancta generalis Synodus Basileensis in Spiritu Sancto legitimè congregata universalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam. Ecclesiasticæ solicitudinis studium jugiter invigilare convenit, ut fraterna charitas in Clero ac populo Christiano vigeat; nec quisquam per vexationes & afflictiones indebitas proximum suum opprimere permittatur: sicque justitia ordine debito cuilibet ministretur, ut & viris dolosis auferatur nocendi licentia, & quies ac tranquillitas rectorum non facilè perturbetur. Inoleverunt autem hactenus intolerabilium vexationum abusus permulti, dum nimiùm frequenter à remotissimis etiam partibus ad Romanam curiam, & interdum pro parvis & minutis rebus ac negotiis quàm plurimi citari & evocari consueverunt, atque ita expensis & laboribus fatigari, ut nonnunquam commodiùs arbitrentur juri suo cedere, aut vexationem suam gravi damno redimere, quàm in tam longinqua regione litium subire dispendia. Sic facile extitit calumniosis opprimere pauperes, sic beneficia Ecclesiastica plerumque minùs justè per litium anfractus obtenta sunt, dum justis possessoribus eorum, seu quibus illa de jure competebant, neque opes, neque facultates in illos sumptus sufficere poterant, quos longinqua profectio ad Romanam curiam, & litis agitatio in ea-*

dem depoſcebant. Confunditur etiam exinde ordo Eccleſiaſticus, dum Ordinariis judicibus ſua juriſdictio minimè ſervatur, pecuniæ & facultates regnorum ac Provinciarum hoc pacto non parum diminutæ ſunt. Et quot univerſo Eccleſiaſtico ordini admodum nocere compertum eſt, hi quos ad ſumma negotia Chriſtianæ religionis ſublimitas dignitatis evocabat, minùs illis reddebantur intenti, dum ipſorum mentes nimiùm occupabat aſſidua cauſarum multitudo. Quæ attendens hæc Sancta Synodus & pro reformatione Eccleſiæ Dei in capite, & in membris, juxta poteſtatem ſibi à domino conceſſam evigilans, ut omnia deinceps ordine congruo peragantur, ad ſalutem animarum, & pacem ac quietem cunctorum, ſtatuit & decernit, quòd in partibus ultra quatuor dietas à Romana curia diſtantibus, omnes quæcunque cauſæ, EXCEPTIS MAJORIBUS IN JURE EXPRESSÈ ENUMERATIS *& electionum Eccleſiarum Cathedralium & Monaſteriorum quas immediata ſubjectio ad Sedem Apoſtolicam devolvit, apud illos judices in partibus, qui de jure aut conſuetudine præſcripta vel privilegio cognitionem habent terminentur & finiantur.* Hæc ab eis nihil diſtant quæ in capite Concordatorum de Cauſis habentur, quæque ſupra deſcripta ſunt.

Ex his autem patet quæ Baſileenſibus Patribus occaſio fuerit edendæ hujus conſtitutionis; nempe quod prava diu conſuetudo inoleverat vocandi Romam, etiam à remotiſſimis partibus, leviores cauſas minimaque negotia, ſive id fiebat in primâ inſtantiâ, ut aiunt, & per calumnias, ſive per frivolas etiam appellationes: quo quidem pacto &

potentiorum calumniis aperta via erat, quâ paupe-
res opprimerent, & confuso judiciorum Ordine qui
à Nicæna Synodo præscriptus olim erat, Episco-
porum, ordinariorumque jurisdictio planè tolle-
batur.

Pravitatem istiusmodi senserunt cordati omnes,
doluerunteque in primis Galli.

Doluit ante omnes olim Carolus Calvus in exi-
mia illa Epistola quam contra istos abusus, qui jam
ætate sua invalescebant, scripsit ad Joannem VIII.

Doluit Sanctus Bernardus, cum pluribus in lo-
cis, tum maximè lib. 3. de consideratione ad Eu-
genium cap. 2. ubi mirum in modum frivolas illas
appellationes exagitat, quibus negotia planè cun-
cta Romam trahebantur, verbisque Eugenium in-
terpellat; quæ duriora fortè viderentur, ni mali
quod insequitur magnitudo stilum excusaret. *Qua-
le est hoc*, inquit, *turpitudini patrocinari, quod vel
maximè formidari à turpibus oportebat? quousque
murmur universæ terræ aut dissimulas, aut non adver-
tis? quousque non evigilat consideratio tua ad tan-
tam appellationum confusionem, atque abusionem? præ-
ter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt: non
locus, non modus, non tempus, non causa discernitur
& persona, &c.*

Malum sic pingit Bernardus, ut evadere id po-
tuisse majus vix credidisses. Attamen crescere vi-
sum est in Galliis iis ætatibus quæ consecutæ sunt:
eamque fatale Pontificum schisma, quod anno
1378. exortum est, rerum omnium, imprimisque

jurisdictionum Ecclesiasticarum confusionem intulit, ut Ecclesiam deformitatis suæ tandem puduerit, omnesque tandem cum Principes, tum Prælati de nativo ipsi reddendo decore serò quidem, ac seriò tamen cogitaverint.

Ingenti malo remedium aliquod parare omnium sategit Princeps Clerus Gallicanus. Nam Galliarum Episcopi Lutetiæ congregati anno 1408. Regulas quasdam composuêre, quibus Ecclesia Gallicana deinceps uteretur: inter cætera verò, appellationes *per media, & gradatim coram Ordinariis* faciendas decrevere.

Anno 1409. Regulæ istæ probatæ sunt in Concilio Pisano. 1. Postquam enim Alexander V. qui modò renuntiatus erat Papa, quædam statuisset quæ ad pacem Ecclesiæ conciliandam aptiora videbantur, hæc addidit Sessione Concilii 22. *Per præmissa verò, seu aliquod præmissorum, non intendimus derogare Ordinationibus circa præmissos articulos factis, in ultima congregatione Prælatorum & aliorum virorum Ecclesiasticorum facta Parisiis.*

Optata quidem fuit hoc in Concilio Ecclesiæ universæ reformatio. Nam Cardinales omnes qui aderant, jusjurandum juraverant pulcherrimum quidem, fore ut, si quispiam eorum eligeretur in Pontificem, is Concilium nec dissolveret, nec dissolvi permitteret, *usquequò per Concilium facta esset debita, rationabilis, & sufficiens reformatio universalis Ecclesiæ & status ejus, tam in capite quam in membris.*

Ipse etiam Alexander V. postquam creatus est Pontifex, declaraverat incumbere se velle hujusmodi reformationi, ut Cardinales spoponderant. Veruntamen, paucis admodùm constitutis, reformationem illam generalem suspendit ipse, eamque rejecit ad proximum Concilium; quod indictum erat quidem, sed quod re ipsa celebratum non fuit.

Eadem reformatio affecta est quoque à Concilio Constantiensi, anno 1417. Sed nundùm etiam perfecta: Quanquam enim Sessione 40. decrevisset Concilium faciendam esse reformationem Ecclesiæ tam in capite quam in membris; variaque reformationum capita lecta ibi ac probata essent: attamen Martinus V. recens factus Pontifex Concilium solvit intacta reformatione, aliud indicere contentus Papiæ celebrandum. Observare autem hic præstat quod magis facit ad propositum, scilicet in capitibus quæ Constantiæ ad reformationem proposita sunt unum fuisse *de Causis tractandis Romæ, vel non; déque appellationibus ad Romanam curiam.*

Papiæ nihil peractum est, quemadmodum nec Siennæ. Unde Martinus V. Concilium transtulit Basileam: sed legatis illuc missis ipse excessit è vita. Perficiendam tamen ibi Synodum curavit Eugenius IV. Martini successor: tandemque optata sæpiùs, totiesque destinata reformatio communibus omnium votis perfecta est. Ibi autem cætera inter capita reformationis editum est decretum

illud

illud *De Causis*, cujus sententiam indagamur, quodque deinceps in Pragmatica Sanctione, & in Concordatis repetitum est.

Qui vel præmissa huc usque diligenter perpenderit, probéque intellexerit quæ fuerit ratio edendi hujus decreti, is veram genuinamque illius sententiam facilè penetraverit: asseretque constanter vim omnem decreti hujus in unas cadere Minores Causas: de Majoribus autem planè nihil fuisse constitutum.

Illud autem confirmare hoc argumento licet adversùs contumaces, si qui sint: De his omnino causis latum est decretum, in quibus pravitas aliqua corrigenda erat: numquid enim aliquid reformatur, nisi quod deforme est? at pravitas hoc decreto emendanda tota cernebatur in Minorum Causarum judiciis; quæ nempe ut plurimùm Romam trahebantur, spreta illusaque ordinariorum jurisdictione: eam enim rationem præ se ferunt Basileenses Patres in sui decreti limine, quod supra descriptum est: eo igitur dumtaxat remedium spectat, eo dumtaxat pertinet reformatio. Neque habuerunt in animo Basileenses Patres statuere quicquam de Causis Majoribus, de quibus tum nihil ambigebatur.

III. Num verò alia mens fuerit Gallorum nostrorum, ubi Avarici Biturigum hoc decretum amplexi sunt? Num alia Francisci I. cum decretum idem in Concordatis, ne mutatâ quidem clausulâ, inseri procuravit? Id certè vix credat aliquis: cum

eadem ubique verba eandem sententiam arguant; fueritque abusus idem, tum à Synodo, Basileæ, tum Avarici Biturigum, Pragmatica Sanctione, tum demum in Concordatis à Francisco I. emendandus.

Itaque sole jam videtur clarius intactas fuisse in Concordatis Majores Causas: quandoquidem de illis nulla erat controversia. Clausula ergo ista, *exceptis Causis Majoribus in jure expresè denominatis*, verè nullam legem infert de Causis Majoribus, sed indicat modò legem istam quæ decreto figitur, ad Majores nihil pertinere.

IV. Attamen quia nonnulli sic decretoriam clausulam istam putant, ut eâ etiam rationem definiendi Majores Causas velint contineri, non morabor ego quicquam. Esto igitur, determinata quoque sit in Concordatis ratio finiendarum Causarum Majorum: Esto, clausula ista, *exceptis Causis Majoribus, &c.* legem contineat de Majorum Causarum judiciis in Francorum regno deinceps usurpandam. At, quæ tandem erit legis hujus sententia? an quidpiam novi forsan constituit? an potiùs vetustiorem disciplinam jubet retineri?

Siquidem clausula ista, *exceptis Causis Majoribus, &c.* exceptionem continet generalis ejus legis quæ decreto stabilitur; vel nihil omninò clausula significat, vel certè id ipsum de Causis Majoribus negat, quod aliis de Causis generali lege asseritur. Quid vero lex generalis asserit, quid statuit reliquis de Causis? Scilicet *quod omnes & singulæ causæ apud illos judices in partibus, qui de jure, aut*

consuetudine præscripta, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant. Clausula itaque negat cognitionem Causarum Majorum debere omnino finiri à judicibus in partibus, sine relatione ad Summum Pontificem.

Atque ut hic sensus ex ipsis decreti verbis sponte se prodit, ita legitimus est omnino, & antiquæ disciplinæ, sanctioribusque Ecclesiæ regulis admodùm conformis. Nam re ipsa Causæ Majores, quales sunt Causæ fidei, ambiguæ disciplinæ quæstiones, & graviora Episcoporum judicia, in Provinciis terminari sic non debent juxta vetustos Canones antiquasque Patrum regulas, quin post Episcopale judicium ad Sedem Apostolicam referantur. Cum è contrario leviores causæ, cæteræque non ita graves in Provinciarum Synodis finiri omnino queant; nec antiqua ulla lege referri eas necesse sit ad Summum Pontificem.

Hic verò sensus non modò conformis & antiquis Ecclesiæ universæ regulis, sed & constanti Ecclesiæ nostræ Gallicanæ consuetudini, ut infra monstrabitur. Itaque concludere jam in antecessum licet ex iis quæ hactenus præmisimus, vel intactas omnino fuisse Causas Majores in laudatâ sæpius clausulâ, vel ut summùm permissas fuisse illas recepto in Gallia juri, ut innuere quidem videtur ultima clausulæ pars, *in jure expressè denominatis.* Quod verò jus receptum esset in Galliis ante initæ Concordata, operæ pretium erit inquirere sequentibus in articulis. Eò enim verget hujusce dissertationis

pondus omne, quando constiterit novum jus nullum invectum aut stabilitum fuisse per Concordata de Causis Majoribus.

V. Quod ut planius etiam fiat, reprobanda est ac refellenda eorum opinio qui decreto de Causis talem judiciorum formam, vel inductam, vel confirmatam Concordatis asserunt, ut Majorum Causarum notitia, etiam prima, ad Apostolicam unam Sedem spectet, Episcopis, aliisque judicibus ordinariis prorsus interdicta. Mira procul dubio ac insolens interpretatio hæc videbitur, non eis dicam, qui Ecclesiæ Gallicanæ mores tantillùm callent, sed & eis planè omnibus qui vel decreti textum legerint, ut jacet, atque ut à nobis ante prolatus est. Hanc tamen finxere Romani Pragmatici, eamque tuentur etiam aliqui è nostratibus, Romanæ quidem Curiæ nimiùm dediti, qui se idcirco Gallo-Romanos cognominant: ita enim jactabat se nuper procax nescio quis, atque sub hac larva in Sacrum Episcoporum Ordinem mirè debacchabatur.

Quam violenta sit hujusmodi interpretatio, patet ex ipsius lectione textus, quem paulò ante protulimus. Excipiuntur nempe in decreto Causæ Majores ab ea lege, quæ cæteras causas finiri jubet in partibus, hoc est in Galliarum Provinciis, nulla facta relatione ad Sedem Apostolicam. Quid ergo fert ista exceptio? nisi Majores Causas non sic finiendas in partibus quin referri possint ad Summum Pontificem. An verò inde consequitur

Majorum Cauſarum cognitionem primam ſolius eſſe Summi Pontificis ? An conſequitur eam ne à Synodis quidem Provincialibus poſſe delibari ? Certè quicunque decreti verba ſic detorquent eundem admittunt paralogiſmum, ac ſi quis, ex eo quòd graviores Cauſæ in Curiis Præſidialibus non ſic finiantur apud Gallos, quin ad Supremas Curias vocari poſſint, concludere inde tentaret, Præſidiales Curias ejuſmodi Cauſarum cognitionem primam non poſſe ſuſcipere.

Verùm iſta Curialium Romanorum interpretatio ab eorum quoque mente alieniſſima eſt qui decretum de Cauſis primi condidere. Quis enim credat Baſileenſes Patres quibus decreti hujus laus debetur princeps, Majorum Cauſarum notitiam Epiſcopis hoc ipſo decreto interdicere voluiſſe, quo etiam leviorum Cauſarum judicia Epiſcopis reſtituunt ? Quis credat Baſileenſes Patres, quibus in animo fuit emendare hoc decreto quæ in judiciis Eccleſiaſticis minùs rectè, contráque Canones admittebantur, Epiſcopis eo ipſo, Synodiſque Provincialibus poteſtatem illam eripuiſſe, quam traditio Apoſtolica, Conciliorumque generaliùm ſanctiones eis adſcribebant ? numquid hæc deformatio fuiſſet magis, quàm reformatio ? abſit autem ut ſic pravè ſentiamus de ſanctiſſima & Oecumenica Synodo : cui è contrario antiquius nihil fuit, quam ut legitimam judiciorum formam reduceret, Epiſcoporumque præſertim jura ſarta tectaque præſtaret. Eſt enim hæc laus præcipua Baſileenſis Concilii,

de quo in ejus enarrandis gestis præclara hæc habet Æneas Silvius : *Nec forsan absonum fuerit dicere, nullam unquam fuisse Synodum, quæ magis quàm ista potestatem Episcoporum ampliaverit : Etenim quid hodie erant Episcopi, nisi umbra quædam ? Quid plus eis restabat quàm baculus & mitra ? numquid Pastores sine ovibus dici poterant, cum nihil in subditos statuere possent ? Nempe cum esset in Ecclesia primitiva Episcoporum summa potestas, hodie ad id venerant, ut solo habitu & reditibus superarent Presbyteros.* Itane Synodus Basileensis Episcoporum potestatem ampliaverit ? itane jura eis antiqua, summamque illam potestatem reddiderit, quâ in primitiva Ecclesia præ ceteris pollebant Sacerdotibus, si fortè Majorum Causarum cognitionem, quâ quidem summæ potestatis argumentum aliud non est majus, Episcopis interdixit?

Non ita dubio procul Basileensis Concilii mentem interpretati sunt Præsules ac Optimates Galli, dum Avarici Biturigum decretum de Causis integrum suscepere, ne omissâ quidem clausulâ de Causis Majoribus. Etenim si fortè intellexissent Episcopi Galli hujusmodi clausulâ eripi sibi omnem cognitionem Causarum Majorum ; si optimates virique Regii qui aderant sensissent prohiberi hoc decreto ne ullæ Causæ Majores deinceps in partibus agerentur, numquid amabo injuriam illi tantam inferri sibi ; hi vero tam atrox vulnus libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ regnique juribus infligi passi essent ? An legem istam, quæ tam gravia tamque

iniqua minabatur, sic adoptassent? Num verò potiùs fortiter interceſſiſſent omnes ac reclamaſſent; uti factum est in Concilio Tridentino, cum tale aliquid à nonnullis injectum est? scilicet enim id ipsi sibi in Comitiis Bituricensibus jugum Galli imposuerint, quod in Synodo Tridentina ne ab aliis quidem pati voluêre.

Jam verò cum in Concordatis descriptum est quoque decretum idem de Causis, insertâ etiam clausulâ Majores Causas excipiente, num fortè mutata est ejus sententia, quando ne mutata quidem verba sunt? num clausula fortè aliud in Concilio Basileensi & Pragmatica Sanctione, & aliud in Concordatis, quamquam nihil mutata, importat? Quasi verò Franciscus I. Regni sui Episcopis parari insidias siviſſet, sub verborum involucro, quæ in speciem ipsis favere videbantur.

VI. Difficultatem movent aliqui ex eo quòd in Concilio Basileensi & in Pragmatica Sanctione Causæ Majores in eadem classe, in eadem scilicet clausula conjungantur cum Causis electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum, *quas Causas*, ut habet decretum in Concilio Basileensi & Pragmatica Sanctione, *immediata subjectio ad Sedem Apostolicam devolvit.* Hinc enim confici putant Causas Majores, non minùs quàm Causas electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum, immediata subjectione devolvi ad Summum Pontificem; atque adeo esse illas extra cognitionem cum Episcoporum, tum Synodorum Provincialium.

Ad hæc reponimus primò versari nos in explicando decreto de Causis, ut jacet in Concordatis; quatenus nempe vim habet legis apud Gallos: at in Concordatis decretum de Causis conjunctas non habet Causas Majores de Causis electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum: si quidem quæ habentur de Causis electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum in Concilio Basileensi & in Pragmatica Sanctione, in Concordatis resecta sunt. Itaque ruit per argumentum quod ex tali Causarum conjunctione petebatur.

Reponimus 2° nequidem ex Concilio Basileensi aut Pragmatica Sanctione duci posse argumentum contra nos, ob talem conjunctionem: ita enim junguntur ibi Causæ Majores cum Causis electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum, ut relativa hæc additio, *quas Causas immediata subjectio ad Sedem Apostolicam devolvit*, afficiat Causas Ecclesiarum Cathedralium & Manasteriorum quæ in clausula posteriorem locum tenent, non Causas Majores, quæ priorem; quæque idcirco excipiuntur, ut ante notavimus, quòd per appellationem, vel per aliud relationis genus ad Sedem Apostolicam adduci possint.

Reponimus 3° si quis fortè pertinaciùs contendat relativam illam partem, *quas Causas immediata subjectio ad Sedem Apostolicam devolvit*, attinere etiam ad Causas Majores, perinde ac ad Causas Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum; reponimus

reponimus inquam, utendum igitur esse necessario explicatione seu divisione aliqua: ita ut immediatè subjici dicantur Causæ illæ omnes Apostolicæ Sedi; sed aliæ quidem quoad primam etiam cognitionem, ut Causæ Monasteriorum exemptorum; aliæ autem per appellationem, aut aliud relationis genus, ut Causæ Majores. Quis enim dicere ausit Causas fidei, verbi gratiâ, declaratas esse à Concilio Basileensi & à Pragmatica Sanctione ita immediatè subjectas Apostolicæ Sedi, ut nefas sit aliis Ecclesiæ universæ Episcopis eas attingere citra facultatem acceptam à Romano Pontifice? Quis flagitium tantum imponat Sanctissimis Patribus qui Basileæ adfuere? Quis Gallis Antistitibus; qui Avarici Biturigum? Quis enim nescit Episcopos omnes utpote Apostolorum successores, ejusmodi potestatem à Christo accepisse? Quis ita Semipaganus est ac peregrinus in traditione rerum Ecclesiasticarum, ut nesciat Episcopos ejusmodi potestate quasi sibi propria usos esse à prima Ecclesiæ origine ad postremam ejus ætatem? Itaque concludendum est tandem, relativam illam partem quæ objicitur ex Concilio Basileensi & ex Pragmatica Sanctione, vel nullatenus spectare ad Causas Majores quæ in priori clausulæ parte efferuntur, vel certè adhibendam esse justiorem aliquam explicationem.

VII. Opponitur hîc nobis authoritas Illustrissimi viri Petri Marcæ Archiepiscopi Parisiensis, qui 7. lib. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 27. apertè docet Episcopos, si de depositione agatur,

immediatè subjectos esse Summo Pontifici, saltem jure novo: atque adeo comprehendi eos dicit hac decreti parte quæ sic habet. *Si quis verò immediatè subjectus Sedi Apostolicæ ad eandem Sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum &c.* Quibus quidem verbis Concordata judiciorum ordinem quoad eos præscribunt qui Apostolicæ Sedi immediatè subjecti sunt. Existimavit ergo vir præstantissimus Causas Majores, quas inter censentur Episcoporum depositiones, immediatè subesse Summo Pontifici.

Testor in primis vereri me summopere magnum illud nomen, quod hic obtenditur. Atque, ut in tota republica litteraria nemo sit qui stupendam Illustrissimi Marcæ eruditionem non suspiciat, ultra ego profiteor debere me illi non parum vel eo nomine, quòd, in septimo illo libro de Episcoporum judiciis qui laudatus est, plurima longè suppeditet, quæ ad illustrandam Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam, asserendaque Episcoporum nostrorum jura prodesse queant. Ibi enim & Sacrorum Canonum vim aperit, quos Gallorum Ecclesia olim in Episcopis judicandis sequebatur; nec artes omnino dissimulat, quibus Romana Curia Provincialium Synodorum jura invadere sensim conata est.

Sed, ut ad rem tandem veniamus: vir ille præstantissimus, inquiunt, Episcoporum depositiones Apostolicæ Sedi subjectas immediatè agnoscit vi Concordatorum. Itaque secerni non debent hoc nomine Majores Causæ à Causis Ecclesiarum Ca-

thedralium, & Monasteriorum; quas utique Concilium Basileense & Pragmatica Sanctio Apostolicæ Sedi immediatè subjiciunt.

Ad hæc reponere primò quis posset non valere argumentum à particulari ad generale, seu à parte ad totum: atque idcirco, si fortè Illustrissimus Marca Episcoporum depositiones immediatè subjecit Summo Pontifici, non inferendum videri statim subjectas quoque ab eo esse promiscuè Causas omnes Majores, quæcunque tandem illæ sint. Immo verò argumentum istud planè nihil adversùs eos infert qui Episcoporum depositiones pertinere negant ad Majorum Causarum genus: uti negatum videtur olim à Gallis nostris ætate Nicolai I. nam hac in hypothesi neutiquam valet consequentia ab Episcoporum depositionibus ad Causas Majores. Atque hæc posterior ratio propiùs fortè accederet ad mentem Illustrissimi Marcæ, qui quidem non satis constanter Episcoporum depositiones Majorum Causarum albo videtur inscripsisse.

Quoniam autem jam ante professi sumus Episcoporum depositiones, etiam ex Innocentii mente, Majoribus Causis esse accensendas; non ægrè feret Illustrissimus Marca, vel quicunque ipsius se tuetur nomine, si ab eo hac in parte dissideamus, quatenus scilicet Majores Causas, vel saltem Episcoporum depositiones immediatè obnoxias esse ait Summo Pontifici. Cui quidem propositioni adeo non assentior, ut mirari potiùs subeat quomodo excidere hæc potuit viro tam docto tamque perspicaci.

Quis enim quæso Episcoporum Causas sic usquam tractavit, ut Monasteriorum quæ vulgò exempta vocant? Hæc quidem immediatè obnoxia dicuntur Summo Pontifici, quòd, obtentis privilegiis, Ordinariorum jurisdictioni subtracta se ferant. An autem fortè similibus privilegiis gloriantur Episcopi, quibus Metropolitanorum Synodorumque Provincialium jurisdictioni subductos se probent?

Novo jure, inquit Marca, Episcopi immediatè in Concordatis subjecti dicuntur Apostolicæ Sedi, quoad depositiones. At quæro ego quod fuerit jus illud novum ante Concordata, quo Episcopi à Metropolitanorum Synodorumque Provincialium jurisdictione immunes facti erant? Ac si fortè aliquod proferatur, quæro iterum an tale jus novum receptum erat in Galliis ante Concordata? Quippe si receptum non erat in Galliis; quorsum hîc obtenditur? si receptum erat; ergo id jam evicero quod contendebam; scilicet per Concordata jus nullum novum circa Majores Causas, & nominatim circa Episcoporum depositiones invectum fuisse: quod quidem satis est mihi in præsentiarum. Ostendam autem sequentibus in articulis revera non aliud jus obtinuisse in Galliis ante Concordata, quam quod vetustis Canonibus erat commendatum.

Fateor igitur adversari mihi hac in parte Illustrissimum Marca, vel potiùs auram illam qua tum ferebatur, cum dissertationem suam composuit de Episcoporum judiciis ac depositionibus. Nemo

enim nescit (atque ego ita accepi ab ejus amanuensi Stephano Baluze, homine leviculo quidem & egregiè maledico, sed qui mentiri gratis utique noluisset) nemo, inquam, nescit opus istud ab eo susceptum esse jussu Eminentissimi Richelii, quo tempore Episcopi Galliarum nonnulli probatæ minùs fidei erga Regem regnumque insimulati sunt. Cum designasset Cardinalis Episcopos illos dejicere per commissarios, viamque illam novam insolentemque in Galliis intelligeret, usus est operâ viri percelebris Petri Marcæ: qui quidem ut ingenii erat facilis, nec auram gratiosam invitus sequebatur, stilum suum Cardinalis Eminentissimi votis haud ægrè accommodavit. Quare mirum nihil est si neglecta antiquitate jus ipse novum excogitaverit, ipsamque Concordatorum legem, quamquam certè repugnantem ad commenti sui probationem visus est adhibere.

De genio Marcæ consulo famam publicam, Baluzium in ejus vita & prolegomena Lib. de Concord.

Quod scripserit jussu Richelii ipse se fatetur in epist. dedic. & Fagetus confirmat.

Repugnantem, inquam, Concordatorum legem adhibet Marca, ipsique vim infert manifestissimam. Sileo enim quòd in jure Episcopi generali aliqua lege, maximè si minatur pœnam, contineri non censentur, quandiu proprio non appellantur nomine. Sileo quod impropria, inepta & inusitata loquendi ratio tribuitur Concordatorum auctoribus; cum Episcopos, quorum tot sunt nomina longè clarissima, designasse dicuntur humilibus hisce verbis, *si quis immediatè subjectus Sedi Apostolicæ*. Numquid ipsa Concordata Episcopos clarè Metropolitanis subjiciunt, dum appellationum

gradus renovant, vetantque provocari ad Sedem Apostolicam, *omisso medio.* Itaque hac decreti parte, *Si quis immediatè subjectus Sedi Apostolicæ, &c.* nequaquam significantur Episcopi, sed vel isti fortè qui exempti vulgò dicuntur; vel certè Primates, & Metropolitani etiam nonnulli, qui, cum Primates alios non agnoscant, subjecti immediatè videntur Apostolicæ Sedi: quales sunt Remensis ac Trevirensis.

Ergo, inquiet aliquis, mentio nulla facta erit de Episcoporum depositionibus in toto illo capite Concordatorum *De Causis.* Esto explicita mentio facta nulla sit, cum de Episcoporum depositionibus lis nulla tunc esset: implicitè tamen contineri eas crediderim in clausula ista, *exceptis Causis Majoribus.* Quoniam verò fusè ostendi supra clausulam istam juris nihil inferre, saltem quod novum sit; nihil quoque in toto capite de Episcoporum judiciis ac depositionibus innovatum est, quod contendimus.

APPENDIX AD ARTICULUM III.

An Concordata præscripserint modum finiendi judicia Episcoporum Cap. DE PUBLICIS CONCUBINARIIS. §. QUOD SI II?

SYNOPSIS.

I. *QUIDAM cum fateantur* Cap. DE CAUSIS *Episcoporum deponendorum formam non esse præscriptam, id ipsum factum putant altero Concordatorum capite, quod est* De publicis Concubinariis §. Quod si ii.

II. *Refertur textus capitis ex quo tale aliquid confici existimant.*

III. *Perperam & gratis contendunt his verbis*, si ii quorum destitutio ad nos & Sedem prædictam spectat, *Episcopos promiscuè intelligi.*

IV. *Quod quanquam ipsis condonaretur, non statim obtinerent Episcoporum dejectionem ad Summum Pontificem Romanum, etiam in primâ instantiâ pertinere: immo verò contrarium ex ipso paragrapho bellè colligitur.*

I. SUNT qui negent Episcoporum depositiones clausulâ comprehendi, quæ est de Causis Majoribus; atque adeo toto capite *De Causis* statutum esse quicquam de ratione judicandi ac deponendi Episcopos. Verùm contendunt isti alio Concordatorum capite, quod nempe insignitum est *de publicis concubinariis*,

præscriptam esse formam quæ solemnis deinceps foret in agitandis Episcoporum Causis ac judiciis. Id ipsum examinare jam convenit: proferendusque in primis textus ex quo tale aliquid confici existimant.

II. Sic igitur habet caput De Publicis Concubinariis. *Et insuper statuimus quòd quicunque Clericus cujuscunque conditionis, status, religionis, dignitatis, etiamsi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerit, qui post præsentium notitiam (quam habere præsumat post duos menses post earumdem præsentium publicationem in Ecclesiæ Cathedralibus factam, quam ipsi Diœcesani omnino facere teneantur, postquam præsentes ad eorum notitiam pervenerint) fuerit publicus concubinarius, à perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum trium mensium spatio sit facto suspensus: quos suus superior in fabricam, vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructibus percipiuntur, convertat. Necnon hujusmodi publicum concubinarium, ut primùm talem esse noverit, mox suus superior monere teneatur, ut infra brevissimum terminum concubinam dimittat: & illam non dimiserit, vel eâ dimissâ, aliam publicè resumpserit, jubemus ut ipsum omnibus suis beneficiis omnino privet. Et nihilominùs hi publici concubinarii, usquequo cum eis per suos superiores, post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumve sint inhabiles: qui, si post dispensationem, recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint,*

redierint, sine spe alicujus dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant.

§. Quid si ii.

QUOD si ii ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum est, punire neglexerint, eorum superiores tam in ipsos de neglectu, quàm in illos pro concubinatu, modis omnibus digna punitione animadvertant: in Conciliis etiam Provincialibus & Synodalibus adversùs tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem à collatione beneficiorum, vel aliâ condignâ pœnâ severiter procedatur. Et si ii quorum destitutio ad nos & Sedem prædictam spectat, per concilia aut suos Superiores propter concubinatum publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur. Et eadem diligentia & inquisitio in quibuscumque generalibus Capitulis, etiam Provincialibus, quo ad eos servetur: pœnis aliis contra prædictos, & alios non publicos concubinarios, à jure statutis, in suo robore permansuris.

111. Ex his sic arguunt aliqui: lex ibi decernitur adversùs Clericos concubinarios, *cujuscumque conditionis, status, religionis, dignitatis, etiamsi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerint.* Itaque fertur haud dubiè contra Episcopos, si qui nempe criminis hujus rei forsan extiterint.

Hactenus quidem eis assentimur qui hæc proferunt: nec enim inficiari quis potest, quin Pon-

tificalis dignitatis appellatione Episcopi signati sint. Quin & fatemur quoque vi hujusce legis puniri ac dejici posse Episcopos qui fædo se crimine suamque Parochiam infamaverint. Atne id quidem ambigebatur. Verùm controversia tota erat, num cap. *de publicis concubinariis* forma quædam statuta esset, quâ uti jam oporteret in Episcorum judiciis, eorum saltem qui ob concubinatum dejiciendi essent.

Atqui hoc quoque præstitum est, inquiunt, nam in paragrapho, *quod si ii*, sic loquitur Leo X. *Si ii quorum destitutio ad nos & Sedem prædictam spectat, per concilia aut suos Superiores propter concubinatum publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur.* Hæc autem verba, *ii quorum destitutio ad nos & Sedem prædictam spectat*, intelligi non possunt nisi de Episcopis: qui quidem in Conciliis accusari fortè possunt; at, *si reperiantur privatione digni*, judicari non possunt nisi à Summo Pontifice; ad quem utique *cum processu inquisitionis deferri statim debent.* Ita ferè colligunt nonnulli, qui cum deficere sibi sentiant caput de Causis, ad hocce confugiunt, ut probent, si Deo placet, graviores Episcoporum Causas ad Apostolicam Sedem, lege ipsa Concordatorum, esse referendas.

Verùm profectò caput istud *De publicis concubinariis* non magis illis favet quam caput *De Causis*, quod ipsi deserere se testantur. Nam ut capiti de Causis, ita & isti vim inferunt manifestissimam.

In priori capite Episcopos designari volebant immediata subjectione Sedi Apostolicæ, quòd jure novo, ut aiebant, Episcoporum saltem depositiones ad solum Episcopum Romanum attinerent: hîc verò idem omnino peccant: quid enim faciunt aliud, cum istiusmodi vocibus, *ii quorum destitutio ad nos spectat*, Episcopos declarari volunt? Ut eandem itaque interpretationem regerunt, ita iisdem se implicant incommodis, iisdemque omnino rationibus debent confutari.

Quisquis autem paragraphum *Quod si ii*, pacato animo, amotóque partium studio lectitaverit, haud ægrè intelliget in eo versari totum, ut Prælatos, hoc est tam Episcopos, quam religiosorum superiores, ad exequendam legem cogat quæ adversùs Clericos concubinarios decreto lata est. Qui Prælati si fortè negligentiores fuerint, in eos animadverti jubet à Conciliis Provincialibus, necnon & à Capitulis, tum generalibus, tum Provincialibus. Quia tamen fieri potest, ut è Prælatis & Superioribus ejusmodi, aliqui Apostolicæ Sedi immediatè subsint; quales sunt, verbi gratiâ, in Episcopali ordine Primates, & Metropolitani nonnulli, qui Superiorem nullum agnoscunt præter Summum Pontificem: quales quoque inter religiosos sunt Abbates quidam, aliique fortè Superiores qui certis privilegiis ab ordinariorum jurisdictione immunes se jactant; de his idcirco adjicit Leo, *si ii quorum destitutio ad nos & Sedem prædictam spectat, per concilia, aut suos Superiores propter concubinatum*

publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur. Hic certè nativus est legitimusque verborum istorum sensus.

IV. Quanquam autem daremus gratis, habuisse Leonem in animo designare Episcopos his verbis, *ii quorum destitutio ad nos spectat*; an idcirco adversarii tenerent statim quod adfuturum sibi fingunt, Scilicet primam cognitionem graviorum Causarum Episcopalium ad unum Summum Pontificem attinere? Nam si hæc Leonis verba, *quorum destitutio ad nos spectat*, de prima instantia, seu cognitione interpretentur, contendam ego intelligenda esse de relatione seu appellatione, déque ultimo ac finitivo judicio: Et revera eòdem loci cognitio prima tribuitur Synodis Provincialibus; quæ quidem jubentur non agitare modo Prælatorum negligentium causas, sed & eas judicare, condignasque in reos pœnas decernere. *In Conciliis etiam Provincialibus & Synodalibus*, ut idem habet paragraphus, *adversùs tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem à collatione beneficiorum, vel aliâ condignâ pœnâ severiter procedatur.* Si ergo istiusmodi Causæ deinceps ad Apostolicam Sedem referendæ dicantur, id sanè faciendum præscribitur viâ aut relationis aut appellationis, *post Episcopale scilicet judicium*, ut loquitur Innocentius.

Itaque tantum abest ut, hoc in paragrapho, Episcopis conciliisque Provincialibus facultas auferatur judicandi Causas Episcoporum graviores, quin

potiùs ipsis undequâque asseritur : atque adeo licebit quidem ex hoc paragrapho formam colligere qua uti oporteat in finiendis Episcoporum judiciis; verùm ipsa novitatis habebit nihil, longéque ab ea distabit quam exprimere inde tentabant adversarii : hinc enim confici volebant Episcoporum depositiones uni adscribendas esse Summo Pontifici ; quod quidem juris esse recentioris fatebantur. At è contrario Concilia Provincialia agere jubentur strictiùs contra Episcopos fœdi criminis reos, vel in plectendis criminis hujus reis oscitantes; quæ quidem ratio à jure antiquo profecta est.

Nec est quod quisquam dicat Conciliis Provincialibus permitti quidem leviores Episcoporum Causas, non autem graviores, & ob quas in discrimen veniant depositionis ; quod genus pœnæ ab uno decerni potest Romano Pontifice. Nam qui hæc reponeret, ne legisse quidem se testaretur paragraphum, *quod si.ii*, quem excutimus; quo nempe jubentur Metropolitani & Concilia Provincialia modis omnibus animadvertere tum in concubinarios publicos, tum in Prælatos crimen id punire negligentes. *Quod si ii*, sunt verba paragraphi, *ad quos talium correctio pertinet* : ecce indigitantur Prælati, ideoque & Episcopi, *eos punire neglexerint, eorum Superiores* ; qui sunt quæso Superiores Prælatorum & Episcoporum, nisi Metropolitani & Concilia Provincialia ? *tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinatu,* MODIS OMNIBUS *digna punitione animadvertant.* Modis omnibus digna

punitione animadvertere volunt Concordata Superiores Prælatorum in eos qui punire concubinatum neglexerint: si modis omnibus, ergo ne depositio quidem ab ipsis excepta est.

Verùm ut ne scrupuli quidem umbra hîc supersit, quæro ab adversariis, num revera causa Episcopi qui vel concubinarius ipse publicus existit, vel publicos concubinarios plectere negligit, quæro inquam, num causa hujusmodi re ipsa Major non sit & gravior? At hæc est ipsa Causa quæ Conciliis Provincialibus committitur. Quæro iterum, num condigna pœna his debita criminibus, si fortè in his convincatur Episcopus, re ipsa non sit Episcopi depositio? At condignam pœnam decerni jubent Concordata à Conciliis Provincialibus contra prælatos, qui concubinatus crimine infames se fecerint, vel qui criminis hujus reos oscitanter habuerint: hæc enim in eodem sequuntur paragrapho: *in Conciliis etiam Provincialibus & Synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem à collatione beneficiorum, vel aliâ condignâ pœnâ severiter procedatur.* Itaque certo certiùs est in paragrapho *quod si ii*, & graviores Episcoporum Causas Conciliis Provincialibus demandari, & ipsam depositionis pœnam ab eis, si crimen postulet, juberi decernendam.

COROLLARIUM.

I. *Consectaria quinque ex præmissis.*

II. *Deficientibus Concordatis, consulendum est jus vel antiquius ipsis Concordatis, vel certè recentius, ad quod singulæ causæ majores expendantur.*

EX his quæ de Concordatorum lege hactenus disseruimus colligere licet, primò Concordatorum auctoribus nequaquam fuisse propositum statuere aliquid de Causis Majoribus, utpotè cum de his nec tum controversia erat aliqua inter Leonem X. & Franciscum I. nec in Concilio Basileensi, ubi decretum *De Causis* primò conditum est, omnino agebatur. Hæ quippe causæ ad capita reformationis nihil attinebant, ut probavimus : ac si reformandum in eis aliquid fuisset, certè ad antiquam formam redactæ fuissent. Itaque per transennam tantùm, ac penè fortuitò de Causis Majoribus facta est mentio in Concordatis ; earumque proinde judicandarum ratio inde petenda non est.

Colligere licet 2° ex clausula quæ Majores Causas excipit à generali lege inferri ut summum, eas non sic finiri in Provinciis, quin ad Sedem Apostolicam referri permittantur : quo quidem nomine à Minorum Causarum lege excipiuntur ; quas utique in Provinciis terminari deinceps jubent Concordata : cum ante, summo abusu, qui tandem hîc emendatur, sive per calumnias, sive per frivolas appellationes Romam vocarentur.

Colligere 3° licet, si de Episcoporum depositionibus speciatim inquiratur, earum disertam nullam mentionem haberi in Capite *De Causis:* nisi quatenus generali Majorum Causarum vocabulo fortè includuntur.

Colligere est 4° in decreto *De publicis concubinariis* paragrapho, *Quod si ii*, apertiùs quidem Episcoporum judicandorum formam indicari; Qua parte jubentur Concilia Provincialia *omnibus modis, & condignâ pœnâ* animadvertere in Prælatos qui publicos concubinarios punire neglexerint. Sed neque in hac forma quicquam est novi juris: siquidem ab ipsa Ecclesiæ origine Provincialium Synodorum facultas hæc fuit.

Demum igitur generaliter colligere est, legem nullam exprofesso latam esse in Concordatis, sive de Causis Majoribus in genere, sive speciatim de Episcoporum depositionibus: quodque de utriusque fortè insinuatum est, id non ad jus aliquod novum, sed ad antiquam omnino esse revocandum.

II. Quapropter, ut regulæ pateant clariùs, quibus uti jam convenit apud nos in finiendis Causis Majoribus, ac speciatim Episcoporum judiciis, explicandum est priscum illud jus quod suppositue Concordata, quodque priscis temporibus in Gallia usurpatum est. Tum verò inquirendum etiam erit num post transacta Concordata usus fortè aliquis contrarius inoleverit. Atque in hæc operam nostram jam intendimus; agemusque primò de Causis fidei,

tum

tum de quæstionibus ambiguæ disciplinæ, tertiò demum, & paulò quidem fusiùs, de gravioribus Episcoporum Causis eorumque depositionibus.

ARTICULUS IV.

Quæ ratio fuerit olim, quæve perseverat etiamnum apud Gallos finiendi Causas quæ ad fidem spectant?

De fidei Causis primò agitur, quia principem locum tenent inter Causas Majores.

SIQUIDEM fidei quæstiones principem locum tenent inter Causas Majores, de his agere in primis constitui; in id quidem inquisiturus maximè, quomodo illæ in Galliis huc usque agitatæ sunt & definitæ.

---

§. I.

De Causarum fidei judiciis generalia aliqua præmittuntur, quæ instar fundamentorum sint.

SYNOPSIS.

I. *MIRA quorumdam opinio proponitur, qui omni causarum fidei cognitione Episcopos interdicunt hoc uno nomine quod Majores sint.*

II. *Asseritur breviter Episcoporum jurisdictio in Causis fidei cognoscendis & judicandis, primò scripturâ sacrâ.*

III. *Tum Ecclesiæ universæ traditione & usu.*

IV. *Ac tandem ipsa Summorum Pontificum authoritate.*

V. *Etsi juris sit Episcoporum fidei Causas cognoscere, non idcirco fidei Causæ Majorum Causarum titulum ac dignitatem amittunt.*

VI. *Nihil etiam inde laditur Apostolicæ Sedis privilegium, Primatusque inviolabilis in ipsis fidei judicandis quæstionibus.*

VII. *Ex his regula veluti componitur, juxta quam fidei quæstiones, siquidem in Provinciis oriantur, agitari possunt ac finiri.*

I. MIRARI quidem subit ante omnia, quomodo scioli quidam in eam venere mentem vel potiùs audaciam, ut fidei Causas, eo uno nomine quod Majores sunt, ad Apostolicam Sedem unicè attinere prodiderint: cæteros autem Episcopos ne de his quidem hiscere audere vel posse, nisi forsan imperio & nutu Romani Pontificis.

Quàm absit procul inhonesta hæc Majorum Causarum idæa à vera & legitima earum ratione, jam ex iis factum est palam, quæ in primo dissertationis hujus articulo præfatus sum. Quàm autem falsa sit hæc opinio, quam impia, quam temeraria, disputarem hîc quidem fusiùs, nisi & instituti ratio aliò me vocaret, & res ipsa satis per sese loqueretur.

II. Attamen ne commenti hujus authores impunè omnino abire patiamur: quid quæso peccavit nuper Episcopalis ordo, ut eo spolietur jure quo ipse ab omni ævo, id est, ab ipsis Ecclesiæ primordiis

gaviſus eſt ? Quæ vera potentia eripere id potuit vel dividere, quod largitione ipſa divina conceſſum erat, omnibuſque promiſcuè Epiſcopis attributum ? Mitto enim jam quod ſumma inerranſque dicendi juris poteſtas non uni Petro tradita eſt, ſed Eccleſiæ ipſi univerſæ quæ nempe eſt, *Columna & firmamentum veritatis*, ut habet Apoſtolus Epiſtolæ 1. ad Timoth. cap. 3: Mitto quod ſumma hæc poteſtas exerceatur præſertim in Conciliis Oecumenicis, quæ univerſam Eccleſiam aptiùs repræſentant, quibuſque *quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem*, ut ſæpiùs declaratum eſt in Synodo Oecumenica Conſtantienſi. Mitto quod *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*, ut Sanctus Cyprianus aliique Eccleſiæ Patres vulgò affirmant. Mitto denique antiquam ſubſcribendi rationem, quæ ab Epiſcopis uſurpata eſt in Conciliorum definitionibus conſignandis: *Ego definiens, ego judicans ſubſcripſi.* Mitto inquam hæc & ſimilia, quæ vel una ſufficerent ad eorum infringendam audaciam, qui Epiſcoporum juriſdictionem in quæſtionibus fidei decidendis tollere non dubitant.

Numquid verò certiſſimum eſt Eccleſiæ univerſæ Epiſcopos Apoſtolis ita ſuccenturiatos eſſe, quemadmodum Divo Petro Eccleſiæ Romanæ Antiſtes ſubrogatus eſt ? atqui certo certiùs eſt pleniſſimam Apoſtolis traditam eſſe poteſtatem ac juriſdictionem : *ſicut miſit me Pater*, inquit ad eos

Christus Joan. 20. *Et ego mitto vos, &c.* & Matth. 29. *Euntes ergo docete omnes gentes :* quibus quidem verbis fidei mysteria ipsis commendat Christus, simulque facultatem tradit Ecclesiæ deinceps gubernandæ. Hac verò potestate usos esse Apostolos narrat S. Lucas cum pluribus in locis, tum præsertim Actuum 15. ubi Apostolos promiscuè unà cum Divo Petro judicantes exhibet celebrem illam controversiam, quæ Antiochiæ de legalibus exorta fuerat. Ibi enim præfatus est quidem Petrus veluti decebat Apostolici cœtus Principem : verùm & cæteri Apostoli tulere sententiam, inprimisque Divus Jacobus qui sic edicit & pronuntiat : *Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* Quin & in eam sententiam cæteros iviſse Apostolos constat ex Epistolæ verbis quæ omnium nomine scripta est Fratribus qui è gentibus crediderant : *Visum est enim Spiritui Sancto & nobis*, inquiunt Apostoli, *nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria : ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione :* quæ certè ab eis nihil distant quæ à Jacobo ante prolata sunt. Cum ergo Episcopi Apostolorum locum teneant, ut Ecclesiæ Patres vulgò assiduéque perdocent, eandem ipsis competere jurisdictionem indubitatum est.

III. Id verò confirmat, clariúsque patefacit Ecclesiæ traditio constantissima ; nam & semper &

ubique fidei negotia tractarunt Episcopi, eaque judicarunt sæpius, non absente modò, sed ne juvante quidem Romano Pontifice.

Ita enim Ophitarum hæresis à Synodo Episcoporum damnata est quondam in Bythinia.

Ita Caïnianorum in Concilio Syriæ proscriptus error.

Ita Cerdon ejusque discipuli ab Episcopis Orientalibus confossi sunt.

Sanctus vero Cyprianus aliique Africani Episcopi quæstionem de Baptismo hæreticorum agitarunt sæpius in conciliis : & quanquam à vero tum aberrarent, nusquam tamen incompetentia ipsis à Romanis objecta est.

Firmilianus quæstionem eandem ab Episcopis Cappadociæ vicinarumque provinciarum judicatam quoque fuisse perhibet in vulgata ad sanctum Cyprianum Epistola : testaturque præterea in more positum fuisse illis provinciis, uti quot annis earum convenirent Episcopi ad ea tractanda negotia quæ sive ad fidem, sive ad mores, ac disciplinam attinerent.

Pauli Samosateni impietas profligata est in concilio Antiocheno : ubi Orientalium partium Episcopi adfuere quidem longè plures, occidentalium vero ne unus quidem interfuit.

Alexandriæ Arius damnatus est antè privato judicio, quam Nicææ publico & generali.

Synodus Gangrensis Eustathii dogma proscripsit olim, ne conscio quidem Romano Pontifice :

nihil minùs tamen Synodi hujus Canones Ecclesiæ universæ Codici inserti sunt.

Eunomeorum audacia repressa est in Concilio viginti Episcoporum.

Reprobatus Apollinaristarum error tum in Concilio uno Alexandrino, tum in altero Antiocheno.

Diospolitanum, Carthaginense, & Milevitanum Concilia Pelagium ejusque errores abdicarunt.

Somnium Eutychetis à Flaviano excussum est primò Constantinopoli.

Numquid verò summus Pontifex adfuit aliquando Synodo primæ Constantinopolitanæ? Num quintæ œcumenicæ? Utriusque tamen doctrinam universa dein Ecclesia complexa est.

Monothelitarum novitas priùs reprobata est ab Episcopis Africanis quàm ab Italicis; uti legitur in Concilio Lateranensi quod Martino I. sedente ac præsidente habitum est. Ubi verò sextam Synodum cogit Imperator ad Luem ejusmodi abolendam, Agathonem rogat per Epistolam, uti legatos venire curet Constantinopolim, tum à Romana sede, tum etiam nomine Episcoporum Occidentalium; quod utique factum est procurante ipso Agathone: ita nempe omnibus persuasum semper fuit *ministerii Episcoporum esse de dogmatibus judicare*, ut loquitur D. Bernardus Epist. 189.

IV. Ne summi quidem Pontifices ea de re dubitarunt usquam: quin potiùs & coëgerunt ipsi sæpenumero Episcopos ad judicandas fidei quæstiones,

& sua etiam decreta fratrum, id est Coëpiscoporum, suffragiis firmari quandoque voluerunt. Nihil attinet referre huc innumera fere privata Concilia quæ ad judicandas fidei controversias seu Romæ, seu in aliis Italiæ aut Occidentis partibus habita sunt annuentibus Romæ Præsulibus. Nihil Oecumenica etiam recensere, quæ adnitentibus iisdem hæreses, aliasque Ovile Christi vastantes pestes depulere. Julius Papa in Epistola ad Orientales apud Athanasium, adeo non despicit Coëpiscoporum sententiam, ut potiùs extollat eam mirificè: *nam tametsi solus sim*, inquit, *qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum, scripsi. Certè ad constitutum tempus convenere Episcopi, & ejus sententiæ fuere, quam vobis iterum significo.* Leo Magnus Epistolam illam celeberrimam quam adversus Eutychem scripsit, à Galliarum Episcopis probari ante voluit quàm ad Synodum Chalcedonensem mitteretur. Cumque ob varia impedimenta statim convenire Galli non potuissent, eorumque subscriptio tardiùs paulò Romam perveniisset, dolere se testatur Leo quod Epistola sua in Orientem delata esset, non adscripta simul Gallorum professione. *Optassemus quidem*, inquit in responsione ad Galliarum Episcopos Epist. 52. *Fraternitatis vestræ litteras eo tempore, quo promiseratis, accipere: ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam Synodum vice nostra pro Catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur.*

Idem Leo Epistola 24. Thodosium Augustum rogat enixissimè, ut latronicium Ephesinum emendari velit Synodo aliqua generali : intereaque *omnia in eo statu esse jubeat in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Tum iteratis etiam precibus hæc adjicit : *omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne ultra aliquid sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum.* Rectè igitur intelligebat sanctus Leo quanti ponderis esset sententia Episcoporum in rebus fidei judicandis. Rectè intelligebat sanctus Pontifex non esse aptius remedium ad fidei tollenda dubia, quàm si veluti agmine facto in Synodis generalibus Episcoporum universitas conveniret.

Numquid verò mens eadem fuit Gregorii magni, sanctissimi item Pontificis ? Quorsum enim lib. 1. Epist. 24. *sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor prima Concilia suscipere ac venerari se* profitetur, Nisi *quia*, ut ipse ait, *in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit ?* Quorsum *cunctas, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuere se* ait, *& quas venerantur amplecti*, nisi quia *dum universali sunt consensu con-*
a uita, se, & non illa destruit quisquis præsumit

aut

aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt?

Martinus I. plus etiam aliquid videtur innuere in Epiſtola quam ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem ſcripſit de his quæ adversùs Monothelitas Romæ decreverat. Neque enim Synodorum neceſſitatem confitetur modò ad hæreticorum detegendas confutandaſque artes; ſed inſuper, quæ in Synodo Romana ſtatuta erant contra hæreticos, à Galliarum Epiſcopis petit confirmari. Martini verba ſubjicio, quia & ſpectatiſſima ſunt per ſe, & Gallicanis noſtris Epiſcopis non parum honorifica. *Ideo neceſſe habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento quæ nobis commiſſa ſunt, culpæ reatu adſtringamur, cœtum generalem fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum in hac Romana civitate congregare: in quorum præſentia memoratorum hæreticorum ſceleroſa conſcripta examinata atque denudata ſunt; & apoſtolico mucrone, patrumque definitionibus, uno ore unoque ſpiritu condemnavimus, ut cognoſcentes univerſi errorem qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus Volumina geſtorum Synodalium in præſenti vobis dirigere unà cum Encyclia noſtra, ex quorum ſerie omnia ſubtiliter poteſtis addiſcere, & tenebras illorum nobiſcum, ut filii lucis, extinguere. Idcirco ſtudeat fraternitas tua omnibus eadem innoteſcere, ut tam abominandam hæreſim nobiſcum execrentur, quamque ſuæ ſalutis Sacramenta addiſcere valeant; atque Synodali conventione omnium fratrum & Coëpiſcoporum partium illarum effecta, ſecundùm tenorem Encyclia*

à nobis directæ, scripta unà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda celebrant, Confirmantes et Consentientes eis, *quæ pro Orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ à nobis statuta sunt.*

Importunè dicar agere si ad probandam Episcoporum authoritatem in causis fidei terminandis plura congeram huc aut exempla aut argumenta. Etenim, ut veritas ista semipaganis ipsis clara non sit & confessa; illustratur, credo, abundè ex eis quæ hactenus delibata sunt: quibus quidem exploratum fit ac perspicuum Episcopis collatam esse à Christo jurisdictionem ad causas fidei dirimendas; eamque ab ipsis fuisse usurpatam, tum in Conciliis privatis, tum in Oecumenicis; ac modò quidem jubente & præsente summo Pontifice, modò absente illo, prorsusque nihil adnitente.

V. At Si res ita habet, inquiet aliquis, si nempe sic licet Episcopis quibusvis judicium ferre de fidei quæstionibus & controversiis, qua tandem ratione fidei quæstiones Majoribus Causis accensentur? Quidve privilegii supererit summo Pontifici in eis finiendis ac terminandis, quod reliquis Episcopis commune non sit?

Hunc nempe nodum solvere jam restat mihi: hoc reliqui superest muneris, ut quemadmodum in explicandis Episcoporum juribus hactenus versatus sum, ita nunc ad Apostolicæ sedis tuendam illustrandamque dignitatem me conferam.

Quod igitur spectat priorem dubii partem:

quomodo nempe fidei quæstiones Majoribus Causis accensentur, si fortè juris sit Episcopi cujusvis earum cognitionem suscipere, deque illis sententiam ferre instar judicis. Equidem si quis Gersonis doctrinam, quæ fortè Gallorum erat, sectabitur, facili se negotio expediet ab ejusmodi difficultate. Nam in libello qui jam ante laudatus est, quemque inscripsit Gerson: *An liceat in Causis fidei à summo Pontifice appellare?* Hanc propositionem sexto loco veluti dogma asserit. *In Causis fidei illa Causa dicitur Major esse, non quæ est de re Majori, sicut de Trinitate & unitate personarum, sed quæ difficilis est & ambigua ad determinandum, juxta textum scripturæ, Exodi 18. &c.* Toties itaque juxta hunc sensum fidei Causas Episcopi quivis judicare possunt in Diœcesibus & Provinciis, quoties ambiguæ non sunt ac difficiles. Ex quo addita est septima hæc propositio à Gersone: *In Causis fidei poterit una Causa dici Major apud aliquem Episcopum, vel Diœcesim, quæ apud alium Episcopum, vel Diœcesim non reputabitur esse Major, vel ad superiorem sicut ad Papam remittenda: quia scilicet apud talem Episcopum vel Diœcesim propter abundantiam Theologorum Causa talis non reputabitur difficilis vel ambigua, sed per sacram scripturam jam damnata vel approbata.*

Sed etsi concedatur omnem fidei Causam, seu difficilem & ambiguam, seu perspicuam & facilem, eo ipso quod fidei est, Majorum Causarum albo esse inscribendam, non statim fidei quæstio

Majoris Causæ nomen ac insigne amittit, quòd Romano præsule inferiores Episcopi satagere illius possint : nam, ut ex iis liquet quæ de Majorum Causarum notitia præmissa sunt, Majores Causas perperam quis definiat eas esse, quarum cognitio Episcopis Romano præsule inferioribus interdicitur : quin potiùs Majorum Causarum nomenclator Princeps, putà Innocentius I. eas tum tandem ad Apostolicam sedem referri jubet, postquam ab Episcopis judicatæ sunt : *post Episcopale judicium ad sedem Apostolicam referantur*, inquit in Epistola ad Victricium laudata jam sæpius, sæpiusque prædicanda. Rectè itaque duo hæc, & amicè consistunt; quod nempe Causæ aliquæ Majores sint, quodque ipsæ nihilominùs ab Episcopis Romano Pontifice Minoribus cognoscantur.

VI. Quod verò attinet alteram dubii partem, quid nempe priviligii summo Pontifici supererit in fidei dirimendis controversiis, si earum inire cognitionem Episcopis promiscuè licuerit ? Maximum sanè ac præstantissimum esse id aio quod supereſt : Immo verò non alia in re primaria Apostolicæ sedis dignitas eminet magis, quàm in fidei tractandis finiendisve negotiis. Atque id privilegii consecuti sunt Petri successores, non ob Magnitudinem urbis, aut Imperatorum concessione, ut Neotherici quidam obganniunt; non Ecclesiæ consensu modò vel canonum authoritate (quanquam in id reipsa & Ecclesia & Canones numquam non conspiraverint) sed ab ipsa Christi

ordinatione & institutione. Tametsi enim Christus Evangelii doctrinam fideique mysteria omnibus Apostolis commiserit, attamen singulariter Petro dixit, *rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua:* singulariter ei dixit, *pasce oves meas.* Itaque fidei Causæ ad Petri successores spectant, non modò quia communes sunt (quo quidem nomine universi Ecclesiæ Episcopi curare illas possunt) sed & quia fides ipsa singulari ac præcipuo Titulo in Petro stabilita est. Atque hæc erat mens sancti Augustini lib. 1. ad Bonifacium cap. 1. ubi de Pelagianis hæreticis expostulans, Bonifacium sic affatur. *Cum verò non desinant frendere ad Domini gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves aditus undecunque rimari: curaque communis sit omnibus nobis qui fungimur Episcopatus officio, quamvis ipsi in eo præmineas celsiore fastigio speculæ pastoralis, faci quod possum pro mei particula muneris, &c.* Quibus quidem verbis docet Augustinus ita omnium Episcoporum esse fidei curare integritatem, ut in eo tamen munere Apostolicæ sedis authoritas longè præfulgeat.

Inde quidem cæteræ Ecclesiæ ad Romanam convenere semper *ob potentiorem principalitatem*, ut loquitur Irenæus. Inde Romani Pontifices à prima Ecclesiæ Origine primarii habiti sunt fidei arbitri & custodes tum à fidelibus, tum etiam ab infidelibus: ipsi enim hæretici Apostolicæ sedis communionem, quandoque ambiverunt, satis fore sibi credentes ad vitandas impietati suæ debitas

pœnas, si Cathedræ Petri adhærere viderentur. Ita Montanistæ qui ex Phrygia & Asia erant pacis communionisque litteras à Zephyrino erogitarunt. Tertulliano teste lib. adversùs Praxeam cap. 1. Ita Eutyches Apostolicam sedem appellasse vulgò jactatur, ubi à Flaviano dejectus est. Longum autem hic esset enumerare Orthodoxos viros qui ex omnibus Ecclesiæ partibus ad Romanam sedem confugerunt, quoties ob fidei Causam vexati sunt. Notum est Athanasii factum, notum Chrysostomi, notum Flaviani & Theodoreti, quæ vel indicasse satis sit.

Ejusdem verò primatus gratiâ omnes penè fidei Causæ quæ in orbe toto agitatæ sunt ad Apostolicæ sedis cognitionem pervenere, modò quidem per accusationes, modò per appellationes aut veluti appellationes, modò per consultationes, modò denique per aliarum Ecclesiarum aut Synodorum relationes. Ita enim, ut paucas è plurimis decerpam, ab Africanis Episcopis damnatus olim Privatus Lambesitanus, Fabiani quoque sententiam expertus est, Cypriano teste in Epistola ad Cornelium. Ita ex eâdem Africâ Concilium Carthaginense, itemque & Milevitanum, quamquam Afri Romana transmarinaque judicia ferè abhorrerent, quia tamen de fide agebatur, Pelagii hæretici damnationem ad Innocentium retulerunt iis Epistolis quæ Augustinianas inter censentur 90. 91. & 93.

Ita etiam ex Oriente accusatus est aliquando

Dionysius Alexandrinus apud Dionysium Romanum, quasi contra Verbi divinitatem admisisset: suamque ille fidem Apostolicæ sedi scriptâ Apologiâ comprobavit, ut refert Athanasius lib. de sententia Dionysii. Ita Episcopi Orientales Apostolicæ sedis judicium quæsiverunt de Apollinari, deque Timotheo ejus discipulo: qua de re quidem Synodicam ad eos Epistolam scripsit Damasus, eisque inprimis gratulatur quòd Apostolicæ sedi debitam reverentiam exhibeant; *quod vestra Charitas*, inquit, *debitam sedi Apostolicæ reverentiam tribuit, filii honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sanè honori est:* ita enim Theodoretus refert lib. 5. cap. 10.

Sanctus Basilius Ep. 52. quæ est ad Athanasium, Episcopi Romani sententiam de controversiis in Oriente excitatis rogandam censet: nec non & implorandam ejus authoritatem ad ea irritanda, quæ Arimini gesta fuerant. *Visum est autem mihi consentaneum*, inquit, *ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hîc geruntur consideret, & sententiam suam expromat. Et quoniam difficile est ut communi ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua authoritate in ista Causa usus, viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos, verùm juxta ad hoc quoque accommodos, ut mansuetudine & facilitate ingenii eos, qui distorti sunt & obliqui apud nos, corrigant, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaque secum habentes ad ea rescindenda quæ in Arimino per vim gesta sunt.*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Ecclesias Orientales turbante Nestorio, de hujus impietate certiorem fecit Cælestinum: atque id quidem ex Ecclesiarum consuetudine, ut ait; ita enim scribit Cyrillus: *longa Ecclesiarum consuetudo suadet ut ejusmodi res sanctitati tuæ communicentur.*

Flavianus, damnato Constantinopoli Eutychete, Synodi gesta ad Leonem mittit, tum ut sua authoritate Causam juvet ac promoveat, tum ut aliis Episcopis qui sub ejus sanctitate degebant Eutychetis impietatem manifestet, *ne* scilicet, ut in altera Epistola scribit, *nescientes aliqui quod ille senserit, quasi ad Orthodoxum vel per litteras, vel per aliquam conjunctionem loquantur.*

Ipsa Concilia plenaria de fidei Causis retulerunt sæpe ad Romanum Pontificem. Ita Concilium Arelatense olim retulit ad Silvestrum. Ita Sardicense ad Julium: Ita Constantinopolitanum primum ad Damasum. Quæ relationes non eo quidem fiebant, ut lata in Synodis judicia Papæ retractarent, verùm ut juvarent saltem, atque ut executioni ea demandari procurarent; quemadmodum è Synodicis Epistolis facilè intelligitur.

Non usus est pluribus ad confirmandam Apostolicæ sedis eminentiam præcipuamque authoritatem in quæstionibus fidei judicandis: patet illa satis vel ex his quæ adduximus: conficiturque simul fidei Causas jure merito accenseri Causis illis Majoribus quæ absque Apostolicæ sedis authoritate vix, ac ne vix quidem finiri possunt.

VII.

VII. Hæc itaque regula constitui non ineptè poterit in fidei dirimendis quæstionibus. Nempe, si controversiæ forsan aliquæ in Provinciis excitentur de rebus ad fidem spectantibus, vel res illæ obscuriores erunt, insolentes, neque satis aut scripturis aut etiam traditione explicatæ: tumque consulenda erit Apostolica Sedes, ejusque expectanda sententia, quæ *prima esse debet*, ut inquit Facundus Hermianensis. Vel minùs obscuræ erunt minúsque insolentes, sic ut adhibitâ saltem virorum Theologorum operâ explicari possint: tumque pronuntiare circa eas licebit Episcopis quibusvis; sed & decebit tunc, immo & oportebit forsan, si res ita postulet, certiorem facere Summum Pontificem lati judicii, factæque definitionis; tum ut Episcoporum, Synodorumve privatarum statuta sententiâ suâ corroboret; tum ut ne cum reis ipse communicet, qui fortè proscripti fuerint; tum demum ut lata judicia reliquis Ecclesiis promulget, eorumque executionem, eâ qua pollet authoritate, promoveat. Nam & hoc discrimen observandum superest Episcopos inter & Summum Pontificem, quòd cogere illi ad judiciorum suorum executionem non possint extra Diœceses, Summus autem Pontifex limites non agnoscat; vel, ut Gersonis verba usurpem, tract. An liceat in causis fidei à Papa appellare, prop. 3. *quia Papæ determinatio pœnalis extendit se ad omnes fideles, sed Episcopalis tantùmmodo ad subditos suos; ut præcisè est Episcopalis.*

Neque verò est quod quisquam Romano Pontifici

Primatum ejusmodi invideat, feratque molestè sic Prælatum fuisse à Christo illum cæteris Episcopis: siquidem ille *non in destructionem paternæ sententiæ, sed potiùs in defensionem atque ultionem, primam accepit & maximam potestatem: nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plùs cæteris suis Consacerdotibus potest*, ut eximiè scribit Facundus lib. 2. cap. 6.

§. II.

Quomodo fidei quæstiones in Gallia hactenus tractatæ sunt?

SYNOPSIS.

I. *ECCLESIÆ Gallicanæ præstantia; ipsiusque integritas & constantia in tuendis fidei dogmatis.*

II. *Continua traditione, seu factorum enarratione demonstratur Episcopos Gallicanos ab nata in Galliis religione acceptam à Christo jurisdictionem in fidei quæstionibus cognoscendis exercuisse.*

III. *Ne quidem in Iansenii causa quæ ad Innocentium X. relata est admissum est aliquid, quod sit contrarium vel moribus Gallicanis, vel ipsi Episcoporum dignitati ac potestati.*

I. CUM Ecclesia Gallicana *per Dei gratiam tanquam lucerna super candelabrum posita luceat aliis per exemplum*, ut habet Honorius III. mirum certè videatur nemini si hæresum fuliginem hærere sibi non modò non passa sit, sed & in eâ abstergendâ, fugandisque errorum

monstris diligentiam tantam tantamque constantiam ostenderit, ut in eo quoque genere cæteris longè præfulgeat, omnibusque in exemplum adduci & proponi possit. *Multa in orbe monstra generata sunt*, inquiebat jam diu Hieronymus adversùs Vigilantium, *Centauros, & Sirenas, & ululas in Esaia legimus, &c. sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundavit.* Neque verò ab eo tempore quo scribebat Hieronymus, degeneres tulit Gallia minùsve conspicuos proceres, ac Episcopos : sed quam ipsi laudem tribuit Hieronymus, eandem assiduè retinuit, ne extraneis quidem viris abnuentibus. Ipse enim Innocentii II. æmulus, qui Anacletum se secundum ferebat, in Epistola quam ad ann. 1130. refert Baronius, Galliam sic prædicat. *Quæ*, inquit, *inter reliquas Christianitatis Ecclesias nullis unquam cessit erroribus, nullâ prorsus potuit Schismaticæ pravitatis infamiâ maculari.*

II. Jam verò enarrandum est mihi quibus artibus Hercules Gallici errorum monstra aggressi sint, jam aperiendum mihi qua vi, quave authoritate fidem integram illæsamque servaverint. Uno verbo, ut quæstio ad proprios terminos reducatur, inquirere jam oportet, an Ecclesiæ Gallicanæ Episcopi fidei controversias aliquando cognoverint : an verò eas intactas sibi, ad Romanum Episcopum, quasi Apostolicæ Sedis proprias remiserint ; uti faciendum esse re ipsa novitii quidam adulatores scriptitarunt.

Nihil hîc de jure repetam: quod quidem Gallicanorum Episcoporum in judicandis fidei controversiis par esse constat, ac cæterorum Christiani orbis Antistitum. Facta exequar duntaxat, quibus Ecclesiæ Gallicanæ patebunt mores, ipsis verò Gallicanis Episcopis laus sanè haud parva comparabitur.

Vix nata erat in Galliis relligio, cum Episcopi Gallicani zelum suum, suamque simul potestatem comprobarunt in fidei judicandis controversiis.

Eusebius lib. 5. hist. cap. 3. mentionem facit judicii cujusdam ab Episcopis Galliæ lati contra Montanum, aliosque Phrygiæ hæreticos ad annum Antonini Veri 17. id est Christi circiter 177. *Cum Montanus*, inquit, *& Alcibiades & Theodotus in Phrygia jam tum prophetandi opinionem apud complures adepti fuissent (permissa enim divinâ gratiâ largiente miracula, operaque stupenda ad illud usque tempus per varias Ecclesias edita fidem multis faciebant illos etiam donum Prophetiæ fuisse consecutos) cumque de istis hominibus controversia orta esset, fratres rursus qui in Gallia habitabant privatum judicium, idque prudens & rectum cum primis, de eisdem, Epistolæ quam diximus, subjunxerunt.* Epistolam laudat Eusebius de Martyribus, quæ scripta erat à Gallis, quamque descripsit ipse libri istius cap. 1.

Eodem Eusebio teste, lib. ejusdem cap. 24. Episcopi Gallicani, Sancto Irenæo duce, cognitionem aliquando susceperunt ejus controversiæ, quæ de Paschæ celebrandi die Ecclesias agitabat: deque

illa juxta traditionem Ecclesiæ Romanæ sententiam protulerunt. Postquam enim scripsit Eusebius Victoris agendi rationem erga Ecclesias Asiaticas duriorem visam esse cæteris Episcopis, hæc subjicit: *inter quos Irenæus, quanquam per litteras scriptas ex persona fratrum in Gallia quibus præerat, tradit mysterium Resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse.*

Anno Christi 346. Euphratas Coloniæ Agrippinæ Episcopus hæreseos damnatus est, & exauctoratus in Concilio Agrippinensi. Is nempe docebat Christum purum esse hominem.

Sanctus Hilarius de Synodis, scribens ad Episcopos Galliæ, eos laudat quod missam ad se Potamii & Osii blasphemiam damnavissent. *Beatæ*, inquit, *fidei vestræ litteris sumptis, gratulatus sum in Domino incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse: & missam proximè vobis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modò non suscepisse, sed nuntiatam etiam significatamque damnasse.*

Anno Christi 362. Episcopi Gallicani fidei formulam ab Arianis conditam, tacito Usiæ nomine, & susceptam Arimini, damnarunt in Concilio Parisiensi: scriptaque est ea de re Synodica ad Episcopos Orientales.

Anno 385. Priscillianistarum causa judicata est in Concilio Burdegalensi, teste Severo Sulpitio, hist. Sacræ lib. 2. ubi & Episcoporum Gallicanorum facilitatem nonnihil arguit Sulpitius, quòd Pris-

cillianum ad Principem provocantem dimisissent, *quia*, inquit, *aut sententiam inrefragantem ferre debuerant: aut, si ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere.* Quibus quidem verbis duo admonet Sulpitius: alterum fidei causas ad Episcopos, non ad Imperatores deferendas: alterum, etiam in fidei negotiis recusari posse judices, si forsan suspecti eis fuerint qui accusantur.

Leporii Monachi novitatem, quæ à Nestorio deinde propugnata est, rejecerunt Galli ad annum 425. ipse verò Leporius Massiliâ ob errorem ejectus est: quamquam & resipuit tandem, ut libellus emendationis probat, quem ex Africa misit ad Episcopos Gallicanos.

Cælestinus Papa Epist. 2. ad Episcopos Galliæ adeo non vetat eos Presbyterorum Semipelagianorum causam cognoscere, ut eos incuset potiùs quòd exortæ novitati minùs fortiter obstitisse viderentur.

Sanctus Leo fidei rerum cognitionem ab Episcopis Gallicanis alienam non magis credidit, cum eorum rogavit sententiam, neque id semel, de famosa illa Epistola, quæ contra Eutychetem scripta est.

Anno Christi 475. in Concilio Arelatensi damnatus est error quidam circa prædestinationem: quem hæreticis prædestinatis dedisse nomen plurimi suspicantur.

Semipelagianorum error ab Episcopis Galliarum reprobatus est & confossus in Concilio secundo

Arausicano ad ann. Christi 529. & cum de Concilii definitione ad Sedem Apostolicam retulisset Cæsarius Arelatensis, Bonifacius II. (erat enim Fœlix, cui scripserat Cæsarius, occupatus fato) illi pergratè respondit, Synodique definitiones Apostolicæ Sedis authoritate comprobavit.

Monothelitarum dogma ab Episcopis Gallicanis priùs damnatum est, quàm vel à Concilio Lateranensi, vel à sexta Synodo Oecumenica; ut legere est in vita S. Eligii Episcopi Noviomensis.

Gregorius Magnus lib. 9. Epist. 49. Virgilium Arelatensem arguit, quòd Simoniacam hæresim parum animosè compresserit, hortaturque ut Synodum quamprimùm convocari jubeat ad eam extinguendam. *Vel nunc ergo*, inquit, *dilectissime Frater da operam, ut quod à correptione quiescendo in aliis perdidisti, resarcias, & ab hac quos potueris pravitate compescas: atque ut Synodus ad eruendam ipsam hæresim congregari possit, insiste:* QUATENUS CUM DILECTIONIS VESTRÆ MERCEDE MELIÙS AB OMNIBUS CAVEATUR, QUOD AUTHORE DEO OMNIUM FUERIT CONSTITUTIONE DAMNATUM. Itaque Gregorius Magnus hæreseos damnationem non permittit modò Episcopis Gallicanis, verùm & imperat. Ex quo quidem judicare est quàm perperam ipsius mentem interpretentur, qui fidei Cæsarum cognitionem interdictam ab eo volunt Galliarum Episcopis alterâ Epistolâ quam ad eos scripsit de Virgilio Arelatensi ipsis Prælato, quæque habetur in 4. registri lib.

numero 52. Etenim in hac Epistola fidei causas judicari nequaquam vetat ab Episcopis Gallicanis, sed eas dumtaxat ad Sedem Apostolicam referri jubet, quarum *vehemens sit fortè dubietas*, ut ipse loquitur. Ita enim scribit Gregorius: *cui*, id est Virgilio, *etiam injunximus, ut si quarundam Causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentiâ opus sit: congregatis sibi in numero competenti Fratribus & Coëpiscopis nostris, salubriter hoc servata æquitate discutiat, & canonica integritate definiat. Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina potentia, de fidei causâ evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortassè dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritate, ad nostram studeat perducere notionem: quatenùs à nobis valeat congruâ sine dubio sententiâ terminari.* Nihil ergo aliud postulat Gregorius, quàm quod jam ante concessimus, putà fidei Causarum cognitionem referendam esse ad Apostolicam Sedem, ubi præsertim obscuriores sunt illæ magisque insolentes. Quanquam & possem ego addere, quæ scribuntur à Gregorio Magno hac in Epistola, nihil ea attinere ad Episcopos, eorumve ordinariam jurisdictionem. Monet enim dumtaxat mandasse se vices suas Virgilio Arelatensi quibusdam adjectis limitibus, putà ita ut obscuriores fidei Causas, quæ ad Apostolicam Sedem referri solent, ab eo nolit judicari: quod utique liberum ipsi fuit: potuit enim legati sui facultates vel ampliare, ut placuit, vel coërcere.

Anno

Anno Christi 767. procurante Pippino, Synodus habita est in agri Parisiensis villâ Gentiliaco; ibique, ut author est Ado Viennensis in Chronico, *quæstio ventilata est inter Græcos & Romanos de Trinitate, & utrùm Spiritus Sanctus sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio & de Sanctorum imaginibus, utrumne fingendæ, an pingendæ erant in Ecclesiis.*

Ad annum autem 794. quæstio eadem de imaginibus, juvante præsertim ac promovente Carolo Magno, definita est in Conciliis Francofordiensi, & Parisiensi.

Hæresis quoque Fœliciana in eodem Concilio Francofordiensi proscripta est, cum duobus jam ante annis in Synodo Ratisbonensi improbata esset. Non est autem dissimulandum in Concilio Francofordiensi legatos adfuisse Hadriani Pontificis; sed neque ob id cæterorum Episcoporum jurisdictioni quicquam detractum est.

Ad annum 848. Gotheschalcus Orbacensis Monachus in Concilio Moguntino damnatus est, ut qui prava de prædestinatione Dei evulgaret. Deinde in altera quoque Synodo apud Carisiacum error idem confixus est: fueruntque edita Capitula quatuor ab Episcopis Gallicanis, quæ doctrinam Catholicam de Dei prædestinatione continebant.

Leone IX. sedente, Berengarii Andegavensis Archidiaconi hæresis delata est quidem ad Apostolicam Sedem, ut scribit Lanfrancus in comment. contra Bereng. verùm nihilominùs judicata est ipsius causa in Concilio Turonēsi ad annum circiter 1055.

Petri Abailardi novitates in Concilio Senonensi reprobatæ sunt anno circiter 1140. Appellavit is quidem Apostolicam Sedem : sed & perperam id fecit, ut confirmat Sanctus Bernardus Epist. 189, & ab Innocentio II. qui tum sedebat non meliùs habitus est quàm ab Episcopis Gallicanis. Etenim coacto Romæ Concilio *Abailardi dogmata damnata sunt, & ipsi tanquam hæretico silentium impositum*, ut habetur in rescripto Innocentii. Neque verò Innocentius molestè tulit quòd Episcopi Gallicani Abailardi capitula reprobassent : quin potiùs eis rescripto suo sic gratulatur : *verùm in hoc maximè consolamur & omnipotenti Deo gratias agimus, quòd in partibus vestris pro Patribus tales filios suscitavit, & in tempore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse Pastores, qui novi hæretici studeant calumniis obviare, & immaculatam sponsam uni viro Virginem castam exhibere Christo.*

Anno 1147. Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi causa agitata est primò in Concilio Parisiensi, præsente Eugenio III. ut refertur ab Ott. Frising. lib. 1. de gestis Frederici cap. 50. *At sentiens Papa*, inquit author idem cap. 54. *utpotè vir cautus & religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam usque ad universale Concilium judicavit : erat enim in proxima medianæ quadragesimæ Dominica, apud illius Galliæ Metropolim Remis generale indictum Concilium.* Volebat nempe sapientissimus Pontifex rem arduam & obscuram à pluribus Episcopis maturiùs explorari & expendi. Ac re ipsa Gilberti errores Remis, quò

quidem frequentes Episcopi convenerant, excussi sunt, causaque tandem illic finita est.

Scio ex hoc facto, quale narratur ab Ottone Frising. ingens, ut nonnullis videtur, conflari argumentum ad evertendam Episcoporum jurisdictionem, quam propugnamus. Scilicet enim, cùm Episcopi Galliarum unà cum Divo Bernardo veluti quandam fidei formulam composuissent contra errores Porretani, Cardinales qui aderant graviter conquesti sunt, contendentes nempe fidei judicia non ad Episcopos promiscuè, sed ad unam Sedem Romanam pertinere. *Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum*, inquit Frisingensis, cap. 36. *tam graviter sacer Cardinalium senatus accepit, ut cum magna mentis indignatione curiam intraret, ac tanquam unum corpus effecti, una omnes voce Pontifici suo dicerent: scire debes quod à nobis per quos tanquam per Cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à privato universalis pater effectus, jam deinceps te non tuum, sed nostrum potiùs esse oportere: nec privatas & modernas amicitias, antiquis & communibus præponere, sed omnium utilitati consulere, Romanæque curiæ culmen & officii tui necessitudine curare & observare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte, quo ausu cervicem contra Romanæ Sedis Primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit.* IPSA SOLA DE FIDE CATHOLICA DISCUTERE HABENS, *à nullo etiam absens, in hoc singulari honore præjudicium pati potest*

Sed ecce Galli isti etiam facium nostram contemmentes, super capitulis quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam finituræ sententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis, fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, utpotè Alexandriâ, vel Antiochiâ, coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra diffiniri valeret authoritate: quin imo juxta antiquorum Patrum instituta, vel exempla, Romano servaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia usurpare audent, quod etiam remotioribus & Majoribus nobis non licet? Volumus igitur tam temerariæ novitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas.

Fateor in ista Cardinalium expostulatione caloris quidem inesse plurimùm, non sic verò tantùm aut ponderis aut soliditatis: audacter quidem jactant isti Romanæ Sedis apicem solum *de fide Catholica discutere habere*; id verò nequaquam probant: in quo certè plus monstrant zeli quàm scientiæ & eruditionis. Attamen, ut ne quid veri dissimulem, oratio illa Cardinalium, si paulò minùs efferbuisset, neque absona erat omnino, neque injusta. Etenim reipsa in eo minùs decens aliquid videbatur, quòd Episcopi Gallicani, præsente Eugenio, præsentibusque Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, fidei formulam, ac veluti symbolum, ne consultis quidem illis edidissent: maximè cum fidei formulæ, quæ omnibus proponi solent, non nisi ab universali quadam potestate proficisci possint,

qualis est scilicet aut Concilii Oecumenici, aut etiam Summi Pontificis accedente Ecclesiæ consensu. Itaque cum Episcopi Gallicani & Sanctus Bernardus fidem suam instar symboli Catholici protulisse viderentur, non immeritò Cardinales ea de re conquesti sunt, & re ipsa statim acquieverunt illi, cum audiverunt non eo fine conditum esse illud symbolum à proceribus Ecclesiæ Gallicanæ ut omnibus proponeretur, verùm ut scisciranti Porretano fidem suam consignarent. Sic enim addit Frisingensis Abbas; *quos*, Cardinales scilicet, *Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate, hoc est Divo Bernardo, ad se vocato, de hoc facto qualitatéve facti solerter instruit: cui ille humiliter & cum reverentia respondit, se vel dominos Episcopos nihil de præfatis Capitulis diffinivisse: sed quia ab Episcopo Pictavino audierat, ut fides sua scriberetur; idcirco quia solus nollet, illorum authoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret, exposuisse. Hocque tam humili quam modesto ipsius responso, prædicta Cardinalium indignatio conquievit: ita tamen ut præfatum scriptum tanquam inconsultâ curiâ prolatum, velut authoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.* Non conquesti sunt itaque Cardinales, quòd Episcopi Gallicani fidei causam cognovissent: nam, non alium ob finem Remos convocati erant: sed expostulationis causa erat, quod fidei definitionem & veluti symbolum edidisse viderentur, inconsulto Romano Pontifice, inconsultisque

Cardinalibus qui aderant : quod utique absonum fuisset, si fecissent : nam re ipsa fidei causas finiri non decet absque Summo Pontifice ; maximè si præsens est. Et præterea juris non est Ecclesiarum privatarum symbola aut fidei formulas edere, quæ omnibus proponantur, absque conscientia ejusdem Pontificis : cujus quidem unius est, extra Concilium generale, generalia statuta edere cum de fide, tum de moribus. Atque hoc sensu forsan dixere Cardinales Romanam Sedem solam *de fide Catholica discutere habere :* neque nos ab ipsis ea in re quicquam dissentimus.

Recentius præclariusque nobis exemplum suppetit exercitæ ab Episcopis Galliæ jurisdictionis in materia fidei : putà in Lutheri hæreseos damnatione. Cum enim hæc lues latiùs jam grassaretur, multasque turbas excitaret in Galliæ & Germaniæ Provinciis, Cardinalis à Prato, Archiepiscopus Senonensis anno 1528. Concilium habuit Lutetiæ ex Episcopis Provinciæ Senonensis, quæ tum quoque Lutetiam comprehendebat. In hoc porrò Concilio Episcopi nostrates non modò Lutheri hæresim excusserunt, sed & fidei quoque decreta ediderunt ad usque sexdecim : in quibus quidem & anathema illis dicunt, qui contradicent, & pœnas etiam constituunt (intra Provinciæ quidem limites infligendas.) Concilium dixi Cardinalis Archiepiscopi authoritate coactum fuisse : sed & observo præterea ne relationem quidem ullam factam videri à Concilio ad Clementem VII. Quorsum verò istud ?

fortè quòd agitata causa, publica jam erat plusquam satis.

Anno 1631. libri Jesuitarum Anglorum damnati sunt à Comitiis Cleri Gallicani; & speciatim ab Archiepiscopo Parisiensi, ut qui propositiones à recta fide alienas continerent.

III. Novissimè tandem exortâ in Galliis controversiâ de religione & fide, occasione libri à Jansenio Iprensi compositi, Episcopi Gallicani Causam ipsi quidem non judicarunt, sed eam, veluti unam è Majoribus referendam censuerunt ad Summum Pontificem. Scripserunt itaque magno numero ad Innocentium X. qui Romæ tum sedebat: hic verò ad eorum consultationem diploma edidit, adversùs Jansenii propositiones: fuitque diploma istud ab universis Galliæ Episcopis tandem acceptatum.

Qui nescient qui rerum status tum erat in Galliis, cum opiniones illæ Jansenii turbas excitarunt: quæque desinceps à Clero Gallicano, & præsertim ab Episcopis Galliæ gesta sunt in istiusmodi finienda causa, mirabuntur fortè quamobrem Episcopi Gallicani à prima illius cognitione temperaverint. Qui verò iniquiores sunt Episcoporum juribus, inde forsan argumentum capient lacessendi Episcopos; quasi verò ipsi fidei causam interdictam sibi putaverint, eamque idcirco ad Apostolicam Sedem duxerint remittendam.

At ne simile aliquid opinarentur posteri sapienter præcavit Clerus Gallicanus: nam anno 1660.

Ecclesiæ Gallicanæ comitia generalia Lutetiæ congregata narrationem texuerunt eorum omnium quæ in Jansenii tractanda causa contigerant. Ibi autem qua ratione moti fuerint Episcopi Gallicani ad consulendum Summum Pontificem, declaratur his ipsis verbis : *C'est ce qui obligea quelques Prelats du Royaume de considerer les moyens qu'il falloit tenir pour donner aux Fidelles soûmis à leur conduite le repos d'esprit, qui ne peut être aquis ny conservé, que par l'affermissement de la vraye doctrine, & par la condannation de l'erreur. Ils sçavoient que comme leur charge Pastorale les engageoit à ce devoir, le S. Esprit leur avoit donné le pouvoir de juger les matieres de foy; qui sont ou* MANIFESTEMENT HERETIQUES, *ou* MISE EN DOUTE PARMY LES SÇAVANTS. *Celles du premier genre ne consistent qu'en l'execution & au chastiment de ceux qui enseignent ces doctrines qui ont déja été condannées; & partant ils sçavoient que chaque Evêque peut l'ordonner dans son Dioceſe contre les coupables. Mais pour le regard des jugemens qu'il faut donner sur une matiere* MISE EN DISPUTE PARMY LES SÇAVANTS, *pour parler avec les anciens Theologiens, ils n'ignoroient pas, qu'afin que ces jugemens fussent authorisez, il étoit neceſſaire de les donner dans une assemblée Canonique, soit d'un Concile Provincial ou d'un National, ou bien dans une autre Assemblée composée d'un grand nombre d'Evêques : d'où la relation étant envoyée ensuite au saint Pere, l'erreur fut condannée dans toute l'Eglise par l'autorité du Saint Siege Apostolique, ainsi que les*

Conciles

Conciles d'Afrique l'avoient pratiqué contre l'heresie de Pelagius. Les desordres qui étoient survenus en ce temps-là dans diverses Provinces de la France ôtérent le moyen aux Prelats de pouvoir tenir commodément les Conciles ou Assemblées de cette sorte, & l'esperance de remedier aux maux par cette voye. Leur zele leur en ouvrit un autre, conforme à l'ancien usage des Eglises d'Occident, & d'Orient; laquelle est necessaire dans les temps difficiles, qui troublent la liberté de l'Assemblée des Conciles dans les Provinces. Ces Prelats formerent une lettre de consultation adressée au Pape, afin qu'il condamnât en particulier chacune des cinq Propositions, contenant en abregé la doctrine extraite du livre de Iansenius, insérée dans cette lettre qui fut presentée à sa Sainteté de leur part. Ils la signérent, & eurent le soin de faire souscrire à cette consultation plusieurs Evêques absens, jusqu'au nombre de plus de quatre-vingts, qui suppléerent leur presence par leur souscription, ou par leurs lettres particulieres, suivant l'ordre des Canons. Ils jugerent que cette pratique devoit être particulierement observée en cette matière, où il s'agit de l'interpretation des Decrets du Concile de Trente, qui l'a reservée au Saint Siege.

Postquam sic effata sunt Ecclesiæ Gallicanæ oracula, nihil mihi nisi tacendum superest. Nam paucis illis verbis omnia comprehensa sunt, quæ sive ad Thesim, sive ad hypothesim attinebant.

Quæ ad Thesim quidem significatur enim ibi Episcopis datam à Deo esse potestatem judicandi fidei

causas : *ils sçavoient que comme leur charge Pastorale les engageoit à ce devoir, le S. Esprit leur avoit donné le pouvoir de juger les matieres de Foy.* Tum explicantur fidei Causæ quæ ab Episcopis judicari possunt, citra conscientiam Summi Pontificis, nempe quæ vel apertam hæresim continent, vel certè de quibus periti & sapientes ambigunt : *qui sont ou manifestement heretiques, ou mises en doute parmy les sçavants.* Tertiò prioris generis causæ, utpote ad solam executionem spectantes, juris esse censentur singulorum Episcoporum : posterioris verò in Conciliis Provincialibus aut Nationalibus dicuntur agitandæ : *Celles du premier genre ne consistent qu'en l'execution & au châtiment de ceux qui enseignent ces doctrines, qui ont été déja condamnées, & partant ils sçavoient que châque Evêque peut l'ordonner dans son Dioceſe contre les coupables. Mais pour le regard des jugemens qu'il faut donner sur une matiére mise en dispute parmy les sçavants, pour parler avec les anciens Theologiens, ils n'ignoroient pas qu'afin que ces jugemens fussent authorisez, il étoit necessaire de les donner dans une Assemblée Canonique, soit d'un Concile Provincial, ou d'un National, ou bien dans une autre Assemblée composée d'un grand nombre d'Evêques.* Quartò denique à Conciliis Provincialibus aut Nationalibus relatio facienda edicitur ad Summum Pontificem, ut Apostolicæ Sedis authoritate error quoque condemnetur : *d'où la relation étant envoyée ensuite au S. Pere, l'erreur fut condamnée dans toute l'Eglise par l'autorité du S. Siege Apostolique, ainsi que*

les Conciles d'Afrique l'avoient pratiqué contre l'heresie de Pelagius. Quatuor istis Capitibus quatuor veluti regulas generales tradit Clerus Gallicanus, quæ usurpari vulgò debeant in finiendis fidei controversiis; extra tamen Conciliorum Oecumenicorum necessitatem.

Quorsum autem in Jansenii causa viam aliam iniverint Episcopi Gallicani (quæ nostra est hypothesis) in eadem quoque narratione patefit: primò quidem quòd, ob dissidia quæ in multis Galliarum Provinciis tum exarserant, libera non erat Synodorum convocatio: *Les desordres qui étoient survenus en ce temps-là dans diverses Provinces de la France ôtérent le moyen aux Prelats de pouvoir tenir commodément les Conciles ou Assemblées de cette sorte, & l'esperance de remedier aux maux par cette voye:* hinc enim veritatis deffendendæ studium viam Episcopis aliam aperuit, quæ juxta antiquas Ecclesiarum tum Orientis, tum Occidentis consuetudines iniri debet temporibus difficilioribus. Consuluerunt nempe Innocentium X. per Epistolam, rogaruntque simul uti sigillatim de quinque propositionibus, quæ Jansenii doctrinam veluti compendio continere videbantur, sententiam ferret: *Leur zele leur en ouvrit une autre, conforme à l'ancien usage des Eglises d'Occident, & d'Orient; laquelle est necessaire dans les temps difficiles, qui troublent la liberté de l'assemblée des Conciles dans les Provinces. Ces Prelats dresserent une lettre de consultation addressée au Pape, &c.* Secundò ita præsertim agendum censuerunt hac in specie

Galliarum Episcopi, quia in dubium vocabatur sensus Decretorum quorumdam Concilii Tridentini: quorum quidem interpretatio Apostolicæ Sedi reservata est. *Ils jugerent que cette prattique devoit estre particulierement observée en cette matiere, où il s'agissoit de l'interpretation des Decrets du Concile de Trente qui l'a reservée au S. Siege.* Tertiam quoque rationem afferunt Galliæ Episcopi ea in Epistolâ quâ Innocentium X. consuluere, scilicet quòd Apostolicæ Sedi *Reverendus ipse Ianſenius morti proximus opus ſuum ſubjecerat.*

Cum itaque Episcopi Gallicani initio suæ Epistolæ, quâ Innocentium X. consulunt, obtemperare se testantur huic legi, quæ Majores Causas referri jubet ad Sedem Apostolicam, Jansenii causam non eo tantum nomine Majorem esse indicant, quòd ad Religionem seu fidem spectet: verùm maximè quòd in ea tempora incidisset, per quæ non licebat ipsis canonicè illam pertractare. Fit enim aliquando ut Causæ quæ natura sua minores sunt, ipsa temporum difficultate Majores evadant, ut jam ante observavimus ex libello proclamationis Ecclesiæ Remensis adversus Ludovicum Regem Germaniæ. Nam Ecclesia illa querelas suas de calamitatibus quas à Ludovico passa erat, veluti Causas Majores defert ad Carolum Imperatorem, & ad legatos Summi Pontificis in Concilio Pontigonensi: quia scilicet iniquitas temporum viam omnem aliam occludebat sarciendarum injuriarum.

Et certè ne Romani forsan ex hoc facto jus sibi

aliquod arrogarent, ſtatutum eſt ab Epiſcopis Gallicanis, ut in Epiſtola quæ ad Innocentium de accepta ejus conſtitutione ſcriberetur, apponeretur clauſula, quæ Epiſcoporum juriſdictionem in fidei rebus cognoſcendis integram præſtaret. *Il fut auſſi arrêté que l'on mettroit dans la lettre une clauſe qui conſervât aux Evêques de France le droit de juger en premiere inſtance des matieres de foy, lors qu'il leur ſembleroit utile pour la Religion, ſoit en executant les peines de Droit contre les heretiques manifeſtes; ſoit en décidant dans une Aſſemblée les choſes douteuſes.* Ita enim legitur in relatione quæ à Clero Gallicano hac de re compoſita eſt. In ipſa autem Epiſtola, poſtquam ſignificarunt Epiſcopi agnoſcere ſe lata judicia à Summis Pontificibus ſuper conſultationibus Epiſcoporum, clauſula hæc adhibita eſt: *ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit.*

Obſervo præterea cum Epiſcopi Gallicani reverentiam ſuam erga Sedem Apoſtolicam teſtati ſunt in acceptanda Innocentii X. Conſtitutione, id non cæca aut ſervili quadam ratione factitatum; ſed ne tum quidem depoſitam ab eis fuiſſe judicum perſonam, ac dignitatem. Sic enim habet laudata narratio. *L'affaire miſe en déliberation, il fut arrêté que l'on déclaroit* PAR VOYE DE JUGEMENT, *ſur les pieces produites de part & d'autre, que la conſtitution avoit condamné les cinq propoſitions comme étant de Ianſenius, & que le Pape ſeroit informé de ce jugement de l'aſſemblée par la lettre qu'elle écriroit à ſa Sainteté.*

Concludere itaque jam licet è multiplicibus illis factis quæ hactenus retulimus retentam esse semper ab Episcopis Gallicanis vim ac potestatem juris dicendi in fidei controversiis; eâ verò usos esse, modò quidem judicando ante relationem ullam ad Summum Pontificem; modò referendo ad Sedem Apostolicam ante judicium; modò denique post judicium latum referendo; uti nempe rerum vel etiam temporum conditio varia aut ferebat, aut postulabat.

ARTICULUS V.

Qui mos agendi Gallorum fuit occurrente dubio in rebus ad disciplinam spectantibus?

SYNOPSIS.

I. *GENERALIA quædam de disciplinâ Ecclesiasticâ præmittuntur.*

II. *In dubiis de disciplinâ occurrentibus consulendi sunt superiores hierarchici.*

III. *Quòd si dubia graviora sunt, consulendus ipse hierarchiæ Princeps Episcopus Romanus, uti factitatum est ab Ecclesiis tum Orientis, tum Occidentis.*

IV. *Hanc viam in primis ingressa est Ecclesia Gallicana, ut consultationes multa probant, quibus Galliarũ tum Episcopi tum Reges ac Principes Apostolicam Sedem adiverunt.*

V. *An Summorum Pontificum responsis obtemperandum, ut latis legibus?*

I. DISCIPLINA Ecclesiastica Canonibus præsertim constat, & moribus Ecclesiarum.

Supponendum est autem ante omnia legem nullam generalem ferri posse ab Ecclesia aliqua particulari, tametsi dignissimâ, quæ cæteras Ecclesias obliget. Lex enim generalis proficisci non potest nisi à potestate generali & communi, qualis est Concilii Oecumenici; vel etiam Romani Pontificis, maximè si agatur de Canonibus explicandis, aut exequendis. Fuit hæc mens Divi Basilii, ut observat Photius in Nomo-can. tit. 1. cap. 4. ὅτι οὐχ ὑφ' ἑνὸς ἐπισκόπου, ἀλλ' ὑπὸ τῆς κοινότητος οἱ κανόνες ἐκτίθενται. Quòd si privatarum Synodorum Canones generalium vim legum obtinuisse aliquando videntur, id quidem generali Ecclesiæ consensu assecuti sunt.

Supponendum 2. quamlibet Ecclesiam particularem condere sibi posse leges suis in finibus; modò contra generales Ecclesiæ universæ regulas aut consuetudines non militent. Hinc tot Synodi seu Provinciales, seu Nationales de moribus componendis aut reformandis in omnibus Ecclesiæ partibus habitæ. Hinc etiam tam varii variarum Ecclesiarum usus, variæque adeo consuetudines.

Supponendum 3. singulas Ecclesias stare posse suis moribus, quanquam ab aliarum usu discrepantibus, siquidem fidei non obsint, ut ex Hieronymo jam ante observatum est.

Quartò denique pro certo habendum est singulos

Episcopos in singulis suis Diœcesibus Canonum executionem curare posse, mulctatis etiam rebellibus: quin & ejusmodi cura ipsis sæpe numero tum à Summis Pontificibus, tum etiam à Conciliis demandatur.

II. Ambigitur autem, si fortè in disciplina insolens quidpiam occurrat, de quo non satis constet an lege aliqua sancitum sit, quæ tum ratio iniri debet ab Episcopis, Ecclesiarumque singularum rectoribus.

Recta quidem via illa est quæ inferiores, si fortè sunt in ancipiti, ad consulendos Superiores ducit. Quemadmodum enim in hierarchia cœlesti inferiorum ordinum Angeli illuminari, seu illustrari dicuntur à Superioribus: ita planè in hierarchia terrestri minores Ecclesiæ adire debent Ecclesias majores, ab eisque optatam lucem flagitare. Ita Episcopi olim in rebus dubiis Metropolitanos consulebant, priusquam vel ad Patriarchas vel ad Summum Pontificem se conferrent: atque idcirco Leo I. Epist. 91. Theodorum Episcopum Forojulienſem; qui de capitibus quibusdam dubiis, omisso Metropolitano, ipsum interrogaverat, sic arguit: *sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitùs, de eo quod quærendum videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignorabat dilectio tua etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet iniquiri.* Eandem etiam ob causam Hieronymus

Epist. 61.

Epist. 61. cum Joanne Hierosolymorum Episcopo graviter expostulat, quòd Theophilum Alexandriæ Archiepiscopum audivisset, neglectis Episcopis Cæsareæ & Antiochiæ, quibus tamen ex præscripto regularum Nicænarum obnoxia erat Hierosolyma: *Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas*, inquit Hieronymus, *& Nicæni Concilii Canonibus uteris, responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palestinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia: aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras; aut, si procul expectandum judicium erat, Antiochiam potiùs dirigendæ litteræ. Maluisti occupatis auribus*, Alexandrini scilicet Episcopi, *molestiam facere, quàm debitum Metropolitano tuo honorem reddere.*

III. Quoniam autem Ecclesia Romana superior eminet cæteris, in easque aliquem tenet principatum; hinc est quòd ex omnibus Ecclesiæ universæ partibus relationes ad eam factæ videantur, quoties graviora dubia, quæstionesve difficiliores (quas quidem Majores Causas rectè jam appellaverimus) occurrerunt. Neque enim existimandum est cæteras Ecclesias ad Romanam Ecclesiam eò tantùm convenisse, quòd inter Ecclesias Apostolicas fidelissimè omnium traditiones ipsa antisquasque Regulas servaverit, quanquam & hæc ratio plurimum habet ponderis; sed & quia cæterarum caput est, ut monet Siricius, Epistolâ ad Himerium Tarraconensem: *ad Romanam Ecclesiam*, inquit, *utpotè ad caput tui corporis retulisti.* Accedit que ad hujusce

sententiæ confirmationem, quòd ex Oriente promiscuè, ut ex Occidente relationes ad Sedem Apostolicam factæ sunt in dubiis gravioribus. Notum est enim ea de re Hieronymi testimonium, quo fidem facit operam dedisse se aliquando apud Damasum scribendis responsionibus ad consultationes Ecclesiarum tum Orientis, tum Occidentis : *cum in Chartis Ecclesiasticis*, inquit Epist. 11. *juvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem.* Et sanè jus omne Pontificium ferè constat ex responsionibus Romanorum Antistitum : quibus quidem Ecclesiæ utriusque consultationes ansam præbuerunt.

IV. Viam illam Regiam inivit Ecclesia Gallicana, Sedis quidem Apostolicæ studiosissima semper, semperque observantissima. Et quoniam illius mores jam indagamus, insigniora quædam exempla referenda sunt consultationum variarum; quibus, in majoribus disciplinæ dubiis, Apostolicam Sedem Galli convenerunt.

Anno Christi 404. Victricius Rothomagensis Innocentium I. consuluit de pluribus disciplinæ articulis, qui dubii habebantur : Innocentius autem honorificentissimè ipsi respondit, misitque Regulas tredecim, quæ juxta majorum instituta, proposita dubia explicabant. Conjunctæ sunt Regulæ hujusmodi cum Epistola Innocentii, quæ est ad Victricium Rothomagensem.

Idem Innocentius rogatus est ab Exuperio Tolosano de septem gravioribus disciplinæ ambiguæ

Capitibus : eisque respondens, Exuperium laudat, *quòd institutum secutus prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluerit quid de rebus dubiis custodire deberet, quàm usurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur de singulis, obtinere.*

Celeberrimæ Gallorum consultationis exemplum suppeditant Canones Synodi Romanorum, *ad Gallos Episcopos* inscriptæ; qui à Sirmundo primùm editi sunt : antiquissima est illa Synodus, quanquam non satis constat ad quem annum referenda sit : ut ut sit verò ex præfatione ipsius liquet non alium ob finem coactam illam fuisse, quàm ut Gallorum quæsita solverentur.

Anno Christi 452. Rusticus Narbonensis Leonem I. consuluit per Hermetem Archidiaconum de novemdecim disciplinæ articulis : quibus quidem singulis sic eximiè respondit Leo, ut ejus responsa in jure Canonico totidem leges evaserint. Idem verò Pontifex in altera Epistola, quæ est ad Episcopos Provinciæ Viennensis, jamdiu apud Gallos invaluisse morem testatur consulendi Sedem Apostolicam : *Nobiscum itaque fraternitas vestra recognoscat*, inquit, *Apostolicam Sedem, pro sui reverentiâ, à vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam.*

Anno Christi 506. Cæsarius Arelatensis Symmachum Papam de disciplina consuluit : sed alio quidem consultationis genere. Neque enim tam dubia capita Symmacho proponit, quam aliqua jam sancita Canonibus ab ipso veluti renovari petit, seu

confirmari: sic habet Cæsarii libellus. *Sicut à persona Beati Petri Apostoli Episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat. In Gallia siquidem Provincia ab aliquibus personis Ecclesiastica prædia diversis titulis alienantur: Ita fit, ut pro suo quis arbitrio devota mente relinquentium, & egentium necessitatibus deputatas imminuit facultates. Hoc postulamus ut fieri prohibeat Apostolicæ Sedis authoritas, nisi forsitan aliquid pietatis intuitu Monasteriis fuerit largiendum. Illud etiam pari supplicatione deposcimus, ut de laïca conversatione, qui in in singulis judicum officiis meruerint, aut certè rexerint sub aliqua potestate Provincias, nisi multo antè tempore præmissâ conversatione legitima, & vitâ examinatâ, nullus Clericus aut Episcopus ordinetur. Viduas etiam jamdiu religioso habitu assumpto, & sanctimoniales longo jam tempore in Monasteriis consistentes, poscimus ut unicuique conjugii causa, nec volentes sibi jungere, nec invitas rapiendi libera sit facultas. Illud etiam humili prece suggerimus, ut nulli per ambitum ad Episcopatum concedatur accedere, nec data pecunia sibi potentes homines suffragatores adhibeant. Et ut hæc facilius possint custodiri, Clerici vel Cives decretum facere, vel subscribere, sine Metropolitani notitia vel consensu, penitus non præsumant. Hæc omnia ultione districtionis vestræ fieri prohibete: quatenus & in Ecclesia vestra, & in suprædicta Provincia, disciplina bonis actibus amica servetur.* Symmachus verò ad rem sic repositi: *hortatur nos æquitas postulationis, desiderio fraternitatis*

tuæ gratanter annuere de singulis, quæ ab Apostolica Sede concedi supplicas, quod à Patrum cautela & provisione non discrepat. Et quamvis Ecclesiasticæ regulæ pœnè omnia comprehendant, tamen superfluum esse non credimus, denuò quæ sunt sæpius interdicta repetere. Tum ea ipsa fieri prohibet Symmachus, vel decernit; quæ aut jubenda aut vetanda protulerat Cæsarius.

Anno Christi 538. Vigilius, qui tum adversùs Silverium pro Pontifice se gerebat, consultus est à Theodeberto Galliarum in Austrasia Rege, *cujusmodi pœnitentia posset illius purgare delictum, qui cum uxore fratris sui illicitum præsumpserat inire conjugium:* ita enim habet Vigilius ipse in Epistola, quam ea de re scripsit ad Cæsarium Arelatensem.

Anno 602. ad Gregorium Magnum relatum est de quodam Episcopo qui in capitis infirmitatem tantam inciderat, ut officio fungi ampliùs non posset: quæsitumque ab eo fuit quanam ratione ipsius Diœcesi subveniendum esset. Gregorii responsionem videre est in Epistola 7. lib. 11. quæ est ad Ætherium Lugdunensem.

Anno 747. illustris fuit consultatio Pippini majoris domus versùs Zachariam Papam de pluribus articulis Ecclesiæ disciplinam spectantibus: responditque Zacharias Epistolâ directâ non ad Pippinum solum, sed ad ipsum simul & ad Episcopos Galliarum. Responsionis viginti sunt & septem Capita: quæ *inter plura proposita deflorata sunt*, ut loquitur Zacharias. Observari autem hîc velim

Zachariam, in singulis illis responsionis capitibus nihil de suo edidisse, sed adhibuisse in omnibus *vel Sanctorum Apostolorum & Beatorum Patrum sanctiones, vel etiam probabilium Beatissimorum Pontificum decreta*, ut ipsius quoque verba usurpem.

Ejusdem Pontificis, ut & ipsius decessoris Gregorii 2. Epistolæ plures sunt, quibus respondent consultationibus pluribus Bonifacii, Episcopi primum, tum Archiepiscopi, qui ad Provincias Germaniæ lucrifaciendas Christo destinatus erat.

Anno 754. Stephanus II. cum in Gallia degeret, interrogatus est de novemdecim articulis, qui in moribus dubii videbantur: totidemque responsa dedit in Villa Carisiaco.

Anno 800. de Chorepiscopis, eorumque muneribus relatio facta est ad Leonem III. de quibus quidem Galli Zachariam jam ante rogaverant: deinde verò Nicolaum I. rursus adiverunt.

Anno 860. Episcopi regni Lotharii de his quæ in Synodo quadam Aquisgranensi facta erant ad Nicolaum Papam retulerunt, ipsumque per Theugaudum Trevirensem de variis capitulis consuluerunt, ac præsertim de negotio Teutbergæ, uxoris Lotharii, cujus repudium Lotharius meditabatur, quòd ab Hucberto fratre flagitium passa esset.

Anno 879. Joannem VIII. rogarunt Episcopi Gallicani, *utrum hi qui pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro statu Christianæ religionis ac Reipublicæ in bello nuper ceciderant, indulgentiam possent consequi delictorum.* Respondit Joannes VIII. Epist.

144. quæ inscripta est, ad Episcopos in regno Ludovici constitutos.

Omitto cætera consultationum Gallicanarum exempla: quæ locum dederunt Epistolis non paucis decretalibus, ut videre est in jure novo canonico. Unam subjicio duntaxat; quoniam responsio quæ ad illam data est ad Ecclesiæ Gallicanæ laudem ac libertatem non parum confert.

Ambianensis Episcopus Alexandrum III. consuluit de muliere, quæ ignorans nupserat abscisso viro; quique deinceps in lepram inciderat. Sic autem respondit Alexander: *quòd Apostolicam Sedem consulis super iis, quæ dubia tibi existunt, gratum gerimus, & acceptum, & tua exinde fraternitas non parum commendanda videtur. Ex tua siquidem parte nobis est intimatum, quòd quædam mulier tui Episcopatus cuidam viro nupsit, ignorans quod propter utriusque inguinis rupturam genitalia ejus essent abscissa, nec ab eo cognita fuisset. Qui utique modò factus leprosus, se pariter, & sua reddidit domui infirmorum. Mulier verò ad domum paternam reversa, sicut juvenis, alii viro nubere desiderat, & conjugali affectu conjungi. Verùm licet Ecclesia Romana non consueverit propter naturalem frigiditatem, nec propter alia maleficia legitimè conjunctos dividere; si tamen consuetudo generalis Gallicanæ Ecclesiæ habet, ut hujusmodi matrimonium dissolvatur, nos patienter tolerabimus, si secundum illam consuetudinem eidem mulieri, cui voluerit, nubendi in domino concesseris facultatem. Sicut enim puer; quia non potest reddere debitum, non est aptus conjugio,*

sic quoque qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.

Tandem; ne quis fortè credat sequentibus, ultimisque temporibus minorem evasisse reverentiam Episcoporum Gallicanorum; commemoranda est etiam hoc loci Eminentissimi Cardinalis Borbonii, Archiepiscopi Rothomagensis consultatio, quâ simul cum sua Provincia de pluribus gravioribus dubiis retulit ad Gregorium XIII. Consultationem cum responsis habes inter acta Synodi Rothomagensis, ad annum 1581.

Itaque plusquam indubitatum est ambiguæ disciplinæ quæstiones è numero Majorum Causarum esse censendas: quandoquidem de his, ex omnibus Ecclesiæ universæ partibus nunquam non relatum est ad Sedem Apostolicam. In hoc autem officii genere Ecclesias Gallicanas præ cæteris enituisse probant consultationum exempla quæ laudavimus: neque certè id mirum; *utpote cum Ecclesia Gallicana veluti quoddam totius Christianitatis speculum, ut in fidei fervore, sic in devotione Sedis Apostolicæ alias non sequatur, sed antecedat*, quemadmodum testatur Gregorius IX. in Epistola ad Archiepiscopum Remensem.

V. Unum super est quod anxium lectorem fortassis teneat; nunquid scilicet responsa Pontificum Romanorum qui consuluntur, vim legum in Ecclesiis obtineant.

Ita quidem Romani vulgò contendunt, atque idcirco Imperatores imitati jus quoddam ac veluti codicem

codicem compoſuerunt ex hujuſmodi reſponſis.

Neque verò nos ab iis omnino diſſidemus, ſi modò Pontificum reſponſa non pugnent cum receptis probatiſque Canonibus, neque cum vetuſtis firmatiſque Eccleſiarum conſuetudinibus. Ac primò quidem, quorsùm amabo Eccleſiæ, ſaltem quæ conſulunt Summum Pontificem, ejus reſponſis ipſæ non obſequantur? Neque enim Epiſcopus Romanus conſulitur, ut juriſperitus quidam vel Patronus, ſed ut ſupremus quidam arbiter, atque ut præpoſitus Eccleſiaſticarum legum interpres: quidni ergo ipſius voci obediant, cum reſpondet? cur enim viam oſtendi ſibi quærunt, niſi ut monſtratam ſequantur?

Sed & cæteras quoque Eccleſias Summorum Pontificum reſponſis obtemperare valde conſentaneum eſt, niſi tamen contrariæ, ut jam dixi, eæque non improbæ conſuetudines apud illas vigeant. Etenim ubi Summi Pontifices ad Eccleſiarum quæſita fortè reſpondent, tum ipſi quidem leges novas non tam condunt, quàm antiquas explicant; eoſque interpretantur Canones qui omnibus poſiti ſunt. Ita enim ipſi vulgò profitentur. Ita Innocentius in Epiſtola ad Victricium: *propter eos igitur*, inquit, *qui vel ignorantiâ vel deſidiâ non tenent Eccl. ſi ſticam diſciplinam, & multa non præſumenda præſumunt, rectè poſtulaſti, ut in illis partibus, iſtiuſmodi, quam tenet Eccleſia Romana, forma ſervetur:* NON QUOD NOSTRA PRÆCEPTA ALIQUA IMPERENTUR, SED EA QUÆ PER DESIDIAM ALIQUORUM

neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen Apostolica et Patrum constitutione sunt constituta. Ita Liberius in Epistola ad Constantium: *nunquam mea statuta*, inquit, *sed Apostolica aut essent semper firmata & custodita perfeci, secutus ordinem moremque majorum.* Ita Sanctus Leo in Epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis: *non nova instituentes*, inquit, *sed vetera renovantes; ut in statu consuetudine quæ à nostris Patribus nobis est tradita, perduremus.* Ita denique Pontifices omnes in suis responsis Canones Patrumque sententias aut laudant, aut saltem causantur. Atque ad hunc sensum explicanda est Novella Valentiniani constitutio quâ sancitur, ut pro lege sit quicquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ Sedis authoritas.

ARTICULUS VI.

Quo jure quâve consuetudine usi sunt Galli in finiendis causis gravioribus Episcoporum?

SYNOPSIS.

I. *DISSERTATIONIS hæc est pars difficilior & potior.*

II. *Distinguetur per quatuor Epochas notiores ex historiis nostris peritas.*

III. *Generalia quædam præmittenda.*

I. ECCE ad eam dissertationis partem jam accedimus, quæ & majorem longè solertiam desiderat, quia re ipsa difficultatis plus habet aliis quæ delibatæ sunt, & majorem quoque prudentiam, quia cum veluti de regundis jurisdictionis supremæ finibus agatur, in uno graviorum causarum genere; si in alteram fortè partem, rationum licet pondere, inclinaveris, eorum qui contrariam tuentur, invidiam vix tandem effugies. Neque verò litigantes partes obscuri nominis sunt pauculæve authoritatis: hinc enim stat Romana curia cum suis asseclis: illinc Ecclesia Gallicana cum amplis regni ordinibus. Illa nempe graviores Episcoporum omnium causas Romano Pontifici, etiam quoad primam cognitionem, vindicat: hæc primam ejusmodi causarum cognitionem, in Galliæ saltem finibus, juris esse contendit Synodorum seu Provincialium, seu Nationalium, appellatione quidem reservata Summo Pontifici. Illa jus quoddam novum obtendit, cui antiqua jura cessisse tandem affirmat: hæc jus antiquum semel complexa, novum illud non admittit. Illa religionis caput jactat in Summo Pontifice, ipsiusque voluntati parendum esse ait ab omnibus absque discrimine: hæc fidelium omnium patrem veretur quidem, sed ut filia, non ut serva: libertatemque suam tuetur tum antiquis Canonibus, tum veris Germanisque Summorum Pontificum edictis, tum demum vetusta præscriptaque consuetudine.

II. Isthæc momenta utrinque expendenda sunt;

& quoniam de jure moribusque Gallorum in primis disputandum est, opus reliquum distinxi per epochas notiores, è monumentis nostris petitas: quæque ni lævus sim, argumentum istud quod meditor non parum illustrabunt.

Prima erit ab exordio Ecclesiæ Gallicanæ ad usque tempora Caroli Magni Imperatoris.

Secunda à Carolo Magno ad Hugonem Regem.

Tertia ab Hugone ad Franciscum I.

Quarta à Francisco I. ad nostra usque tempora: quo in intervallo quia occurret Concilium Tridentinum, de ipsius authoritate nonnihil differetur: tandemque, post adducta tum Sorbonæ tum Cleri Gallicani recentia monumenta, dissertationis vis omnis, qualis qualis erit, in uno veluti epilogo exhibebitur.

III. Priusquam autem accedamus ad Gallorum describendos mores, aliqua delineanda sunt sive ex generalioribus Ecclesiæ universæ regulis, sive etiam ex peculiaribus Ecclesiarum illustriorum consuetudinibus: à quibus nempe disciplina Gallicana non nihil pendet.

ARTICULUS VII.

Generalia quædam de Episcoporum judiciis præmittuntur, quæ ad illustrandos Ecclesiæ Gallicanæ mores deinceps juvent.

SYNOPSIS.

I. ETSI ante tempora Concilii Nicæni nulla lex positiva fuerit de judiciis Episcoporum, certum tamen est, etiam tum, illa fuisse penes Episcopos Provinciales.

II. *Non penès unum Episcopum Romanum, ut Novitii quidam scriptores fingunt.*

III. *Illam disciplinam commendat Concilium Nicænũ Can.5.*

IV. *Eandem illustrat magis Concilium Antiochenum Can.14.*

V. *Concilium Sardicense novam judiciorum Episcopalium formam inducere, vel firmare saltem visum est, appellationes tribuendo Summo Pontifici.*

VI. *Lex Sardicensis non statim accepta videtur Orientalibus Ecclesiis, utpotè quæ peculiares leges in Synodis suis sanctas potiùs sequebantur.*

VII. *Exempla antiqua quæ contra proferuntur exquisitæ appellationis formam reipsa non habent.*

VIII. *Sed habeant, si ita lubet, saltem ex ipsis conficitur primam cognitionem Causarum Episcopalium non pertinuisse ad Summum Pontificem.*

IX. *Ut perperam concludunt aliiqui ex Julii Epistolâ.*

X. *Et ex quibusdam posterioribus depositionum exemplis, putà Nestorii, Acacii & Photii.*

XI. *Insolentia facta, si quæ sunt, jus non faciunt, neque in exemplum trahi debent.*

XII. *Africana Ecclesia tardiùs quoque Sardicensem legem sequuta est, Nicæno Canoni, propriæque disciplinæ fortiùs adhærescens.*

XIII. *Ad usque Vandalorum irruptionem.*

I. QUANQUAM, si tempora relegantur quæ Concilium Nicænum 1. antecessêre, positiva lex nulla occurrit, quâ, non Episcoporum dicam, sed ne Clericorum quidem judicandorum ratio præscripta sit: veruntamen certissimum est judiciorum Ecclesiasticorum potestatem jam tum fuisse penes Episcopos: atque adeò, si qui fortè Superioris illius ordinis prævaricati sint, eos à collegis suis pro sceleris gravitate fuisse condemnatos. Etenim cum intelligerent Episcopi positos se à Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei, ne his quidem ex ordine suo pepercerunt qui Ecclesiæ puritatem violare, aut ejus turbare pacem alicubi visi sunt. Ita quidem Novatianus Antipapa, Romæ primùm, tum in Conciliis quoque Italico & Africano, immo *per totum orbem à Sacerdotibus Dei abstentus est*, ut loquitur Cyprianus. Ita Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus in Concilio Antiocheno dejectus est, in ejusque locum suffectus Domnus. Ita Privatus in Labesitana Synodo: Felicissimus, Africæ alii Schismatici in Carthaginensi summoti sunt. Ita Basilides & Martialis proscripti apud Hispanias. Sunt enim hæc illustriora ferè exempla dejectorum Episcoporum priscis illis temporibus: quæ cum ex omnibus Ecclesiæ

partibus adducta sint, generali consuetudine in Ecclesia universa receptum fuisse monstrant ante Concilium Nicænum, ut Episcoporum graviores causæ in Synodis finirentur.

II. Si res esset mihi cum iis tantùm hominibus qui meliori quidem fide agentes, antiquitatem adversari sibi ultrò confitentur, Episcoporumque depositiones non nisi jure quodam novo & recentiori Apostolicæ uni Sedi adscriptas volunt: satis esset mihi vel indicasse exempla isthæc notissima depositionum, neque majori opera usus foret ad confirmandum, supremam, Ecclesiæ initio, fuisse Synodorum authoritatem in Episcopis dejiciendis. Verùm quia nonnulli eò cæcitatis vel potiùs audaciæ prorumpere visi sunt postremis temporibus, ut scripserint primam cognitionem accusationum Episcopalium ab omni ævo pertinuisse ad Apostolicam Sedem: adeò ut Synodi Provinciarum aut Nationum istiusmodi causas nusquam attigerint, nisi vel jubente, vel permittente, ac veluti tolerante Summo Pontifice, istud somnium excutiendum est, explorandumque jam ab aditu, num reipsa Episcorum depositiones illæ, quæ primis Ecclesiæ temporibus contigere, solius Episcopi Romani authoritate decretæ sint.

Equidem non inficior, si de Novatiani dejectione agatur, Cornelii authoritatem re ipsa in ea interfuisse: at certè quid mirum, cum Novatianus in urbe ipsa Romana tragœdias excitaret, inibi primò judicatum eum esse? Quanquam ne quidem

Cornelii Synodive Romanæ judicium alios Ecclesiæ Episcopos prohibuit, quominùs ipsi quoque Novatianum excommunicarent : nihil minùs enim abstentus est postmodùm non in conciliis modò Italico & Africano, sed ab omnibus Ecclesiæ Sacerdotibus, ut è Cypriano jam præfatus sum.

Quod Paulum Samosatenum attinet ; narrat quidem Eusebius lib. 7. cap. 22. & 23. quomodo ab infinitis penè Episcopis Antiochiæ dejectus est; at ne mentionem quidem facit interlocutionis ullius Dionysiii Romani, qui tum sedebat. Quin potiùs, finitâ omnino causâ, ei per Epistolam nuntiant Orientis Episcopi depositum à se se fuisse Samosatenum ob impietates & flagitia, aliumque in ejus locum esse substitutum : *Istum igitur*, inquiunt, *tam Deo adversarium, tamque contumacem necesse fuit expellere, & alium Episcopum qui huic Ecclesiæ Catholicæ præesset, in ejus locum substituere.* Nec est quod Palpator fortè aliquis objiciat Synodicam hanc Epistolam ab Orientis Episcopis Dionysio scriptam esse ut ei morem gererent, ejusque mendicarent authoritatem ad judicium suum confirmandum; nam eadem Epistola directa est quoque nominatim ad Maximum Alexandriæ Episcopum ; immo ad omnes Christiani orbis Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Ita enim habet inscriptio Epistolæ relatæ ab Eusebio lib. 7. cap. 24. *Dionysio, Maximo, & omnibus ubique in orbe terrarum collegis Episcopis, Presbyteris & Diaconis, & universæ ac Catholicæ sub cœlo Ecclesiæ, &c.* Præterea

Episcopi

Episcopi ipsi Orientales rationem aperiunt in sua Epistola cur Dionysium aliosque Ecclesiæ Catholicæ Antistites certiores faciant de electione Domini, déque Samosateni exauctoratione, uti nempe cum illo communicent, ab hujus autem consuetudine deinceps abhorreant: *ac vos*, inquiunt, *de ejus* (hoc est Domini) *electione per Epistolam certiores fecimus, ut illi scribatis, & ab illo litteras accipiatis communionis. Paulus autem ad Artemonem litteras scribat: & si qui Artemonis partibus faveant, cum eo deinceps communicent.* Ita verò scripserat olim Cornelius ad Fabium Ecclesiæ Antiochenæ Episcopum, de Novatiani apud Occidentales proscriptione; uti fidem facit Eusebius idem lib. 6. cap. 35. his verbis: *Epistolæ quidem Cornelii Episcopi Romani scriptæ ad Fabium Episcopum Ecclesiæ Antiochenæ ad nos pervenerunt; quæ tum acta Concilii Romæ habiti, tum quæ ab omnibus in Italia, in Africa, inque aliis locis de eo errore decreta erant, evidenter declarant.*

Jam verò si de Privato, Felicissimo aliisque Episcopis agatur qui in Africa dejecti sunt: nemo quidem dicere hactenus vel scribere ausus est, depositos esse illos Romani Pontificis authoritate. Apertiùs enim contradicit Cyprianus, qui Epist. 55. quæ est ad Cornelium, eos potiùs exagitat qui post Africana judicia Romam navigare ausi erant: *quæ enim causa*, inquit, *veniendi*, Romam nempe, *& Pseudo-Episcoporum contra Episcopos factum nuntiandi? aut enim placet illis quod fecerunt, & in suo scelere perseverant: aut si displicet & recedunt, sciunt*

quò revertantur. Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum; & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat quisque & gubernet, rationem sui actus domino redditurus: oportet utique eos quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam; ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint. Et paucis interjectis, addit: *jam causa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est, nec censuræ congruit Sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi.* Quasi dicat Cyprianus, sententiam ab Africanis latam contra Felicissimum & alios tenere sic oportere, ut ne ab Episcopo quidem Romano infringi debeat.

Eadem fuit ratio judicii quod contra Basilidem & Martialem in Hispaniis latum erat. Idem enim Cyprianus ab Hispanis ea de re interpellatus, in istos quoque Epist. 68. invehitur, quòd Romam dejecti confugissent, *Stephanumque collegam*, ut ait, *longè positum, & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellissent.*

Constat itaque Episcoporum depositiones, ante Concilii Nicæni tempora, non modò decretas esse in Provinciis absque ulla procuratione Summi Pontificis: sed ne ad ipsum quidem tum temporis fuisse referendas.

III. Disciplinam hanc illustrat stabilitque magis Concilii Nicæni Canon. 5. sic enim fert primò:

de iis qui communione privantur, seu ex Clero seu ex Laïco ordine, ab Episcopis uniuscujusque Provinciæ servetur hæc sententia secundùm Canonem qui pronuntiat, ut hi qui ab aliis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur Quibus quidem verbis significatur jam tum ante Concilium Nicænum Ecclesiasticas pœnas inflictas fuisse à Provinciarum singularum Episcopis: eos verò qui sive ex Clero sive ex Laïco ordine ab unis Episcopis ligati erant, aut abjecti, ab aliis nec solvi potuisse nec restitui. Hac autem lege, quam quidem firmat Concilium, ne Episcopus quidem Romanus excipitur: atque adeo ne is quidem evertere potuit quæ ab aliis Episcopis rectè Justèque fuerunt constituta. Deinde verò Canon idem judiciorum Ecclesiasticorum formam præscribit clariùs his verbis: *ut hoc decentiùs examinetur, rectè habere visum est, ut singulis annis per unamquamque Provinciam bis in anno Synodi fiant, ut omnes in unum convenientes Episcopi Provinciæ, ejusmodi quæstiones examinent.*

At ne in his quidem Episcopi Romani mentio fit: non privilegium ei ullum tribuitur: non Episcoporum ipsi reservantur causæ: sed Ecclesiastica negotia, & maximè quæ infligendas pœnas spectant, unis Provinciarum Synodis generatim addicuntur.

IV. Speciatim verò distinctiúsque Episcopalium judiciorum ratio præscripta est in Concilio Antiocheno ad annum Christi 341. cujus quidem Canones unà cum Nicænis antiquo Ecclesiæ codici inserti sunt: atque ita in Concilio Chalcedonensi

olim approbati. Sic enim edicitur Antiocheni Concilii Can. 14. *Si quis Episcopus de quibusdam criminibus judicetur, deinde contingat Episcopos Provinciæ de eo dissidere; illis quidem eum, de quo fertur sententia, innocentem pronuntiantibus; his verò, reum: pro tota componenda controversia, placuit Sanctæ Synodo, ut Episcopus Metropolitanus è vicinâ Provinciâ judices alios convocet; qui controversiam tollant, & quod cum Provinciæ Episcopis probatum fuerit, confirmet.* Ita etiam habet Canon. 15. *Si quis Episcopus aliquorum criminum accusatus, ab omnibus Provinciæ Episcopis condemnatus fuerit, & omnes unam consentientem adversùs eum sententiam tulerint: is ne ampliùs ab aliis judicetur: sed Provinciæ Episcoporum firma maneat sententia.* Atqui profectò duabus hisce legibus, quæ quidem ambæ nitidæ sunt & apertæ, judicandorum Episcoporum forma sic traditur, ut ne in una quidem Apostolicæ Sedis aut Romani Pontificis nomen prolatum sit; immo verò jubet utraque, quisquis tandem casus contingat, in Provinciis retinendas finiendasque Episcoporum qualescunque causas. Vel enim Episcopi Provinciæ alicujus dissidebunt in collega judicando; tumque jubetur Metropolitanus è vicinâ Provinciâ judices alios advocare qui controversiam tollant; ipsum verò confirmare oportet, quod à pluribus judicatum fuerit: vel consentient omnes in condemnando reo; tumque firma jubetur stare lata sententia, causæque sic finitæ cognitio vel retractatio Episcopi aliis omnibus, excepto quidem nullo, interdicitur.

V. Tandem Concilium Sardicense anno Christi 347. disciplinam hanc immutare, novamque judiciorum formam inducere visum est Canonibus 3. 4. & 7. cum enim antea Episcoporum qualescunque causæ in Synodis Provincialibus omnino finirentur, officiosa voluntate Episcoporum Occidentalium qui Sardicam frequentes convenerant, Episcopo Romano delata est pars aliqua cognitionis earum saltem causarum quæ graviores forent, & ob quas forsan Episcopos in Synodis Provinciarum deponi contingeret. Describendi sunt Canones illi Sardicenses; tum ut lector judicare ipse possit, nunquid re ipsa novi aliquid contineant quod à Superiorum temporum legibus abhorreat; tum ut, iis veluti positis principiis, agere liberiùs deinceps possim ac securiùs.

Canon 3. Sardicensis: *Osius Episcopus dixit, illud quoque necessariò adjiciendum est, &c.* Tum, quæ ad institutum nostrum spectant: *Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur; si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo: & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam esse ut non refricentur ea quæ acta sunt; quæ decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: placet.*

Canon 4. Sardic. *Gaudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam*

sanctitate protulisti; ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma: alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur; nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.

Canon 7. Sardic. *Osius Episcopus dixit: Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint: Si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri: si justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat: erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus authoritatem, à quo destinati sunt; erit in suo arbitrio. Si verò credederit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant; faciet quod sapientissimo consilio judicaverit.*

Ex una comparatione istorum Canonum cum iis quæ tum ex Nicæno, tum ex Antiocheno Concilio retulimus statim liquet Episcopo Romano, in Episcoporum aliorum judiciis, privilegii collatum esse aliquid, quod ipsi antea, saltem ex positivis

Ecclesiæ legibus non competebat : Nempè ut Episcoporum dejectorum causæ ad ejus nutum retractari possent, si Episcopi dejecti ipsum fortè appellarent.

Non hîc disputabo longiùs, an facultas illa renovandi judicia Episcoporum dejectorum, quam Sardicenses Canones Episcopo Romano tribuunt, posita sit modò in jure quodam revisionis, quale Imperatoribus olim competebat; uti quidem scripsit illustrissimus Marca lib. 7. cap. 3. An verò Canonibus Sardicensibus revera sancita sit appellationum lex, ut reliquis ferè placet magis. Etenim perinde est mihi ad institutum, si modò constet primam cognitionem causarum Episcopalium Synodis Provincialibus usque conservatam : summo autem Pontifici non nisi secundam aliquam indultam esse. Quanquam, ut verum fatear, ad eam opinionem accedo magis, quæ ad Canones Sardicenses appellationum institutionem refert. Tum quia Can. 7. verbum *Apellare* usurpatur. *Si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, &c.* Tum quia vicit reipsa hæc opinio, eique vulgò subscribunt sacri juris interpretes.

Non est etiam instituti mei examinare hîc an appellationes ita sancitæ sint primò in Concilio Sardicensi, ut earum vestigium nullum in Ecclesia priùs extiterit : an verò consuetudinem jam ex parte receptam confirmaverint Patres Sardicenses, ut recentiores aliqui suadere conantur exemplis

nonnullis, putà Marcionis, Basilidis & Martialis, Athanasii, &c. qui ante Sardicensem legem ad Episcopum Romanum videntur appellasse. Ut ut sit enim, etiam fatentibus illis qui posteriorem opinionem defendunt, manebit certum graviores Episcoporum causas, usque à primis Ecclesiæ temporibus, relatas non fuisse ad Sedem Apostolicam, nisi post Episcopalia judicia: quod mihi quidem hactenus sufficit.

Constat saltem apud omnes formam aliquam certam judiciorum Episcopalium accuratiùs præscriptam esse Canonibus Sardicensibus: quæ quidem in iis consistit.

I. Ut Episcopi accusati judicentur priùs in Synodis Provinciarum: Immo, si res ita postulet, etiam deponantur.

II. Ut, si Episcopus in Synodo Provinciæ depositus putat se bonam causam habere, vel ipsius judices ad Episcopum Romanum scribant, si forte placeat ipsi renovare judicium: vel certè dejecto ipsi Episcopo liberum sit appellare summum Pontificem, ad eumque confugere.

III. Ut, interposita semel appellatione Episcopi depositi ad Romanam sedem, alter in ejus locum non substituatur, quamdiu Romani Pontificis judicio finita causa non fuerit.

IV. Denique, ut, si Romanus Pontifex renovandum judicium censuerit, vel scribat ipse ad Episcopos finitimæ provinciæ qui rem juxta veritatis fidem definiant: vel Episcopi dejecti precibus fortè

fortè commotus Presbyterum è latere suo mittat, immo & plures, si lubet, qui cum Episcopis rem totam in Provincia judicent ac definiant.

VI. Non sic grata fuit lex ista Ecclesiis Orientalibus, quæ quidem ab Occidentalibus nuper defecerant, quæque talem consuetudinem non habebant ipsæ, ut judicia sua ab Occidentalibus, minúsque à Romano solo Pontifice, retractari paterentur.

Et verò constituerant illæ sibi peculiares leges ac regulas de Episcoporum judiciis: præter enim Antiochenos Canones quos ante laudavimus, alios ediderant non nihil quidem dissimiles, tum in Concilio Constantinopolitano 1. tum in Concilio Chalcedonensi. In Concilio quidem Constantinop. Episcoporum judicia sic ordinantur Can. 6. qui Canon tametsi omissus sit à Dionysio exiguo, habetur tamen in collectione Græca seu Trullana: *Iubet Sancta Synodus primùm quidem apud Provinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi qui accusatur. Quòd si evenerit ut Provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non possint: tunc ipsos accedere ad majorem Synodum Diœceseos illius Episcoporum pro hac causa convocatorum.* Ibi certè mentio nulla fit Romani Episcopi, ne quoad appellationes quidem: remittitur enim ad Concilium Diœceseos, quod in Synodo Provinciæ finiri non poterit. Sed neque Romani Episcopi mentio ulla fit in Canone 9. Chalcedon. qui eodem de argumento editus est;

ita enim habet Canon ille : *quòd si Clericus habet querelam adversùs Episcopùm proprium , vel adversùs alterum , apud Synodum Provinciæ judicetur. Quòd si adversùs ejusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam , petat Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ , & apud ipsum judicetur.* Nihil habet novi Canon iste , nisi quod Metropolitanorum causas à communi lege excipit : sed ne illas quidem remittit ad Summum Pontificem : eas enim vel ad Primatem , vel ad Sedem Constantinopolitanam deferri jubet.

Longè quidem verisimilius est celebrata esse Episcoporum judicia in Oriente juxta hos Canones, quàm juxta leges Sardicenses. Neque juvat quicquam quòd Canones Sardicenses in Trullana collectione , immo & in Photii nomo-canone adjecti sunt : nam & illic reperiuntur quoque Antiocheni, Constantinopolitani & Chalcedonenses.

VII. Non ignoro proferri ab aliquibus exempla nonnulla , quibus confici putant appellandi morem etiam invaluisse apud Orientales ferè circa tempora Concilii Sardicensis , ut Eusthatii Sebasteni , Flaviani Constantinopolitani , Theodoreti , Chrysostomi , Ioannis Alexandrini cognominati Talaiæ , & similium , si qui sint : qui quidem omnes ad Apostolicam Sedem videntur confugisse. At certè audacter dixerim vix in aliquo ejusmodi exemplorum veram appellationum formam reperiri ; eamque præsertim quæ Canonibus Sardicensibus adstructa est. Si quis autem roget quo igitur no-

mine præstantes tot Episcopi & Antistites Romam confugerint postquam in Oriente dejecti sunt : reponam ego id ferè naturale mortalibus, ut cum iniquiùs actum esse secum arbitrantur, apud eos expostulent penès quos potior est authoritas. Atque ita Episcopi qui habitos se malè crediderunt in Synodis Provincialibus, modò quidem ad Imperatores, modò ad Primarias & Apostolicas Sedes, modò denique, sæpiusque ad Romanam Sedem querelas detulerunt : sæpius, inquam, ad Romanam Sedem, tum quia omnium facilè princeps est, tum quia vel agebatur de violatis Canonibus, quorum executioni invigilare præ cæteris oportet Romanum Episcopum, vel de fidei causis & quæstionibus ; quas quidem singulari quodam jure ad Petri cathedram, veluti ad unitatis centrum referendas ante dixi : hanc enim ob rem qui pravæ fidei olim accusabantur, illuc pergebant sæpius, fidem suam probaturi; Ecclesiæque Romanæ communionem ardentiùs expetebant.

VIII. Ista perstringo cursim, quoniam ad Gallicos mores properanti mihi extranearum Ecclesiarum consuetudines indicasse satis erit : eaque in illis adnotasse, quæ ad consilium cœptum juvare possunt. Itaque prolata ex Oriente exempla non morabor ampliùs ; illa, per me licet, appellationum formam contineant, siquidem ita placet Romanæ curiæ defensoribus : ergo, vel ipsis confitentibus Episcoporum causæ in Oriente à Synodis Provinciarum judicabantur ; dejectique Episcopi,

nonnisi post latam à Collegis sententiam, ad Romanum Pontificem provocabant; quod ego unum jam contendo.

IX. Non est itaque quòd ampliùs jactetur famosa Julii Epistola (non spuria illa quidem, sed ea quæ reperitur apud Athanasium) in qua scilicet Julius Orientales videtur arguere, quod inconsulto se Athanasii causam cognovissent contra consuetudinem: non est, inquam, quòd inde arguatur ab aliquibus primam cognitionem graviorum Causarum Episcopalium jam tum ex Orientis consuetudine delatam esse ad Summum Pontificem. Ecce enim ab hoc jure, si tamen aliquod fuisset, ipsi jam recedunt acriores illi Provinciæ dignitatis vindices, cum vel appellationum ipsarum usum ac disciplinam, non ad Sardicenses modò Canones, sed ad consuetudinem etiam anteriorem relatam volunt. Dixi (si tamen jus aliquod ejusmodi fuisset) neque enim hactenus constitit satis apud peritos, quomodo Julius Pontifex tribuerit sibi quasi vi consuetudinis alicujus potestatem dejiciendorum Episcoporum in Oriente, Episcoporum inquam Ecclesiarum insigniorum: nam & Paulus Samosatenus, & Eusthatius, uterque Patriarcha, Antiochiæ depositi erant; neque tamen Episcopi Romani authoritas usquam accesserat. Sed neque Alexandrinæ ipsius Ecclesiæ Episcopus ullus dejectus erat ante Athanasium: quare ne ad Ecclesiam quidem Alexandrinam mos ille coërceri potest quem causatur Julius. Revera quidem ubi Dionysius

Alexandrinus agens contra Sabellianos ad impietatem Arianam deflectere visus est, scripserunt Alexandrini ad Dionysium Romanum: sed neque depositus est Dionysius Alexandrinus, neque judicium ullum adversùs ipsum prolatum est. Monuerunt scilicet Alexandrini Dionysium Romanum, ut communi causæ succurreret: fidem verò suam scriptis apologiis sic benè purgavit Dionysius, ut laudari meruerit potiùs quam damnari. Quòd si ad unum ejusmodi factum attendit Julius, is profectò neque consuetudinem causari potuit ullam, neque de Orientalibus ob aliud conqueri, nisi quòd in Athanasii Causa Majorum suorum urbanitatem & vigilantiam imitati non essent: qui scilicet in communi causa, ubi Dionysii fides in suspicionem adducta est, ad Apostolicam Sedem litteras direxerant.

X. Nec est etiam quod urgeantur magis exempla quædam depositionum ex Oriente, quæ posteriora sunt: quasi verò illis Apostolicæ Sedi jus assertum sit Episcopos dejiciendi Ecclesiarum Orientalium: quale verbi gratiâ Nestorii videtur factum, qui à Cælestino proscriptus est: quale Acacii, qui à Felice: quale demum Photii qui ab Adriano I. Etenim Romani Pontifices disciplinam Sardicensem amplectendo, sive jus appellationum induxerit illa, sive confirmaverit; uno se tandem appellationum jure contentos monstraverunt. Immo ne post Schisma quidem amplius aliquid sibi vindicarunt, quoties de ambarum Ecclesiarum unione agitatum est: ut liquet præsertim ex Canone 5. Concil.

4. Lateran. cui Innocentius III. præfuit : tum verò ex iis etiam quæ sive in Concilio Lugdunensi, sive demum in Florentino statuta sunt.

At ne illa quidem facta, Nestorii scilicet, Acacii & Photii communem ordinariamque judiciorum Episcopalium legem quicquam offendunt. Nam, ut omittam in eis omnibus actum esse de fide, quæ si in periculum adducatur, ab omnibus Ecclesiæ Episcopis, & præsertim ab Episcopo Romano modis omnibus vindicanda est : Nestorii factum quod primum laudatum est, Ecclesiæ Romanæ adulatoribus non multùm favet : tum quia querela de Nestorio non ad Cælestinum primò delata est, sed ad Cyrillum Alexandrinum, qui deinde ad Cælestinum scripsit, ut refert Liberatus : tum quia post Cælestini sententiam, nihil minùs à Concilio rursum depositus est Nestorius : tum denique quia in eadem Nestorii causa Joannes Antiochenus & Cyrillus Alexandrinus mutuò sese dejecerunt, quia invicem se hæreseos accusabant. Ex quo quidem inferre licet proscribendi ac dejiciendi jus, ubi de fide actum est, non ùni Romano Pontifici, sed & aliis quoque Antistitibus usurpatum.

Non favet magis Acacii depositio : utpotè quæ à Felice decreta est, non ut authore constitutionis alicujus, verùm ut executore sententiæ quæ à Concilio Chalcedonensi contra Eutychianos omnes lata erat, ut ipse adnotat Gelasius in commonitorio ad Faustum : cum enim ægrè ferret Euphemius

Constantinopolitanus Patriarcha decessorem suum Acacium ab uno proscriptum esse, putà ab uno Romano Pontifice; decessorem ipse suum Felicem sic excusat Gelasius, quod *per numerosam sententiam Sacerdotum Eutychiani erroris damnatis authoribus, decessorem suum constaret executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis authorem.*

Quod ad Photium tandem spectat, nihil mirum est, cum ipse schismaticorum stipatus turmâ, Imperatorisque gratiâ innixus omnia sus déque verteret Constantinopoli, Ignatius verò iniquè pulsus, affectusque crudeliter omni ferè auxilio destitutus videretur: nihil mirum inquam, si tali exigente casu, Romani Pontificis authoritas interesse tum visa est: cum nempe ordinariæ viæ non supererent, sive ad Photii reprimendam audaciam, sive ad innocentiam Ignatii vindicandam. Neque enim diffiteri quis potest quin procurationis sit Romani Pontificis toties per se subvenire, quoties insolentes fortè casus occurrunt, qui Provinciales conventus, sancitumque Canonibus judiciorum Episcopalium ordinem turbant vel præpediunt. Immo & concurrere tum debent, ut possunt, Ecclesiarum aliarum Episcopi, ne scilicet ordinariis illis deficientibus remediis, malum fundatur latiùs; atque ita vel fides, vel disciplinæ vigor detrimentum tandem aliquod patiatur.

XI. Hoc autem advertere hîc, immo & inculcare sæpiùs necessum est. Quippe non desunt ex adversariis, qui ex eo quòd ad insolentes istiusmodi

casus accedere interdum visa sit Ecclesiæ Romanæ authoritas, concludant statim ipsius unius esse cognoscere causas planè omnes quæ majores sunt: cæterarum autem Sedium Episcopos eas non attingere, nisi ex aliqua veluti dispensatione: quasi verò quæ extra ordinem contingunt, communem legem tollant; liceatve ex necessitate ipsa, quæ legem nescit, legem aliquam componere. Ne ampliùs itaque pro legibus obtrudantur insolentia quædam facta, quæ præter leges sunt: attendere siquidem nos oportet non quæ præter ordinem in Episcoporum judiciis contigere, sed quid leges Ecclesiasticæ de illis, quid Canones, quid legitimæ Ecclesiarum consuetudines ferant & imperent.

Itaque cum de Orientalis Ecclesiæ moribus occasione data jam agatur, eos metiri non oportet ex judiciis quibusdam Episcoporum insolentibus: verùm potiùs ex legibus quæ hoc de argumento in Synodis Orientalibus sancitæ sunt, putà in Synodo Nicæna, in Antiochena, in Constantinopolitana prima, demumque in Chalcedonensi. Nisi etiam fateri velimus Sardicenses Canones apud Orientem invaluisse tandem: quod ego quidem obstinatè non inficier. Ut ut sit autem, sive Orientalium Synodorum leges in Oriente viguerint, sive obtinuerint ibi tandem Canones Sardicenses, constabit semper primam Episcopalium Causarum cognitionem ex Oriente ad Apostolicam Sedem lege nulla fuisse perferendam.

XII. Ut verò ad Ecclesias Occidentales tandem transeamus,

transeamus; certum est Sardicenses Canones & citiùs & faciliùs apud eas obtinuisse: nam & ab Occidentalibus ipsis Episcopis editæ erant, & Ecclesiæ cæteræ Occidentales Apostolicæ Sedis gloriæ minùs invidebant, cum ab illa pleræque fidei lumen, Christique doctrinam accepissent.

Non dissimulandum est tamen quin Africana Ecclesia Sardicensem disciplinam ægriùs paulò tardiúsque amplexa sit. Nemo enim ignorat quæ occasione Appiarii Presbyteri in Africa contigerint. Is ab Urbano Episcopo dejectus erat: appellavit ad Zozimum: Zozimus eum absolvit, misitque legatos seu executores ad Africam qui eum restituerent: protulere isti commonitorium in quo Sardicenses Canones quasi Nicæni laudabantur. Hæsere quidem Africani, obsecuti tamen interim, dum res dilucidior fieret: eam ob rem Apostolicas alias Ecclesias consulunt, num fortè integriora penès illas exempla essent Synodi Nicænæ. Certiores autem facti, revera de appellationibus ad Sedem Romanam in toto Concilio Nicæno planè nihil contineri, scribunt ad Cælestinum (Zozimus enim, & Bonifacius qui medius interceserat, è vivis excesserant) rogantque illum ne Africana judicia deinceps retractare velit. Epistolæ verba hîc describo quia Ecclesiæ Africanæ mens ac disciplina intelligi aliunde meliùs vix poterit: *Præfato itaque debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultrà*

velitis excipere : quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet venerabilitas tua. Nam & si de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaveri; quantò magis hoc de Episcopis voluit observari : ne in suâ Provincia à communione suspensi à tua sanctitate præproperè, vel indebitè videantur, communioni restituti. Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, & sicut te dignum est, repellat sanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ : & decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt; prudentissimè enim justissimèque viderunt quæcunque negotia, in suis locis, ubi orta sunt, finienda. Nec unicuique providentiæ gratiam S. Spiritus defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur : maximè, quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi fortè quisquam est, qui credat, unicuilibet posse examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud, quod pridem per eundem Coëpiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii, exinde transmissilis, in Conciliis

verioribus, quæ accipiuntur Nicæni, à Sancto Cyrillo Coëpiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis : quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo decessori vestro à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere : ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere : nam de fratre nostro Faustino, (amoto jam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario) securi sumus, quod eum probitate, ac moderatione tuæ sanctitatis, salva fraterna charitate, ulteriùs Africa minimè patiatur.

Ex his videre est primò Sardicensem de appellationibus legem Africanis Ecclesiis acceptam tunc nondum fuisse; immo ne cognitam quidem fuisse suadent Epistolæ hæc verba : *nam ut aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum.*

Colligere est secundò tum Clericorum tum Episcoporum causas apud Afros judicatas esse in Synodis Provinciarum : atque hunc agendi morem dectetis Nicænis commendatum eis fuisse, quæ, ut habet Epistola, *sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolianis apertissimè commiserunt.*

Colligere est tertiò liberum fuisse tum Clericis,

tum Episcopis, si habitos se iniquiùs putarent à primis suis judicibus, ad Concilia Provinciæ ampliora, vel etiam ad universale Africæ totius Concilium provocare: *quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare.* Hæc disciplina ætate Sancti Cypriani jam vigebat in Africa, ut ante observavimus ex ejus Epistolis, ac præsertim ex Epistol. 55. ubi sententiam adducit quam in Epistola ad Cælestinum Africani repetunt, scilicet *quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt, finienda.*

Eadem verò disciplina sancita est magis, magisque explicata in pluribus Africæ Conciliis, ut videre est in Codice Ecclesiæ Africanæ. Non modò enim Canone primo ejus codicis generatim approbantur quæcunque in Concilio Nicæno statuta erant: sed & aliis multis Canonibus Episcopalium judiciorum ordo nitidè stabilitur.

Canone 19. edicitur accusandum esse Episcopum apud Primatem seu Metropolitanum Provinciæ, ut causa nempe in Synodo Provinciæ agitanda proponatur: *quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem Provinciæ ipsius causam deferat accusator.*

Quòd si Concilium Provinciæ haberi statim non posset; nec universalis, quod singulis annis habebatur, tempus adhuc adesset, accusatus Episcopus à Collegis duodecim judicandus erat, ne in crimine remaneret: sic enim jubet Canon 12. *si quis Episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos*

congregare; ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis, & Presbyter à sex Episcopis cum suo proprio Episcopo audiatur, & Diaconus à tribus. Canon iste decimus est Concilii 2. Carthag. idem verò statutum est Can. 11. Conc. Carthag. 1.

Postquam à duodecim collegis primò judicatus erat Episcopus; poterat, si lubebat, appellare ad majus Concilium sine injuria primorum suorum judicum: si verò ipse judices elegisset, quanquam fortè numero pauciores fuissent quàm duodecim, ab eorum judicio appellare omnino non poterat. Ita fert Canon 15. codicis Africani: *hoc etiam placuit, ut à quibuscunque judiciis Ecclesiasticis ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est major authoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratiâ depravati. Sanè si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam à pauciore numero, quàm constitutum est, non liceat provocari.*

Lex ista posterior de judicibus electis repetitur Canonibus 96. & 122. Ac si quis dicat Canones istos intelligendos esse de Clericis, minimè verò de Episcopis, consulat iste Canonem 100. in quo Maurentius Episcopus Germaniæ novæ, qui in Provincia sua accusatus fuerat apud Xantippum Primatem, cum in plenario Concilio non apparerent accusatores, petiit ipse judices: *Maurentius Episcopus, dixit judices peto Sanctum Senem Xantippum, Sanctum Augustinum, Florentium, Theasium, Sanctium,*

Secundum , & Possidium , hoc decerni mihi jubeatis. Sanctum Concilium concessit judices postulatos : reliquos autem judices ad complendum numerum necessarios , eligentibus ipsis senioribus à nova Germania senex Xantippus curavit decernere.

Tandem contingebat sæpè ut graviores Episcoporum causæ in Provinciis agitatæ à generali Africæ Concilio finirentur, uti probant exempla longè plurima quæ legere est in Canonibus Ecclesiæ Africanæ. Ita Canone 65. conjurant Patres omnes in Equitium Episcopum qui damnatus ante jam fuerat. Ita Canone 77. Cresconius Villa-Regensis Episcopus per Primatem suum admonendus dicitur , *ut proximo universali Concilio Africano suam præsentiam non differat exhibere.* Ita Canone 87. Quod-vult-deus Centurionsis Episcopus , dum accusator in Concilio compareat , excommunicatus declaratur ; post ventilatam causam , si res ita postulet , è Sede dejiciendus. Ita Canone 88. Maximianus Episcopus Bagaiensis planè deponitur. Ita demum Canone 97. Primosus Thiganensis requisitus est , ut in Concilio plenario judicaretur.

In hac tota judiciorum Africanorum ordinatione mentio nulla fit appellationum ad Romanam Sedem. Quin potiùs Canone 28. appellationes ejusmodi districtè sic vetantur : *Item placuit , ut Presbyteri , Diaconi , vel cæteri inferiores Clerici, in causis quas habuerint , si de judiciis Episcoporum suorum quæsti fuerint , vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant , & inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi :*

quòd si ab eis provocandum putaverint, non provocent ad Transmarina judicia, sed ad Primates suarum Provinciarum, aut ad universale Concilium, SICUT ET DE EPISCOPIS SÆPE CONSTITUTUM EST: *ad Transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem suscipiatur.*

XIII. Attamen Vandalis in Africam irrumpentibus Ecclesia Africana unà cum libertate veterem quoque disciplinam amisit: sensimque deinceps Romani Pontifices appellationes ex Africa ad se pertraxerunt. Patet id quidem ex Epistola Sancti Leonis 87. quæ est ad Episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos. In eâ enim cætera inter, quæ Sanctus Leo Afris imperat, Lupicinum Episcopum, qui ad Sedem Apostolicam provocaverat, rursùs audiri jubet: queriturque quòd, appellatione pendente, alter in ipsius locum suffectus esset: *Causam quoque Lupicini Episcopi illic jubemus audiri: cui multùm & sæpiùs postulanti communionem hac ratione reddimus: Quoniam cum ad nostrum judicium provocasset, immeritò cum, pendente negotio, à communione videbamus fuisse suspensum. Adjectum etiam illud est, quòd huic temerè superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus, aut certè confessus justæ posset subjacere sententiæ, ut vacantem locum, quemadmodùm disciplina Ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur exciperet.* Ecclesiastica illa disciplina quam laudat Leo alia non est à Sardicensi, ut liquet; cui tandem obsecutam esse Africam eò

verisimilius est, quòd Sardicenses Canones insertos deinceps videamus tum in Ferrandi Carthaginensis Diaconi Breviario, tum in collectione seu concordia Canonum à Cresconio Episcopo Africano adornata.

Operæ pretium fuit pauca hæc referre de regulis & moribus Ecclesiæ Africanæ, quia ipsius Canones Ecclesiæ Romanæ Codici etiam inserti sunt, eorumque non paucos Ecclesia nostra Gallicana in moribus suis componendis imitata est.

ARTICULUS VIII.

Quo jure quave authoritate Episcopi graviorum criminum rei dejecti sunt in Galliis ad usque tempora Caroli Magni?

RES ut evadat clarior inquirere oportet primò quod genus legum ea temporis intercapedine viguerit apud Gallos de Episcoporum judiciis. Tum facta ipsa seu singula Episcoporum judicia expendenda erunt.

§. I.

Quod genus legum valuit apud Gallos de Episcoporum judiciis ad usque Carolum Magnum?

SYNOPSIS.

I. DUBITANDI *locus nullus est quin ante Concilium Sardicense eadem ratio in Galliis viguerit deponendorum Episcoporum, quæ in cæteris Ecclesiæ partibus.*

II. *Contrarium*

II. *Contrarium non suadet Cypriani locus de Martiano Arelatensi.*

III. *Ut confirmat Euphratæ depositio facta in Concilio Agrippinensi.*

IV. *Quod Concilium etsi Nationale fuerit, nihil inde imminuitur Provincialium Synodorum authoritas.*

V. *Neque etiam statim inde consequitur licere idem Summo Pontifici in Episcoporum judiciis, quod Nationali Concilio.*

VI. *Quo tempore lex Sardicensis vigere cæperit in Galliis neque assequi promptum est, neque sollicitius inquirendum.*

VII. *Certum tamen est ante tempora Caroli Magni non usos fuisse Gallos solo antiquo Ecclesiæ Orientalis Codice, qui in Concilio Chalcedonensi laudatus est.*

VIII. *Licet revera prima illa Ecclesiæ Gallicanæ ætate priorum Conciliorum Canones ex quibus constat ejusmodi codex in Galliis valuerint.*

IX. *Fuerintque etiam in seriem redacti, aptatique ad usum Galliarum.*

X. *Verum ante tempora Caroli Magni fuerunt & alii Canones in usu apud Gallos, putà cùm Africani, tum Sardicenses.*

XI. *Et sanè Innocentius I. legem Sardicensem de judiciis Episcoporum Gallis intimaverat in Epistola ad Victricium Rothomagensem.*

I. DUBITANDI locus nullus est quin ante Concilium Sardicense eadem in Galliis ratio deponendorum Episcoporum fuerit, quæ in cæteris Ecclesiæ partibus. Etenim cum Ecclesiæ Gallicanæ à viris Apostolicis institutæ essent, eam dubio procul judiciorum Ecclesiasticorum formam acceperant, quæ in cæteris

Ecclesiis celebrabatur : atque adeò in Synodis Provinciarum Episcopos judicabant Galli, uti ab aliis gentibus fuisse usurpatum prænotavimus. Jam verò cum Nicænum Concilium Ecclesiastica omnia negotia Provinciarum Synodis disertissima lege commisisset, hæc lex dubio procul non minùs valuit apud Gallos quàm apud cæteras gentes : nisi fortè quis dicat Ecclesias Gallicanas minùs observantes fuisse Concilii illius primi Oecumenici; cum tamen omnes ferè Nicænos Canones in Synodis Galliarum descriptos videamus.

II. Mirum est à novitio scriptore qui Gallo-Romanensem se nuper prædicabat, recantatum esse Cypriani locum de Martiano Arelatensi : quasi verò inde conficiatur Episcopos primis illis temporibus depositos esse in Gallia non à Synodis quidem Provincialibus, ut ferebat communis Ecclesiarum omnium lex & consuetudo, sed Romani unius Pontificis nutu atque authoritate.

Mitto quidem in præsentiarum Epistolam hanc S. Cypriani suspicione laborare apud Launoium : quanquam enim sit ille, ut fama est, nasutus & sagax; ejus tamen conjecturis ea de re hactenùs non cessi. Verùm, stante Epistolæ veritate, quàm longe aberrent qui sic enorme aliquid ex ipsa inferre tentant, vel una gestæ rei explicatio palàm faciet.

Martianus ille Arelatensis Novatiano se adjunxerat, ejusque secutus crudelitatem, Dei servis pœnitentibus ac dolentibus pacem negabat : neque id modò, sed spretis Episcopis Catholicis ab eorum

communione recessisse se impudenter gloriabatur. Quæ agendi ratio cum ingens damnum ingensque scandalum crearet Ecclesiis Gallicanis, Faustinus Episcopus Lugdunensis de hominis audacia & impietate scripsit non semel cùm ad Cyprianum, tum ad Stephanum, uti nempe contra communem hostem, qui cum duce suo Novatiano jam proscriptus erat, concurrerent. Cyprianus ad Ecclesiæ defensionem semper paratissimus scribit ad Stephanum, hortaturque illum uti ne ferat Martianum Episcoporum collegio diutiùs insultare: *dirigantur*, inquit, *in Provinciam, & ad plebem Arelatæ consistentem à te litteræ, quibus abstento Martiano alius in locum ejus substituatur.* Ex his verbis contendit scriptor Novitius Martianum Stephani unius authoritate ac litteris judicatum fuisse ac dejectum. Verùm certè quam immeritò! Cyprianus enim his verbis Stephanum nequaquam hortatur ut judicium ferat contra Martianum, sed ut judicii contra ipsum lati executionem velit procurare: *quando ipse jam ab universis Sacerdotibus judicatus erat*, ut in eadem Epistola scribit Cyprianus. Et verò si actum fuisset de Martiani causa examinanda vel judicanda; quare Faustinus ad Cyprianum semel atque iterum scripsisset? numquid enim ejus causæ cognitio ad Episcopum Carthaginensem deferenda fuisset, siquidem jurisdictionis erat Romani Pontificis? Scripsit itaque Faustinus ad Cyprianum simul & ad Stephanum: tum ut ne communicarent cum hæretico pervicaci, tum ut junctis viribus rapacem

lupum à Christi arcerent ovili : atque id quidem Cyprianus insinuat eadem in Epistola. *Idcirco enim*, inquit, *frater carissime, copiosum corpus est Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant cæteri, & quasi Pastores utiles & misericordes, oves Dominicas in gregem colligant.*

Stephanum verò excitat Cyprianus ut in Martianum sæviat, non modò quia fidei cura ad Primariam Sedem in primis attinet, sed quia Martianus ab universis Sacerdotibus & speciatim à Cornelio & Lucio Stephani decessoribus cum Novatiano damnatus jam fuerat. *Servandus est enim*, inquit Cyprianus ad Stephanum, *antecessorum nostrorum Beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor gloriosus; quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, Frater carissime, honorificare, & servare gravitate & authoritate tua debes, qui vicarius & successor eorum factus es.*

Desinat itaque Gallo-Romanensis scriptor Cypriani mentem corrumpere : quasi verò Stephano significaverit Martianum ut pote Episcopum ab ipso uno dejici debuisse : cum è contrario Cyprianus ne passus sit quidem Episcopos in Provinciis depositos ad Romanam Sedem confugere, ut in paragrapho superiori ostendimus.

III. Neque id certè magis conveniebat in mores Gallicanos : nam Euphratam Coloniæ Agrippinæ Episcopum anno 346. exauctoratum legimus in

Concilio Agrippinensi : ubi quidem Julius neque per se neque per legatum quemquam adfuit ; sed à solis Episcopis Gallicanis in Euphratam tanquam hæreticum, qui nempe Christum Deum esse inficiabatur, sententia prolata est.

IV. Observatum hîc velim Concilium illud Agrippinense in quo Euphrata dejectus est, compositum fuisse ex Episcopis diversarum Provinciarum : præter enim Synodos Provinciales quæ tum ex consuetudine, tum ex Patrum Nicænorum decreto habebantur, pleniora in Galliis Concilia habita sunt, cùm ante, tum post Romani ruinam imperii, quoties insolentia quædam difficilioraque negotia sive circa fidem, sive circa disciplinam incidebant. Convocabantur autem illa vel mutuo Episcoporum consensu, vel authoritate, aut cum venia saltem eorum Principum seu Regum quorum in ditione celebranda erant.

In his porro Conciliis amplioribus, ferè ut in Conciliis Africæ plenariis, non communia modò ac difficiliora negotia tractabantur ; verùm & Episcopi, si qui fortè in Ecclesia turbas excitarent, vel grandius aliquod crimen admisissent, communi judicio dejiciebantur.

Neque tamen est quod arguat inde nuperus declamator Episcoporum deponendorum facultatem ex lege ordinaria non fuisse penès Synodos Provinciales Galliarum : Quemadmodum enim tum in Oriente tum in Africa pleniora Concilia, etsi ob graviores causas Episcopos dejiciebant fæpè, ordi-

nariam idcirco Provincialium Synodorum jurisdictionem non tollebant : ita profectò integra nihil minùs Provincialium Synodorum jurisdicendi vis fuit in Galliis, tametsi Episcopi in amplioribus Conciliis dejecti quandoque videantur.

V. Non est etiam quòd scriptor idem altero paralogismo nimiùm sibi abblandiatur, quem nempe sic proponit. Pleniora seu Nationalia Concilia Episcopos dejecêre sæpiùs in Galliis, quia superiora sunt Provincialibus Conciliis ; quibus quidem Episcoporum dejectio Canonibus vulgò tribuitur : at Summus Pontifex superior est Conciliis tum Provincialibus, tum etiam Nationalibus, itaque ut Nationale Concilum, ita & ipse graviores Episcoporum causas cognoscere poterit, si libuerit.

Claudicat omni ex parte argumentum istud, quod ùt Achillem tamen jactat neothericus.

Primo enim falsum est Concilia Nationalia Episcoporum causas quæ Provincialibus Conciliis attributæ sunt ideo cognoscere, quia superiora sunt illa Provincialibus : sed potiùs quia illæ ipsæ rationes quibus antiqui Patres moti sunt ut graviores Episcoporum causas Provincialibus Conciliis tribuerent, valent quoque pro Nationalibus : nam ibi quoque accusatores ac testes interesse facilè possunt: adsunt ibi quoque judices qui non Canones modo, sed & Patrios mores legesque veluti municipales callent : sed ne ibi quoque desunt judices ordinarii, puta Comprovinciales ; immo & Episcopi vicinarum Provinciarum qui adsunt pro ordinariis

etiam judicibus haberi utcunque possunt : Siquidem jubent Canones è vicinis Provinciis vocari Episcopos, si vel divisi sint Provinciales, vel duodecim Episcoporum numerum non compleant. Rectè igitur pleniora Concilia Episcopos judicant, non eo quidem nomine quòd superiora sint Provincialibus, sed quia Canonum sententia pro eis quoque militat : cum è contrario eorum vis omnis everteretur si Papa unus primam causarum Episcopalium cognitionem susciperet. Perinde itaque erit nobis sive in Conciliis Nationalibus sive in Provincialibus dejecti sint Episcopi Gallicani, si modo ipsorum causæ absque delegatione Summi Pontificis tractatæ sunt.

Secundò falsum est quoque id statim superiori licere quod inferior aliquis potest : nam ut inferioribus ita & Superioribus judicibus limites quidam positi sunt. Ac ne recedamus à jurisdictionibus Ecclesiasticis quibus de agitur : Episcopus verbi gratia Clericorum suorum causas cognoscit in prima instantia, Metropolitanus verò & Primates cognoscere illas non possunt, nisi per appellationem. Episcopus item Vicarios generales, Officialesque instituit in sua Diœcesi ; id verò non Metropolitanus, non Primas, at ne Papa quidem potest. Quanquam igitur superior sit Papa Conciliis Provincialibus, non statim eò consequitur posse illum causarum Episcopalium cognitionem primam arripere, quòd Conciliis Provincialibus isthæc permittatur : satis est enim ad Superiorem ejus di-

gnitatem, si Episcoporum judicia retractare tunc possit cum ad Apostolicam Sedem fortè deferuntur, sive per simplicem relationem id fiat, sive per veram appellationem, ut à Synodo Sardicensi videtur constitutum.

VI. Non inquiram hîc diligentiùs à quo præcisè tempore lex Sardicensis quæ anno 347. edita est, vigere cœperit in Ecclesiis Gallicanis: id enim assequi præcisè nec promptum forsan esset, nec mihi curæ debet esse ultra modum. Nam ocyùs tardiúsve in Galliis obtinuerint Canones Sardicenses perinde mihi est, si modò graviores Episcoporum causæ cum aliis Ecclesiæ negotiis agitatæ sint in Synodis Provincialibus, uti à Concilio Nicæno imperatum erat: Certum est autem sanctionem hanc Nicænam Sardicensi lege, tametsi statim obtinuerit ut lata est, eversam non fuisse.

VII. Dicam tamen assentiri me non posse illis qui Ecclesiam Gallicanam docent usam fuisse solo illo antiquo Codice qui in Concilio Chalcedonensi laudatus est, ad usque tempora Caroli Magni; cui quidem Romanus Codex ab Adriano Papa traditus est, quemadmodum à Dionysio Exiguo fuerat concinnatus. Nam ex ea opinione videtur sequi disciplinam Sardicensem, utpote quæ antiquo illo Ecclesiæ Codice non continebatur, nec receptam, nec usitatam fuisse in Galliis ante Carolum Magnum: quod utique à veritate longissimè abhorret, ut ex iis fiet palam quæ subjungentur.

VIII. Fateor quidem, neque id negare quisquam poteſt

potest, in prima illa ætate Ecclesiæ Gallicanæ Canones viguisse apud Gallos priorum Conciliorum, è quibus antiquus Ecclesiæ Orientalis codex, quem & nonnulli Ecclesiæ universæ codicem appellant, erat compositus ; putà Nicæni Concilii, Ancyrani, Neocæsarienſis , Gangrenſis , Antiocheni , Laodicenſis , & Constantinopolitani primi : quibus etiam Ephesinum deinceps & Chalcedonense addita sunt. Nam in prioribus Conciliis Gallicanis laudantur passim & renovantur Canones primorum illorum Conciliorum , sæpissimè verò Nicæni Concilii , cujus quidem authoritas ad rem facit magis quam tractamus.

Sic verbi gratiâ in Concilio Valentino primo, Can. 3. Nicænus Canon renovatur de his qui post Baptismum fortè lapsi sunt.

In Concilio Regenſi , Can. 3. laudatur Nicænus Canon de recipiendis in Ecclesiam hæreticis : Can. autem 8. commendatur lex Nicæna de Synodis bis in anno convocandis.

In Concilio Arelatenſi 2. Canones 3. 5. 7. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. totidem leges Nicænas renovant, ac referunt.

In Concilio Agathenſi multi quoque Conciliorum antiquorum Canones renovantur , ut Can. 10. renovatur lex Nicæna de fœminis extraneis à Clericorum domibus abigendis : Canone autem 49. Ancyranus Canon relegitur de rebus Ecclesiæ non distrahendis.

In Concilio Aurelianenſi primo, Canonibus 14.

& 15. generatim laudantur antiqui Canones, simulque renovantur Ancyrani de oblationibus neque accipiendis neque distribuendis præter conscientiam Episcopi : Can. 18. Neocæsarienſis lex recuditur quæ vetat ne frater fratris uxorem ducat : Canone 19. renovatur constitutio Chalcedonenſis quæ Monachos & Abbates Episcopis subjicit.

In Concilio Epaonenſi, Can. 31. Canones acceptantur Ancyranæ Synodi de pœnitentia homicidarum.

In cæteris denique Conciliis Gallicanis quæ Carolum Magnum anteceſſerunt nihil familiarius eſt; quam antiquos Canones laudari paſſim & recenſeri. Quæ quidem omnia dubitare non ſinunt, quin illis temporibus in Galliis viguerint; immo magno in pretio habita ſint Concilia illa prima, è quibus antiquus Codex componebatur.

IX. Neque etiam diffitebor quin Conciliorum illorum Canones in ſeriem redacti ſint, ex eiſque Galli ad Eccleſiarum ſuarum uſum Codicem aptaverint: nam & id quoque ſuadere videtur famoſus locus Gregorii Turon. lib. 5. cap. 18. ubi Rex Chilpericus in cauſa Prætextati tranſmiſiſſe dicitur *librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexos habens Canones quaſi Apoſtolicos, continentes hæc : Epiſcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehenſus, à Sacerdotio divellatur.* Id etiam ſuadet loquendi ea ratio quâ Mappinus Archiepiſcopus Remenſis utitur in Epiſtola quadam ad Nicætium Trevirenſem : *licet*, inquit, *nihil novi vos de his rebus invenire cognoſci-*

mus, quod Prisca Patrum solertia non potuit reperire; tamen absurdum esse videtur, ut à nobis recipiantur, qui à vobis secundùm SERIEM CANONUM *Ecclesiastica severitate abdicantur.* Hæc enim forma dicendi, SERIES CANONUM, codicem seu collectionem indicare videtur, juxta Græcorum loquendi morem, qui in citandis Canonibus meminerunt sæpe τάξεως & ἀκολουθίας id est Canonum seriei & consequentiæ.

X. Verùm insuper contendo, præter Canones primorum Conciliorum Orientalium qui continebantur in antiquo Ecclesiæ Codice, alios etiam in Galliis ante Carolum Magnum usitatos fuisse, qui deinceps à Dionysio Exiguo priscis illis adjecti sunt, putà cum Africanos, tum Sardicenses.

De Africanis luculenta extat probatio in Concilio secundo Matisconensi Can. 6. ubi sic legitur: *Item decernimus ut nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut missas privatis festisque diebus concelebrare præsumat. Injustum est enim, ut spiritali alimento corporale præponatur: sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris.* JAM ENIM DE TALI CAUSA ET IN CONCILIIS AFRICANIS DEFINITUM EST. *Quam definitionem nostro quoque dignum duximus sociare decreto.*

De Sardicensibus extat quoque probatio tum in Concilii Turonensis 1. Can. 9. ubi Sardicensis Concilii Canones 18. & 19. renovantur de Clericis alienis minimè vel solicitandis vel promovendis:

tum in Canone 31. Aurelianensis 1. quo juxta Canonem 15. Sardicensem jubetur Episcopus die Dominica Ecclesiæ adesse cui fuerit proximus.

Quòd si Sardicensis disciplina quoad aliqua capita valuit apud Gallos ante Carolum Magnum; quidni &, quoad appellationes valuisse ibidem, asseramus? maximè verò cum Episcopi Romani occasionem nullam omiserint ejus, ut cæteris Ecclesiis, ita & Gallicanis intimandæ.

XI. Nam Innocentius I. cum de certis Capitulis rogatus esset à Victricio Episcopo Rothomagensi, ad singula egregiè reposuit: de judiciis verò Ecclesiasticis (quod quidem consultationis unum erat caput) sic habet. *Si quæ autem causæ vel contentiones inter Clericos tam Superioris Ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, ut secundùm Synodum Nicænam congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis jurgium terminetur. Nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus qui in eadem Provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare Provincias. Quòd si quis fortè præsumpserit: ab officio Clericatus summotus, velut injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si quæ autem Majores Causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, pro Episcopale judicium, referantur.* In priori responsionis hujus parte causas quidem Clericorum tam Superioris quam inferioris ordinis terminari vult Innocentius in Synodis Provinciarum, juxta Concilii Nicæni placitum, quod & ab ipso ibi lau-

datur : sed neque in posteriori parte Sardicenses Canones de liberis ad Apostolicam Sedem appellationibus prætermisit. *Si autem*, inquit, *Majores Causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post Episcopale judicium referantur*, Synodus enim quæ commemoratur ab Innocentio alia non est à Sardicensi, ut alibi monstravimus.

Jam verò cum Ecclesia Gallicana obsequentissima fuerit semper Apostolicæ Sedi ; quorsùm quæso Sardicensem de appellationibus disciplinam rejecisset ? Quæ cum Apostolicæ Sedi grata esset & honorifica ; leges tamen à Sanctis Patribus, Nicæniisque præsertim, de judiciis Ecclesiasticis latas non evertebat. Cum enim Sardicensis disciplina Episcopis Provinciæ primam causarum graviorum cognitionem non relinquat modò, sed & earum retractationem tribuat, si fortè ad Romanam Sedem fuerit appellatum, certè nec istis magnam injuriam affert, nec antiquo juri antiquisve Canonibus magnum detrimentum.

Hoc itaque veluti certum jam constituatur, Episcopos in Galliis ante Carolum Magnum judicatos esse tum secundùm Canones Nicæni Concilii aliorumque Conciliorum qui in antiquo Ecclesiæ Codice continebantur, tum etiam deinceps secundùm Sardicenses leges, si fortè damnatis Episcopis appellare placuerit.

§. II.

Insigniora Episcoporum judicia recensentur ad usque tempora Caroli Magni?

SYNOPSIS.

I. PAULINUS *Trevirensis, Saturninus Arelatensis, Instantius Priscilianistæ in Synodis Episcoporũ judicati.*

II. *Proculi Massilienſis depositio expenditur, agiturque de Ursi & Tucntii negotio.*

III. *Maximi Valentinæ civitatis Episcopi judicium refertur, explicaturque Epistola Cœlestini tum de causa Massilienſis Episcopi, tum de Daniele.*

IV. *Armentarius in Concilio Regensi: Chelidonius in Arelatensi dejicitur.*

V. *Chelidonii appellationem ad Leonem Romanum Pontificem ægerrimè tulit Hilarius Arelatensis, in quem & Leo tantisper exarsit.*

VI. *Leoni roganti adjunxit se Valentinianus Imperator, edictumque emisit, & præter Leonis ipsius voluntatem, & contra Sardicensem regulam; quod ideò edictum Gallos non ligavit.*

VII. *Non plus roboris habuit altera Lex à Gratiano lata, quæ, ut summum, temporanea est.*

VIII. *Hilarius Papa in negotio Hermetis Synodorum authoritatem in Episcopis judicandis confirmat: ut & in coërcenda Mamerti Viennensis audacia.*

IX. *Eandem authoritatem comprobat Ioannes II. in contumeliosi causa: nec Agapetus ejus successor alia in mente fuit.*

X. *Vigilius Papa Auxanio Arelatensi vices suas delegans, Episcoporum negotia jubet in Conciliis judicari.*

XI. *Summi Pontifices, vices suas præcipuis quibusdam Episcopis delegando, Provinciarum & Metropolitanorum jura minimè inverterunt, sed potius confirmarunt.*

XII. *Neque aliis conditionibus Galli Episcoporum Romanorum Vicarios recepere.*

XIII. *Saffaracus Parisiensis, & Emerius Santonensis in Synodis Episcoporum deponuntur.*

XIV. *Anno 567. in Concilio Lugdunensi sancitur Lex de Episcopis in Synodis judicandis.*

XV. *In eodem concilio Salonius Ebredunensis & Sagittarius Vapingensis, ac rursùs in Concilio Cabilonensi deponuntur.*

XVI. *Promotus in Concilio Parisiensi dejicitur, suggerente Pappolo Carnotensi.*

XVII. *Tenor suggestionis Pappoli refertur, ut & constitutio Synodi ad Ægidium Remensem directa: ex quibus patet quæ fuerit tum temporis ratio Episcopaliũ judiciorũ apud Gallos.*

XVIII. *Prætextatus Rothomagensis in concilio Parisiensi accusatur & dejicitur, quanquam immeritò, si audiatur Gregorius Turonensis, qui & ipse in Synodo apud Brennacum à Leudaste quodam quasi reus delatus est.*

XIX. *Ægidius Remensis in Concilio Metensi, & Desiderius Viennensis in Concilio Cabilionensi exauctorantur.*

XX. *Quoniam hæc posteriora facta, Gregorii Magni ætate contigerunt, expenditur quæ mens fuerit summi illius Pontificis de judiciis Episcoporum; quæ certè à moribus Gallicanis aliena non fuit.*

XXI. *Agapius & Bobo dejiciuntur in Concilio Matisconensi: plures Episcopi ac nominatim Dido in Concilio apud villam Regiam: Aldebertus & Clemens à Bonifacio vices gerente Zachariæ & Episcopis Gallicanis.*

XXII. *Ex his factis constat Episcopos hactenùs depositos fuisse in Synodis apud Gallos; neque huic judiciorum formæ à summis Pontificibus reclamatum.*

I. HACTENUS de jure disseruí, quo in Episcoporum judiciis Ecclesia Gallicana usa est, ad usque tempora Caroli Magni, Imperatoris. Jam facta enarranda sunt, clarioraque depositionum exempla proferenda, quibus jus istud ampliùs illustretur. Quòd si eorum aliqua à stabilitâ regulâ, hoc est, à legibus tam Nicænis quam Sardicensibus deflectere videbuntur; eo uno nomine suspecta mihi erunt, propiúsque adeò exploranda.

Sulpitius Severus lib. 2. Historiæ Sacræ Paulinum Trevirensem narrat in Concilio quodam Arelatensi proscriptum fuisse odiis & factione Arianorum. Quod Arianorum scelus damnandum est quidem: at spectanda hîc modò judicii forma, eò quidem legitima, quòd in Episcoporum Synodo Paulinus dejectus est.

Anno 362. Saturninus Arelatensis Arianorum fautor in Concilio Parisiensi exauctoratus est, ut fidem facit Epistola Synodica Episcoporum Gallicanorum ad Episcopos Orientales, in qua sub finem hæc leguntur. *A quo* id est à Sacerdotis nomine, *etiam Saturninum, qui statutis salubribus impiissimè contradixit, secundùm Fratrum nostrorum geminas jam litteras, excommunicatum ab omnibus Gallicanis Episcopis charitas vestra cognoscat: quem & vetera, dissimulata jam diu licet crimina, & cætera edita Epistolis suis novæ temeritatis irreligiositas indignum Episcopi nomine esse fecerunt.*

Anno 385. Instantius Priscillianista in Concilio Burdigalensi

Burdigalensi *indignus Episcopatu pronuntiatus est*, ut ipsa Sulpitii verba usurpem: qui dum hujus Concilii meminit, refert quoque Prisilliani facinus audax, *qui, ne ab Episcopis audiretur, ad Principem provocavit*, ut ante jam notavimus.

II. Qui Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus invident, Proculi Massilienſis depositionem jactant hîc ambitiosiùs, utpote quæ non à Synodo Provinciæ, sed à Zozimo Papa olim decreta est.

Tametsi ejusmodi factum extra ordinem videatur, Catholicæ tamen legi nequaquam præjudicat; potiúsque hanc ob rem laudandus est Zozimus, quàm incusandus. Scilicet enim Proculus contrà Episcopi Arelatensis privilegia nescio quam sibi Metropolitani prærogativam in Provincia tribuebat: Qua de re cum expostulatio facta esset Synodo Taurinensi, quæ Gallicanorum Episcoporum rogatu ad sedandas controversias haud absimiles convocata erat, asserta est Proculo prærogativa illa pro reverentiâ personæ ipsius, & quamdiu viveret. Ita enim habet Concilii Taurinensis Canon 1. *Nam cùm primùm omnium vir Sanctus Proculus Massilienſis Episcopus civitatis se tanquam Metropolitanum Ecclesiis, quæ in secunda Provincia Narbonensi positæ videbantur, diceret præesse debere, atque per se ordinationes in memorata Provincia summorum fieri Sacerdotum: siquidem assereret easdem Ecclesias vel suas Parochias fuisse, vel Episcopos à se in eisdem Ecclesiis ordinatos; & è diverso ejusdem regionis Episcopi aliud defensarent, ac sibi alterius Provinciæ Sacerdotem præesse*

non debere contenderent : id judicatum est à Sancta Synodo contemplatione pacis atque concordiæ, ut non tam civitati ejus, quæ in altera Provincia sita est, cujus magnitudinem penitùs nescīremus, quam ipsi potissimùm deferretur, ut tanquam pater filiis honore Primatus adsisteret : dignum enim visum est, ut quamvis unitate Provinciæ minimè tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu. Hæc igitur ipsi tantùm in vita ejusdem forma servabitur, ut in Ecclesiis Provinciæ secundæ Narbonensis, quas vel suas Parochias, vel suos discipulos fuisse ordinatos constiterit, Primatus habeat dignitatem. Illud quoque à partibus sit observandum, quod licet ex superfluo, non tamen inutiliter commonetur, ut ipse Sanctus Proculus, tanquam pius pater, Consacerdotes suos honoret ut filios ; & memoratæ Provinciæ Sacerdotes, tanquam boni filii, eundem habeant ut parentem, & invicem sibi exhibeant charitatis affectum, impleto hoc quod ait Beatus Apostolus, honore mutuo prævenientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

Hoc decretum non admodùm placuit Episcopo Arelatensi, cujus è potestate Provincia secunda Narbonensis ad tempus subducebatur. Quare confugit ille ad Apostolicam Sedem, questusque est de injuria facta Ecclesiæ tum suæ, tum etiam Romanæ ; à qua nempe Arelatensis Ecclesia privilegia accepisse gloriabatur. Petitionis ejus æquitatem statim intellexit Zozimus, improbatâque Taurinensi constitutione, Proculum inhibuit, ne immiscēret se ultrà faciendis ordinationibus,

inobedientemque de Sede deturbavit.

Rectè id quidem, quia ordinariæ viæ non restabant, quibus alioqui Proculus in ordinem redigendus fuisset. Non à Metropolitano quidem coërceri poterat, siquidem Arelatensem Episcopum ampliùs non agnoscebat; non ab Episcopis Provinciæ secundæ Narbonensis, utpote cùm eorum aliqui ipsi devincti erant; quos nempe ordinaverat: alii verò Taurinensi Canone utcunque vetabantur, qui Proculum ipsis præfecerat. Ne itaque malum grassaretur latiùs, opportunè accessit Romanæ Sedis authoritas; cujus quidem est extraordinariis ejusmodi casibus, ratione dignitatis quà Ecclesiis aliis antecedit, providere.

Non magis contra legem facit, immo ne ad rem quidem pertinet, quod opponitur de duobus aliis Episcopis, putà de Urso & Tuentio qui ab eodem Zozimo depositi dicuntur, quòd à Proculo illo Massilienſi illicitè ordinati essent. Præterquàmquòd enim eadem recurrit ratio quæ modò urgebatur, non tam depositionis profert sententiam Zozimus contra Ursum & Tuentium, quam declarat eos non esse Episcopos, quia in eorum ordinatione Canones multis modis violati fuerant: nam sententiâ jam affecti erant antequam ordinarentur in Episcopos: prætermissus fuerat Metropolitanus, immo & prætermissi Provinciales Episcopi: territorium alienum usurpatum erat: non servata erat diei solennitas: proscriptus denique Episcopus, putà Lazarus, in consortium illicitæ ordinationis

adscitus erat. Isthæc enim omnia Zozimus ipse recenset in Epistola quam ea de re scripsit ad Episcopos Africæ, Galliæ & Hispaniæ, ne scilicet Ursum ac Tuentium pro Episcopis haberent, aut cum illis fortè communicarent. Ibi verò de depositione propriè non agitur, sed illicitam ordinationem declarat Zozimus, in eoque Canonum assertorem se præstat, qualem esse illum jubet Primariæ ratio dignitatis.

Non itaque contra jus fasque Causarum Episcopalium cognitionem primam usurpavit Zozimus in ejusmodi negotiis: Verùm id potiùs fecit, quod, mediis ordinariis deficientibus, exigebat necessitas: intelligebat enim, rebus ex ordine currentibus, judicandos esse Episcopos in Synodis Provinciarum: ac revera unas ipse appellationes Apostolicæ Sedi vindicavit in commonitorio illo celeberrimo, quod per Faustinum misit ad Ecclesias Africanas.

III. Ad annum 419. Maximus Valentinæ civitatis Episcopus ab Ecclesiæ suæ Clericis accusatus est variis criminibus, inprimisque quòd Manichæorum hæresim sequebatur. Vafer homo judicia sæpiùs effugerat, tum Comprovincialium suorum, tum Summorum etiam Pontificum, ad quos nempe ipsius causa delata erat, sive quia de fide agebatur, sive ob rei contumaciam. Bonifacius tandem audaciæ, quæ in dies crescere videbatur, impatiens, Epistolam scripsit ad Episcopos Galliæ, eosque ad certum tempus Synodum habere jussit in Provincia,

ubi Maximi causa ordinario more tractaretur. *Decrevimus*, inquit, *vestrum debere intra Provinciam esse judicium, & congregari Synodum ante diem calendarum Novembrium: ut, si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad objecta respondeat: si verò adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur.*

Ecce præcedere vult Bonifacius Provincialis Synodi judicium. Tum verò in Epistolæ fine hæc addit: *Quidquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est authoritate firmetur.* Quibus quidem verbis alludere videtur aut ad legem Sardicensem, aut ad morem ante laudatum; juxta quem nempe ex Provinciis ad Romanam Sedem graviores causæ referebantur.

Non alio modo explicanda est Epistola Cælestini ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis: qua parte scilicet Episcopi Massilienſis causam delegare se dicit collegio Episcoporum Gallicanorum: *Massilienſis verò Ecclesiæ Sacerdotem*, inquit, *qui dicitur, quod dictu nefas est, in necem fratris sui taliter gratulatus, ut huic qui ejus sanguine cruentatus advenerat, portionem cum eo habiturus occurreret, vestro eum audiendum collegio delegamus.* Perperam enim ex hoc vocabulo *delegamus* arguunt aliqui Episcopos Gallicanos purè commissarios designatos esse à Cælestino in causa illa Episcopali: cum potiùs imitatus sit Cælestinus decessorem suum Bonifacium, remiseritque accusatum Episcopum ad collegas: uti eorum judicium ante subiret,

quàm ipsius causa ad Apostolicam Sedem revocaretur.

Quòd si Cælestinus idem ejusdem Epistolæ cap. 7. Danielis Episcopi causam cognitioni suæ videtur reservare : id certè ad legitimas Ecclesiæ Gallicanæ consuetudines nihil attinet. Is enim Daniel ab Oriente in Occidentem criminibus onustus patriam simul & pœnam fugiens navigaverat : dumque in Galliis, ubi improbitatem suam celat, faciliùs paulò Episcopus ordinatur, de ipsius facinoribus referunt Orientales ad Cælestinum : qui cum audivit hominem in Galliis ordinatum, ad Arelatensem Episcopum per Faustinum quemdam scripsit, quò ad Episcopale judicium vocaretur, misitque simul acta seu instrumenta quæ ab Orientalibus acceperat. Hactenùs quidem contrarium nihil adverto quod vel contra Canones, vel contra mores libertatesque Gallicanas pugnet. Immo Cælestinus sic scribendo ad Arelatensem Episcopum, mittendoque instrumenta quæ ab Oriente ad probanda Danielis flagitia transmissa erant, exequi videtur potiùs antiquos illos Canones qui causarum ejusmodi cognitionem primam Episcopis Provincialibus attribuunt. Ista quæ dixi omnia videre est in capite 3. ejus Epistolæ, in quo monet quoque Episcopos Gallicanos, ut in eum etiam animadvertant qui Danielem illicitè festinantiúsque ordinaverat. Cum ergo hæc addit Cælestinus capite 7. *Daniel, ut diximus, qui accusationem Pontificali honore subterfugere posse se credidit, & ad fastigium tantum*

accusatores suos latendo pervenit, à sanctitatis vestræ cœtu interim se noverit segregatum : qui se nostro judicio debet objicere, si conscientiæ suæ novit confidentiam se habere : videtur subindicare his verbis, *à sanctitatis vestræ cœtu interim se noverit segregatum*, Danielem jam à Galliis judicatum ; neque enim meminit Cœlestinus in tota sua Epistola judicii alicujus à se hactenus prolati in Danielem. Quæ verò sequuntur : *qui se nostro judicio debet objicere, si conscientiæ suæ novit confidentiam se habere*, commodè interpretabimur de secundo judicio & juxta Sardicensem constitutionem, quæ damnatum in Provincia Episcopum Ecclesiæ Romanæ fores pulsare sinit, *si putat se bonam causam habere.* Ne verò subtiliùs hæc fortè deducta videantur, condonemus gratis agere Cœlestinum de primo Danielis judicio ; quid inde contra canonicam disciplinam fiet : Quid contra libertates Gallicanas ? vir scilicet Orientalis in Gallia contra Canones ordinatus, ab Episcopis Orientis, ubi sceleribus se polluerat, accusatur apud Cœlestinum : Cœlestinus veluti extra ordinem electus judex hominem citat, jubetque venire ad objecta responsurum : An ideo Cœlestinus invasisse dicatur Provincialium Synodorum jura ? An idcirco dicatur causæ illius notitiam Episcopis Gallicanis eripuisse ? id sanè sic alienum est à Cœlestini mente, ut eadem in Epistola quæ objicitur, Episcopos Gallicanos admoneat, quò contra eum sæviant qui Danielem ordinaverat, *omniaque ad disciplinæ normam festinent revocare.*

IV. Anno 439. Armentarius qui Ebreduni Episcopus ordinatus erat contrà Canones, in Concilio Regensi, contradicente nemine, dejectus est: vel, si mavis, ipsius ordinatio irrita nullaque declarata est: ipse verò fratrum judicio lubens obsecutus, Chorepiscopi munere deinceps contentus fuit.

Anno 440. Chelidonius Episcopus in Concilio Arelatensi dejectus est, quia, ut ferebatur, viduam uxorem acceperat, præfueratque aliquando judiciis capitalibus. Quia verò iniquè secum actum putavit Chelidonius, ad Leonem Papam se contulit, judicii reformationem juxta Concilii Sardicensis placita petiturus.

V. Hunc tamen agendi modum, appellandi nempe à Provinciæ judicio ad Romanum Pontificem, ægerrimè tulit Hilarius Arelatensis, qui Chelidonii damnationi præfuerat: Quia nempe insolentior paulo visus est, neque hactenùs Galli talem consuetudinem habuerant. *Quare vir Beatus*, ita enim refert qui vitam ipsius scripsit, *pedibus iter aggrediens, Romam sine equo, sine Sagmario festinus intravit. Apostolorum Martyrumque occursu peracto, Beato Leoni Papæ illico se præsentat, cum reverentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens, ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret: adstruens aliquos apud Gallias publicam meritò excepisse sententiam, & in urbe sacris altaribus interesse. Rogat atque constringit, ut si suggestionem suam libenter excepit, secretò jubeat emendari: se ad officia, non ad causam venisse; protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta suggerere.*

suggerere. Leo Magnus non sic facilè acquievit Hilarii suggestioni, sed Chelidonii causam retractari apud sed voluit : ex quo quidem incensus Hilarius durioribus paulò verbis Leonem insecutus est ; ipseque inter hæc neque expectato fine judicii, neque salutato Leone ex urbe excessit.

Hinc Leo exarsit quoque adversus Hilarium ; eumque non deposuit quidem, ut scriptor nuperus propalare ausus est, *sed Viennensis Provinciæ, quam malè usurpaverat, potestate privavit :* quemadmodùm ipse scribit Leo in Epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis.

Quod verò ad Chelidonium attinet ; quia injustè accusatus hic fuerat, reipsaque innocuus visus est (*mansisset namque in illum prolata sententia, si objectorum veritas extitisset*, ut inquit Leo) Ecclesiæ suæ redditus est : fuitque pariter restitutus Projectus, cui ægrotanti alterum substituisse Hilarius perhibebatur.

Sua hæc judicia significavit Leo Episcopis Provinciæ Viennensis Epistolâ illâ quæ jam laudata est : cum autem intelligeret vix habitura effectum apud Gallos, tum quia nondum assueti erant Galli appellationibus illis nuper invectis, tum verò maximè quòd Episcoporum Gallicanorum causas Romæ cognovisset, Valentinianum Imperatorem rogavit, uti edicto suo judiciorum quæ tulerat executionem vellet adjuvare.

VI. Valentinianus Leoni morem gerens edictum, emisit, quò, postquam aliqua præfatus est de Primatu

ac dignitate Romani Pontificis, déque Hilarii Arelatensis contumaciâ, hæc instar legis profert. *Verùm, ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum, contra consuetudinem veterem liceat, sine viri venerabilis Papæ urbis æternæ authoritate tentare: sed illis omnibusque pro lege sit, quicquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis authoritas; ita ut quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem Provinciæ adesse cogatur, per omnia servatis, quæ divi parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt.*

Hac porrò constitutione plus dedit Valentinianus quàm Leo rogaverat: immo & amplius dedit quam ipse posset. Plus quidem dedit quam Leo rogaverat: aliud quippe nihil optaverat Leo, quàm ut judicii contra Hilarium lati executio Imperatoriâ authoritate juvaretur. Plus verò etiam indulsit quàm posset: cum enim Imperatores de rebus Ecclesiasticis condere leges non possint, nisi quæ conformes sint Canonibus, quæque ad eorum executionem tendant, fert ibi legem Valentinianus quæ Canonibus non quibusvis, sed Sardicensibus ipsis omnino contraria est. Jubent enim Sardicenses Canones Episcoporum causas agitari in Provinciis sive quoad primam sive quoad secundam cognitionem. Imperator verò cogendos vult Episcopos, ut in urbem ab Episcopo Romano judicandi ses-

conferant. Quare mirum nihil est si Galli Canonum antiquorum usque semper observantissimi generali huic legi de petendâ Româ nusquam obsecuti sint.

VII. Non plus habet roboris lex altera quæ à Gratiano paulò ante ad relationem Concilii, tum Aquileiensis, tum Romani edita erat; quâque sic præcipit Gratianus. *Volumus autem ut quicunque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit Episcoporum, vel eorum qui Catholici sunt judicio, vel Concilio condemnatus fuerit, si injustè voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet, aut ab illustribus viris Præfectis-prætorio Galliæ atque Italiæ, sive à Proconsulibus vel vicariis, authoritate adhibita, ad Episcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat. Aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causæ dictio ad Metropolitæ in eadem Provincia Episcopi deducatur examen: vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos quos Romanus Episcopus judices dederit, sine dilatione contendat.* Non habet, inquam, lex ista plus roboris, si fortè generaliter accipiatur: nam & peccat ista quoque contra Canones, & quatenùs Episcopos judicandos decernit à Damaso & quinque septemve Episcopis, & quatenùs Metropolitanos promiscuè Episcopi Romani aut virorum ab ipso deputatorum judicio planè subjicit.

Sed neque etiam Gratiano mens fuit constitutio-

nem istam generaliter proponere; quasi verò & pro locis omnibus, & in omne tempus valitura esset. Verùm eâ duntaxat cautum esse voluit, ne Ursinus, qui Romanam Sedem Damaso invidebat, amplius quicquam moliretur contra Damasum; non per se quidem, cum jam in exilio esset, sed per Episcopos quos olim ordinaverat, quique contempto Damasi & aliorum Episcoporum qui Damaso favebant judicio Sedes suas impunè retinebant. Nam ut jam insinuavi, emissa est constitutio ista Gratiani ad relationem Concilii tum Aquileiensis, tum Romani. Quid porrò Concilium Aquileiense Gratianum precabatur? *ne ipsius*, ut habet Concilium, *importuni hominis simulata adulatione flecteretur.* Quid verò Romanum Concilium? scilicet ut Episcopi è factione Ursini qui damnati erant, quique nihilominùs Ecclesias suas contra interdictum retinebant, parêre juberentur: Ita enim Concilii habet Epistola. *Sed quoniam, licet jamdudum vestræ clementiæ judicio relegatus Ursinus, per eos quos illicitè sacrilegus ordinavit, vilissimum quemque occultò licet sollicitare conatur: eoque exemplo nonnulli Episcopi, qui malè Ecclesiis incubant, usu temeritatis suæ, & profani conspiratione contemptûs, ne adquiescant Romani Sacerdotis judicio, lacessunt. Ita ut etiam qui se intelligunt pro meritorum suorum ratione damnandos vel damnatos esse viderunt, redempta vulgi multitudine, judices suos terrore mortis exagitent, contemptisque cognitoribus vel fugatis, illicitum obtineant Sacerdotium. Idcirco statuti imperialis non novitatem, sed firmitudinem postulamus.*

Indignum quippe est, ut conventus quisque adhibita manu eo sit munitior, quo flagitiosior fuerit. Tum allatis quibusdam Episcoporum rebellium exemplis, isthæc subduntur. *Quia igitur vestræ judicio tranquillitatis probata est innocentia memorati fratris nostri Damasi, integritas prædicata est; Isaac quoque ipse, ubi ea quæ detulit probare non potuit, meritorum suorum sortem tulit: quæsumus clementiam vestram, ne rursus in plurimis causis videamur onerosi, ut jubere pietas vestra dignetur, quicunque vel ejus vel nostro judicio, qui Catholici sumus, fuerit condemnatus, atque injustè voluerit Ecclesiam retinere, vel vocatus à Sacerdotali judicio per contumaciam non adesse, seu ab illustribus viris præfectis-Prætorio Italiæ vestræ, sive à Vicario accitus ad urbem Romam veniat. Aut si in longinquioribus partibus hujusmodi emerserit quæstio, ad Metropolitani per locorum judicia deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos quos Romanus Episcopus judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur. Ita ut qui depositi fuerint, ab ejus tantùm civitatis finibus segregentur, in qua gesserint Sacerdotium, ne rursus impudenter usurpent quod jure sublatum sit. Certè si vel Metropolitani, vel cujusque alterius Sacerdotis suspecta gratia, vel iniquitas fuerit; vel ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium certè quindecim Episcoporum finitimorum ei liceat provocare. Quicunque verò ita meruerit excludi, sileat & quiescat: & si Dei judicium non veretur, minùs tamen peccare vel necessitate cogatur. Ut saltem de cætero pacifici atque concordes serenitati vestræ*

congruas apud Dominum nostrum referre gratias possimus.

Itaque lex ad supplicationem ejusmodi lata temporanea tantùm fuit, atque ad id unum comparata, ut pax Ecclesiæ redderetur quam turbabat Ursinus : utque Episcopi, qui legitimis obtemperare judiciis recusabant, ad obsequium cogerentur. Istud quidem fusiùs paulo, quanquam ex occasione, pertractavi, quia & hoc quoque edictum nuper ad infringendas Ecclesiæ Gallicanæ libertates adducebatur.

VIII. Anno 462. cum Hilarus Papa fortè intellexisset Episcopatum Narbonensem ab Hermete quodam temerè usurpatum fuisse, ad Lontium Arelatensem scripsit eum increpans quòd cum ipse audaciam ejusmodi reprimere non potuisset vel noluisset, rem saltem non indicasset Romano Antistiti : *miramur*, inquit, *fraternitatem tuam ita legis Catholicæ immemorem esse, ut quæque iniqua & contra Patrum nostrorum statuta, in Provincia quæ ad Monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis, aut non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere.* Quibus sanè verbis indicat Pontifex Hermetem in Episcoporum Concilio emendari à Leontio potuisse, immo & debuisse. Atque hinc in altera Epistola quæ est ad diversos Ecclesiæ Gallicanæ Episcopos, notatâ rursus Hermetis audaciâ, cui quidem raritas Conciliorum occasionem dedisse videbatur, Synodos in Galliis deinceps haberi jubet frequentiùs, ubi communi omnium authoritate

corrigantur, si qui fortè adversùs Apostolica præcepta legesque Ecclesiasticas peccaverint : *per annos itaque singulos*, inquit Hilarus, *ex Provinciis quibus potuerit congregari, habeatur Episcopale Concilium : ita ut opportunis locis atque temporibus, secundùm dispositionem fratris & Coëpiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per litteras ejus admonitis, celebretur : ut si quid usquàm vel in ordinandis Episcopis, vel Presbyteris, aut cujuslibet loci Clericis faciendis, contra præcepta Apostolica reperitur admissum, aut in eorum conversatione quippiam reprobatur, communi omnium authoritate resecetur.*

Si verò quis importunè forsan objiciat concessam videri his verbis ab Apostolica Sede facultatem tum congregandorum Conciliorum, tum Episcoporum judicandorum, audiat ille quisquis est Hilarum ipsum eadem in Epistola, qua parte Conciliorum declarans necessitatem venerandorum Canonum statuta laudat, quorum se non authorem quidem, sed executorem profitetur. *Quod utique*, inquit, *non aliter poterit præcaveri*, NISI STATUTA VENERANDORUM CANONUM, *in faciendis conventibus, quos hactenus omitti fecit certa necessitas*, EXEQUAMUR : *in quibus possint, pro emergentium necessitate causarum, ad Ecclesiastica observantiam disciplinæ, & quæ secùs facta fuerint corrigi, & sequenda constitui.*

Ad idem ferè tempus Mamertus Viennensis Episcopum armata manu consecravit in Diensi

civitate ; cum tamen hæc civitas Arelatensi Metropoli, non Viennensi obnoxia esset. Præsumptionis certior factus Hilarus ad Leontium Arelatensem iterùm scripsit, ut eôdem studiô, ita & eandem in sententiam. Quanquam enim Hilarus Mamertum coërcere fortè potuisset, quia privilegio ab Apostolica Sede indulto abusus erat : nihilominùs judiciorum servatâ formâ Concilium haberi ante vult in Provinciâ, quàm negotium ad se deferatur : *quantùm enim*, inquit, *filii nostri viri illustris Magistri Militum Gunduicii sermone est indicatum, prædictus Episcopus invitis Diensibus, & qui ad Ecclesiarum ejus numerum, quem ei Apostolicæ Sedis deputavit authoritas, sicut in scriniis nostris legimus, minimè pertinebant, hostili more, ut dicitur, occupans civitatem, Episcopum consecrare præsumpsit. In quo frater carissime, si ita est, quum multiplex culpa sit, pronunciare possimus*, NISI JUDICII, UT DIXIMUS, ET MODERATIO NOBIS ESSET ET ORDO SERVANDUS; *atque ideo memor sollicitudinis quam dilectioni tuæ scis esse commissam, quicquid nunc ad notitiam nostram brevi insinuatione delatum est, in conventu Synodali, qui secundùm statuta nostra, annis singulis, te sibi præsidente, est congregandus, discutere quæ sunt acta debebis, &c.* Scripsit quoque Hilarus hac de re ad plures Galliæ Metropolitanos, dataque occasione eos vehementer hortatur, ut singulis annis concilia celebrare meminerint. Ac tandem cum, agitatâ in Concilio Mamerti causâ, de rei gravitate ad Sedem Apostolicam relatum fuisset,

tertiam

tertiam Epistolam scripsit Hilarus ad Episcopos Gallicanos quâ significat, siquidem temerè Mamertus Ecclesiæ Arelatensis fines ingressus erat, curasse se ut per Veranum Episcopum moneretur, ne deinceps simile aliquid attentaret, alioquin quatuor illas Ecclesias, quæ ob Arelatensis Episcopi temeritatem Viennensi Metropoli addictæ erant, ad Ecclesiam Arelatensem fore revocandas. Neque certè mirum est si judicium sic ferat Hilarus in istiusmodi causa; agebatur enim de finibus Metropoleon servandis quos Episcopi Romani singulis præscripserant, aspirantibus quidem Principibus. Certum est quippe Provinciarum & Primatuum Ecclesiasticorum œconomiam, ut Summorum Pontificum, ita & Imperatorum legibus ac voluntate olim constitisse. Hinc Hilarus ipse in Epistola illa quæ est ad Episcopos Gallicanos, Leontii Arelatensis jus ac honorem à Mamerto Viennensi usurpari non potuisse probat, quia id quoque Imperatoria vetabat authoritas. *Fratri enim nostro Leontio*, inquit, *nihil constituti à sanctæ memoriæ decessore meo juris potuit abrogari; nihil valuit, quod honori ejus debetur, auferri. Quia Christianorum quoque Principum lege decretum est, ut quicquid Ecclesiis earumque rectoribus, pro quiete omnium Dominii Sacerdotum, atque ipsius observantia disciplinæ, in auferendis confusionibus Apostolicæ Sedis Antistes suo pronuntiasset examine, venerantер accipi tenaciterque servari, cum suis plebibus charitas vestra cognosceret: nec unquam possent convelli, quæ & Sacerdotali Ecclesiastica præceptione fulcirentur, & regia.*

IX. Anno 534. Contumeliosus Regensis Episcopus adulterii crimine insimulatus est; cumque sceleris fama perveniſſet ad Joannem II. scripsit is ad Cæsarium Arelatensem, misitque certos Canonum titulos, juxta quos Contumelioſi causa ab Episcopis Gallicanis judicanda videbatur. Observandum autem hîc diligenter, inter Canones missos à Joanne Papa recenseri nominatim 14. & 15. Antiochenos: quibus nempe veluti suprema stabilitur Synodorum Provincialium authoritas. Reipsa autem Contumelioſi causa in Synodo examinata est, ipseque à Coepiscopis exauctoratus: qua de re certior factus Joannes scripsit ad Clericos Ecclesiæ Regensis, jussitque illos visitatorem accipere donec Episcopus aliquis dignior ipsis diligeretur: *Pervenit*, inquit, *ad nos à fratribus & Coepiscopis nostris missa relatio, ubi Contumelioſus de suis criminibus confeſſus legitur atque convictus. Et quia ejuſmodi sceleribus implicatus Sacerdotii non poteſt miniſteria jam tractare, neceſſaria vobis solatia credimus visitatoris adjungere.* Contumelioſo tamen à Coepiscoporum judicio provocare visum est ad Sedem Apostolicam: cumque nihilominùs lata primò sententia executioni à Gallis mandaretur, Agapetus Joannis succeſſor valde conqueritur, quòd, non obstante Contumelioſi appellatione, ipse tamen ab Ecclesia sua pulsus esset: ita enim habet ille in Epistola ad Cæsarium Arelatensem. *Meliùs autem fecerat fraternitas tua, si poſteaquam Sedis Apoſtolicæ appellatione interpoſita deſideravit examen, circà perſonam ejus à tempore ſententiæ*

nihil permisisset imminui, ut esset integrum negotium, quod interposita provocatione quæreretur. Nam si in executionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio quod requirat. Quibus quidem verbis Agapetus Pontifex aliud nihil videtur postulare, quàm ut Sardicensis disciplina obtineat, quâ nempe cavebatur, ne interposita semel appellatione alius Episcopus in dejecti locum substitueretur. Quare, dum ultimum accedat judicium, in Contumelioſi, suspensi quidem interim, locum, visitatoriam, ut ait, personam jubet ordinari.

X. Anno 545. Vigilius Papa Auxanio Arelatensi vices suas in Gallia delegans, palliique usum concedens, eum jubet Episcoporum negotia in Conciliis Canonica & Apostolica æquitate discutere ac judicare, reservatis Apostolicæ Sedi causis illis dumtaxat, quæ ob nimiam difficultatem terminari fortè non poterant. *Si qua ergo*, inquit, *inter fratres & Coepiscopos nostros, in locis vestræ civitati præsenti authoritate commissis, seminante illo auctore ex antiqua iniquitate Zizaniæ, dissensiones emerserint; adhibitis vobiscum Sacerdotibus numero competenti, causas Canonica & Apostolica æquitate discutite, ea modis omnibus prolato judicio finituri, quæ Deo placitis decessorum nostrorum possint regulis convenire. Si qua vero certamina, aut de religione fidei, quod Deus auferat, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda servate.* Eadem

habet Vigilius in Epistola ad Episcopos Galliæ de vicibus suis Auxanio collatis. Eadem etiam repetit in Epistola ad Aurelianum Arelatensem, cui, Auxanio mortuo, vices suas quoque delegavit. Ita nempe optimo Pontifici persuasum erat Episcopos in Synodis Provinciarum necessariò judicandos.

XI. Neque verò est quod quisquam opinetur Summos Pontifices vices suas præcipuis aliquibus Episcopis delegando, Provinciarum idcirco ac Metropolitanorum jura invertisse: cum hæc delegandi ratio inventa sit potiùs ad juvandam Canonum executionem, suaque omnibus jura tutiùs conservanda. Ex quo quidem Sanctus Leo in Epistola 84. quæ est ad Anastasium cui vices suas commiserat, disertè sic scribit. *Igitur secundùm Sanctorum Patrum Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decrevimus: ita ut à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.*

Similiter Hormisda in Epistola ad Joannem Episcopum intacta vult esse Metropolitanorum privilegia, vicibus licet Apostolicæ Sedis ipsi demandatis. *Servatis*, inquit, *privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apostolicæ Sedis eatenùs delegamus, ut inspectis istis sive ea quæ ad Canones pertinent, sive ea quæ à nobis sunt nuper mandata, serventur, sive ea quæ de Ecclesiasticis causis tuæ relationi contigerint, sub tua*

nobis insinuatione pandantur, erit hoc studii, ac solicitudinis tuæ, ut talem te in his, quæ injunguntur exhibeas, ut fidem integritatemque ejus, cujus curam suscipis, imiteris.

Utraque hæc authoritas Leonis & Horsmidæ à Gratiano refertur causa 25. qu. 2. cap. 5. & 6. Utraque verò clarissimè demonstrat Summos Pontifices vices suas in Provinciis delegasse ad conservanda, non ad usurpanda Metropolitanorum jura; nisi fortè ipsi *aliqua vel negligentia vel præsumptione à præstitutis regulis discesserant*, ut Sanctus Leo rectissimè admonet, rursusque infra ex Gregorio Magno confirmabitur.

XII. Sed neque aliis conditionibus Galli Episcoporum Romanorum Vicarios usquam receperunt. Cujus quidem rei luculentum nobis argumentum suppeditat Concilium Pontigonense, quod anno circiter 876. habitum est; eo nempe tempore quo Romanæ Curiæ potentia tumêre jam cæperat. Cum enim Joannes VIII. adstipulante etiam Carolo Calvo, Ansegizo Senonensi vices suas delegare vellet per Gallias ac Germanias, res in Concilio coram Imperatore proposita est: Qui cum ab Episcopis Gallicanis quæsivisset, quidnam ipsis videretur de jussis Apostolicis, *horum responsio talis fuit*, inquit Aimonius, in Synopsi actorum Concilii Pontigonensis, *ut servato singulis Metropolitanis jure privilegii, secundùm sacros Canones, & juxtà decreta Sedis Romanæ Pontificum ex eisdem sacris Canonibus promulgata, domni Ioannis Papæ Apostolicis jussionibus*

obedirent. Et cum Imperator & Legati Apostolici satagerent, ut absolutè Archiepiscopi responderent se obedituros de Primatu Ansegizi, sicut Apostolicus scripsit, aliud nisi quod prædictum est responsum ab eis extorquere non potuerunt: excepto quod Frotarius Burdegalensis Episcopus, quoniam à Burdegala ad Pictavos, indeque ad Bituricum favore Principis contra regulas se contulit, per adulationem respondit quod Imperatori placere cognovit. Hac responsione commotus quidem fuit Imperator: nihil tamen amplius ab Episcopis Gallicanis obtinere potuit: *nam in octava Sessione*, inquit Aimonius, *iterum mota est interrogatio de Primatu Ansegizi, & post multas ab Imperatore & Legatis Apostolicis contra Episcopos querimonias habitas, tantum in novissimo quantum & in principio Synodi exinde Ansegisus obtinuit.*

Itaque si aliquando Pontificum Romanorum Vicarii Episcoporum causas cognovisse videantur, id fecere quidem aut quòd Metropolitani officium suum fortè omitterent, aut quòd ob rei gravitatem in pleniori Concilio, Metropolitanis ipsis assentientibus, eas placeret agitari.

XIII. Anno 555. Saffaraci Episcopi Parisiensis causa retractata est in Concilio Parisiensi 2. quod à Childeberto Rege convocatum erat. Cumque illius depositio confirmata esset, ipseque latæ contra se sententiæ acquievisset, constituerunt Episcopi qui aderant, ut Ecclesiæ Parisiensi Episcopus alius provideretur à Metropolitano, ut moris erat.

Notandum hîc obiter Episcoporum judicia ad-

huc illo tempore in Galliis principum authoritate fuisse retractata.

Anno 563. Emerius Episcopus Santonensis, qui Clotarii Regis imperio contra Canones fuerat ordinatus, generosè ab Episcopis Gallicanis depositus est: in ejusque locum suffectus Heraclius. Hunc quidem Charibertus deinceps crudeliùs accepit, quod patris sui memoriæ injuriam factam putaret: Emeriumque per vim jussit restitui; at num quis idcirco judicii formam, quæ ab Episcopis Gallicanis adhibita erat, incusabit?

XIV. Anno 567. in Concilio Lugdunensi lata est lex de controversiis Episcoporum componendis hunc in modum: *si quid inter fratres, ideſt Coepiſcopos noſtros, contentionis ortum fuerit, ſi de una Provincia ſunt, Metropolitani cum Comprovincialibus ſuis judicio ſint contenti. Si verò diverſæ Provinciæ duo fuerint Sacerdotes, inter quos aliqua diſceptatio oriatur, convenientibus in unum Metropolitanis ipſorum, omnis eorum actio illorum judicio terminetur: ita ut ſi unus ex Epiſcopis ab alio Epiſcopo, aut à quacunque perſona, iniquè fuerit aggravatus, communi fratrum ſtudio, cum Dei ſolatio defenſetur. Quod ſi quis ſe ab hac conditione quacunque calliditate ſubtraxerit, tribus menſibus ſe à charitate fratrum noverit eſſe ſequeſtratum.* Quanquam autem hac in lege depositionis vocabulum non usurpetur, eam tamen referre placuit, quoniam ad Metropolitanorum asserendam illustrandamque jurisdictionem non parum confert.

XV. Hoc ipso in Concilio Salonius Ebredunensis, & Sagittarius Vapingensis dejecti sunt, Gregorio Turonensi teste: qui quidem rem totam sic narrat lib. 5. Historiæ cap. 20. *Igitur contra Salonium Sagittariumque Episcopos, tumultus exoritur. Hi enim à Sancto Nicetio Lugdunensi Episcopo educati, Diaconatus officium sunt sortiti: hujusque tempore Salonius Ebredunensis urbis, Sagittarius Vapingensis Ecclesiæ, Sacerdotes statuuntur. Sed adsumpto Episcopatu in proprium relati arbitrium, cœperunt in persuasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diversisque in sceleribus, insano furore grassari: ita ut quodam tempore celebrante Victore Tricassinorum Episcopo solennitatem natalitii sui, emissa cohorte, cum gladiis & sagittis inruerent super eum. Veniente sque sciderunt vestimenta ejus, ministros cæciderunt, vasa & omnem adparatum prandii auferentes, relinquentes Episcopum in grandi contumelia. Quod cum Rex Guntheramnus comperisset, congregari Synodum apud urbem Lugdunensem jussit. Conjunctique Episcopi cum Patriarcha Nicetio Beato, discussis causis, invenerunt eos de his sceleribus quibus accusabantur, valde convictos: præceperuntque ut qui talia commiserant, Episcopatus honore privarentur. At illi cum adhuc propitium sibi Regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se injustè remotos: sibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis Epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Ioanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille verò Epistolas*

ad

ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet. Quod Rex sine mora castigatis prius illis verbis multis, implevit. Ex qua quidem narratione patet Episcopos illos primùm dejectos esse in Concilio: tum ad Apostolicam Sedem provocasse ex licentia Sardicensi: tandemque à Romano Pontifice, quia nemo erat qui eorum accusationem urgeret, fuisse restitutos. Verùm quia emendatio nulla secuta est, inquit Gregorius Turonensis, idcirco iterum dejecti sunt in Concilio Cabilonensi, quod Regia authoritate celebratum est anno 574. Nam & hoc quoque Gregorius ejusdem lib. cap. 27. sic refert. *Anno quoque 4. Childeberti, qui fuit decimus octavus Guntheramni & Chilperici Regum, apud Cabillonum civitatem Synodus acta est, ex jussu principis Guntheramni: discussisque diversis causis contra Salonium & Sagittarium Episcopos, iteratur illa antiqua calamitas: objiciuntur eis crimina: & non solùm de adulteriis, verùm etiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum, quod essent rei majestatis, & patriæ proditores. Qua de causa ab Episcopatu discincti, in Basilicam Beati Marcelli sub custodia detruduntur. Ex qua per fugam lapsi, discesserunt per diversa vagantes, donec in civitatibus eorum alii subrogati sunt.*

XVI. Anno 573. Promotus qui & contra Canones, & contra Carnotensis Episcopi jura in Castrodunensi Episcopus constitutus erat, à Concilio Parisiensi quarto, suggerente Pappolo Carnotensi Antistite dejectus est: intentatâ etiam excommunica-

tionis pœnâ, nisi obsequeretur. Ægidius verò Remensis qui Promotum ordinaverat à Concilio graviter increpatus est. Non abs re erit exhibere hîc tum suggestionem Pappoli Carnotensis, tum constitutionem Concilii ipsius Parisiensis, quæ ad Ægidium Remensem directa est. Nam ex utraque patebit clarissimè & quæ authoritas Conciliorum tum erat in Galliis, & quæ judiciorum Episcopalium ratio usitata.

Tenor suggestionis libelli Synodo oblati a pappolo Episcopo.

Domnis semper suis, atque Apostolica dignitate colendis, omnibus Episcopis, qui in Sancta Synodo nunc Parisius convenerunt, Pappolus Carnotinæ civitatis Episcopus humilis vester. Ita nos canonica institutio admonet, ut quotiens aliquæ exortæ fuerint in Ecclesia causæ, Synodali hoc conventu debeat publicari. Ideo, piissimi domni, in vestræ pietatis notitia hæc quæ contra nos gesta sunt per præsentis libelli nostri tenorem fluduimus deferendum. Ergo cum me ante aliquod temporis, Clericorum vel Civium Carnotinæ civitatis voluntas per consensum, cum conniventia etiam Metropolitani mei, fieri Episcopum elegisset, quod annuente domino factum est, post aliquot dies, quidam ex ipsius civitatis Carnotinæ territorio Presbyter, nomine Promotus, qui reliquerat sine litteris antecessoris mei cellulam suam, inlicita præsumptione Parrochiam meam, cui vocabulum est Duno, quasi sub nomine Episcopatus visus est pervasisse. Etiam & facultaticulam Ecclesiæ, cui præesse videor, quantum in ipso pago esse constat nescio per

cujus ordinationem, simili conditione pervasit. Pro qua re supplex vester sanctitati vestræ suggero, & per Spiritum Sanctum, qui in vobis habitat, & diem judicii futurum, & per remissionem peccatorum, vobis domnis meis conjuro, ut hoc ita, qualiter vobis fieri non vultis, emendari jubeatis: quatenùs nec per callidam præsumptionem quis audeat in posthmodùm per tumorem superbiæ similia perpetrare, & simultas Ecclesiæ, vestro studio & ordinatione, jam Christo propitio conquiescat.

CONSTITUTIO SYNODI AD ÆGIDIUM EPISCOPUM REMENSEM, QUI PROMOTUM IN DUNENSI CASTRO EPISCOPUM TEMERE CONSECRARAT.

Domino suo, atque Beatissimo & meritis Apostolico fratri Ægidio Episcopo, Philippus, Sapaudus, Priscus, Constitutus, Laban, Felix, Germanus, Lucretius, item Felix, Clementinus, Syagrius, Optatus, Gallo-magnus, Salonius, Quinidius, item Salonius, Sagittarius, Promotus, Genesius, Polemius, Aunacharius: Eschius, Palladius, Sylvester, Victor, Pappolus, Claudianus, Heraclius, Tetradius, Licerius, Leudobaudis, & Desiderius Episcopi, necnon Launoveus Presbyter. Dum pro causis publicis, privatorumque querelis Parisius moraremur, vir Apostolicus frater noster Domnus Pappolus Episcopus mediocritati nostræ detulit in querelam, in castro Dunensi, Parrochia denique Carnotina, quod castrum, nec ad territorium Civitatis vestræ, nec ad vestram Provinciam manifestum est pertinere, à vobis contra omnem rationem, & contra Canonicam disciplinam Episcopum con-

secratum. Et licet secundùm prisca Beatissimorum Patrum decreta potuit hujusmodi excessus in vestra injuria acerbiùs coërceri : sed nos caritatis jura servantes beatitudini vestræ indicamus, ut Presbyterum ipsum nomine Promotum, qui omissa severitate Canonica à vobis dicitur tam temerè consecratus, ut justè debeat de gradus ipsius dignitate deponi, sicut Canonum constituta sanxerunt, ad vos evocetis, vel vobiscum retineatis, ut injuriam nec Ecclesiæ, nec Sacerdoti suo ulteriùs debeat inrogare. Et qui à fratre vestro domno Germano Episcopo, ad petitionem Domni Constituti Metropolitani, ut ad Synodum venire deberet, est præsentanea invitatione commonitus, quod quoque Domnum Constitutum & Domnum Germanum constat in Synodum retulisse, & ad Synodum venire distulit. Idcirco noverit beatitudo vestra hoc apud universum præsenti tempore Concilium constitutum, ut si memoratus Presbyter, aut propriâ contumaciâ, aut cujuscumque potestatis adsentatione, in prædicta Dunensi Ecclesia præsumpserit sub hujus subrepti honoris argumentatione ulteriùs residere, vel res Ecclesiæ ipsius ampliùs usurpare, aut altaria benedicere, infantes confirmare, vel ordinationes per quascumque Parrochias facere, aut Episcopo suo fratri vestro Domno Pappolo resistere prava intentione præsumpserit, ab omni cætu Episcoporum, vel à communionis consortio perpetuo anathemate feriatur : & frater noster Domnus Pappolus Episcopus, vel Ecclesia Carnotina, Parrochias quas hucusque habuit sub sua ordinatione debeat auxiliante Domino gubernare. Statuentes etiam, ut quicumque de populo

illo benedictionem memorati Promoti Presbyteri post hoc edictum manifestatum vel publicatum, aut expetierit, aut accipere contentus fuerit, à communionis consortio, vel ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

XVII. Anno 577. Prætextatus Archiepiscopus Rothomagensis in Concilio Parisiensi ab ipso Rege Chilperico plurimis, iisque infandis criminibus accusatus est. Convenit enim ipse Rex in Concilium, adstantibusque Patribus Prætextatum ita interpellavit: *quid tibi visum est, ô Episcope, ut inimicum meum Merovechum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est patrui sui uxore conjungeres? an ignarus eras quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent? Etiam non hic solum excessisse probaris: sed etiam cum illo egisti datis muneribus, ut ego interficerer: hostem autem filium Patri fecisti, seduxisti pecuniâ plebem, ut nullus mecum fidem habitam custodiret: voluistique regnum meum in manu alterius tradere.* Atrocia sanè crimina, si vera fuissent: at si audiatur Gregorius Turonensis, qui lib. 5. cap. 18. causæ hujusce seriem totum refert, Prætextatus ab eis alienus reipsa extitit: nihilominùs tamen infelix præsul Regis odio falsisque testibus oppressus, immo & circumventus ipse, atque in falsam confessionem callidè inductus, à Sede sua in exilium pulsus est. Hujus quidem judicii æquitatem non defendo: sed ejus formam omninò spectatam hîc velim; fuit enim agitata Prætextati causa in pleniori Episcoporum Concilio, non jubente modò, sed etiam accusante Rege: neque de quibusvis criminibus erat quæstio,

sed de illis etiam quæ status, læsæque majestatis vulgò insigniuntur. Ex quo certè apparet, quàm vana sit, quámque futilis eorum opinio, qui ubi de grandioribus illis criminibus agitur, formas ordinarias, immo & judices ordinarios volunt prætermitti.

Circa hæc tempora Gregorius ipse Turonensis, vir licet Sanctissimus, ad Regem à Leudaste quodam delatus est, ut qui Reginam Fredegundem turpiori objecto crimine infamasset. Congregantur hanc ob rem Episcopi apud Brennacum villam: causâque agitatâ innocentiam suam jurejurando probat Gregorius: negotium enim totum Episcopi Sacramento, quàm testium relatione finiri Rex maluit: quod profectò sapientiæ pietatisque Regiæ argumentum ingens fuit. De Leudaste verò delatore qui judicio interesse non sustinuit, *placuit omnibus Sacerdotibus, ut fator scandali, inficiator Reginæ, accusator Episcopi, ab omnibus arceretur Ecclesiis*: ita enim scribit Gregorius ipse Turon. lib. 5. cap. 49. ubi calumniam in se à Leudaste conflatam fusiùs persequitur.

XVIII. Anno 590. Ægidius Archiepiscopus Remensis crimine majestatis reus exauctoratus est in Concilio Metensi, quod Childeberti Regis imperio erat convocatum. Rem totam narrat Gregor. Turon. lib. 10. cap. 19. in ejus autem narratione duo sunt maximè, quæ notanda hîc duxi. Primum quòd Rex, qui Ægidium apprehendi, tenerique sub custodia jusserat, ante omnem audientiam Epis-

copalem, *increpatus ab aliis Sacerdotibus permisit eum ad urbem suam redire.* Alterum quòd cum in Concilio Ægidius scelera longè gravissima in Regem regnumque admisisse se fassus fuisset, Episcopi, Canones, qui nempe de Episcoporum judiciis erant, legi ante curaverint, quàm in eum sententiam ferrent: *hæc Episcopi audientes,* inquit Gregorius Turon. *ac lamentantes fratris opprobrium, obtentâ vitâ, ipsum ab ordine Sacerdotali, lectis Canonum sanctionibus, removerunt.*

Anno 603. Desiderius Episcopus Viennensis in Concilio Cabilonensi dejectus est, aliusque in ejus locum suffectus. Factum sic narrat Fredegarius in appendice ad Gregorium Turonensem: *anno 8. regni Theodorici Synodus Cabillono cogitur. Desiderium Viennensem Episcopum dejiciunt, & instigante Aridio Lugdunensi Episcopo & Brunichilde, subrogatus est loco ipsius Sacerdotali officio Domnolus, Desiderius verò in insulam quandam exilio retruditur.*

XIX. Quoniam hæc posteriora facta in quibus Apostolica authoritas partem nullam habuit, Gregorii Magni tempore contigerunt: explorandum est nobis an Sanctissimus ille Pontifex moribus Gallorum antiquis adversatus sit, primamque negotiorum Episcopalium cognitionem in Galliis usurparit, ut larvatus homo nuper scriptitabat. Ad refellendam istam calumniam satis esset protulisse famosa illa exempla depositionum, quæ, vidente, neque contradicente Gregorio Magno in Synodis Gallicanis decretæ sunt. Quoniam tamen ejus Pon-

tificis monumenta extant longè plurima quæ Gallias attinent, quæque ubique ferè antiquam disciplinam spirant, eis ipsis Gregorii Magni fama seu memoria defendenda est, ususque Gallorum, quos tuemur, simul confirmandi.

Primò itaque Gregorius Magnus in Epistola ad Virgilium Arelatensem quæ est lib.4. 51. postquàm significavit suas se vices illi committere, statim addit nihil eam ob rem detrahi honori Metropolitanorum: Quorum nempe est in Synodis Provinciarum Episcopales causas agitare. *Itaque*, inquit, *fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesiis quæ sub regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti, juxtà antiquum morem, Deo auctore, committimus:* SINGULIS SIQUIDEM METROPOLITIS, SECUNDUM PRISCAM CONSUETUDINEM, PROPRIO HONORE SERVATO. Quin & ipsi Virgilio Metropoliticum munus commendat eadem in Epistola. *Si qua verò*, inquit, *inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficiliùs possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur.* Idem ferè habet in Epistola sequenti quæ est ad universos Galliarum Episcopos. In Epistola verò lib.7. 110. quæ est ad Syagrium, Ætherium, Virgilium, & Desiderium Episcopos Gallicanos, districtè præcipit ut Synodi quot annis per Provincias ad retinendam disciplinam, uti à Patribus sancitum est, habeantur. *Nec hoc quoque*, inquit, *in hac*

hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per Parochias Conciliis Patrum providentiâ utilitatis causa sancitum est; unde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos & subjectos sint fomenta discordiæ, in unum convenire Sacerdotes necesse est, ut & de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica observatione collatio: quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens Dominus fratrum concordiâ collaudetur: Cujus vobis adesse præsentiam, si hæc observabitis, scitote; quia scriptum est, ubi fuerint congregati duo, aut tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergo adesse dignatur, ubi duo vel tres fuerint; quanto magis non deerit, ubi plures conveniunt Sacerdotes? Et quidem quia de habendo bis in anno Concilio Patrum sit regulis statutum non latet. Sed ne fortè aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen in anno sine excusatione aliqua decernimus congregari; ut expectatione Concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerumque & si non amore justitiæ, metu tamen examinis abstinetur ab hoc, quod omnium notum est posse displicere judicio. Hanc, fratres carissimi, observantiam nostris relinquendam posteris teneamus, &c.

Dum Gregorius Magnus sic præclarè monet Ecclesiastica negotia in Synodis Provinciarum esse pertractanda, nequidem graviores Episcoporum causas excipit: ut nec illas exceperant Sancti illi Patres, quorum authoritate Synodorum probat necessitatem.

Hinc Epistolâ 117. lib. 7. Syagrium Augustodu-

nensem hortatur, ut Theodorum quemdam Episcopum, qui Archiepiscopi Mediolanensis Metropolitæ sui fugiens correctionem venerat in Gallias, redire jubeat ad Metropolitanum. *Quia verò Theodorus quidam Episcopus*, inquit, *de Diœcesi reverendissimi fratris nostri Constantii Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi disciplinam, ut dicitur, evitans, illic venisse firmatur, hortamur ut & isto diligentiùs requisito ad Episcopum suum vestra fraternitas transmittat.*

Hinc etiam dum Epistola 64. lib. 9. Brunichildem Francorum Reginam rogat; ut cum ipsius veniâ mittere Legatum possit in Gallias, ad coërcendos aliquos Episcopos qui impudicè, ut ait, & nequiter conversari dicebantur, Metropolitanorum accusat negligentiam, qui si officio suo functi essent, de legato ipse in Gallias transmittendo nusquam cogitasset. *Sed quoniam eos*, inquit, *quorum est locus hæc insequi, nec sollicitudo ad requisitionem, nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, ut personam, si præcipitis, cum vestræ authoritatis assensu transmittamus, quæ unà cum aliis Sacerdotibus hæc & subtiliter quærere, & secundùm Deum debeat emendare.*

Quicunque Gregorii Magni scripta hæc legerit, mirabitur dubio procul qua fronte ipsius nomen ad impugnandas Ecclesiæ Gallicanæ libertates nuper adductum sit. At objicit personatus ille, Gregorius Magnus vices suas commisit Virgilio Arelatensi, facultatemque simul indulsit congregandorum Conciliorum ex Episcopis Gallicanis. Id

sanè verissimum est ; num verò inde consequitur Gregorium Magnum occupasse in Galliis primam causarum Episcopalium cognitionem, legitimamque Provincialium Synodorum jurisdictionem evertisse ? Cum potiùs, ut ostendi ante, agendo de Virgilio, Vicarios instituant Romani Antistites ad retinendam disciplinam, juvandamque Canonum executionem. Gregorius porrò nihil amplius Virgilio tribuit, quàm Vigilius Auxanio tribuerat ? immo Gregorius Vigilii verba ferè imitatur ac refert ; inter cætera verò *singulis Metropolitis secundùm Priscam consuetudinem, proprium honorem servari jubet*, ut ante observatum est.

XX. Anno 650. in Concilio Matisconensi depositionis sententia lata est contra Agapium & Bobonem Dinienses urbis Episcopos: cujus quidem sententiæ forma Canone 20. ejus Concilii sic exprimitur : *Agapium verò & Bobonem Dinienses urbis Episcopos, pro eo quòd ipsos contra statuta Canonum in multis conditionibus errasse vel deliquisse cognovimus, ipsos juxta tenorem Canonum ab omni Episcopatuum ordine decrevimus degradare.*

Anno 685. plures Episcopi, ac nominatim Dido Episcopus Cabillonensis dejecti sunt in Concilio, quod in villa quadam Regia à Theodorico & Ebroïno congregatum est. Multa quidem hoc in Concilio per vim ab Ebroïno acta sunt : at improbam tamen voluntatem celare hic voluit legitimâ judiciorum formâ : *Nam multam Episcoporum turbam ibi adesse fecit*, inquit vetus author qui Sancti Leo-

degarii vitam scripsit, hujusque Concilii memoriam ad nos usque custodivit.

Anno 745. Aldebertus & Clemens, ambo Episcopi, à Bonifacio Archiepiscopo, qui Romanas tum vices gerebat in Galliis, & ab aliis simul Episcopis Gallicanis dejecti sunt, ut qui hæretica, impia, horrendaque multa docerent, incautamque plebem inducerent ad superstitiones prorsus detestandas. Cum autem starent illi contumaces, immo & seductam plebem excitarent contra Bonifacium aliosque Christi Sacerdotes, negotium retulit Bonifacius ad Zachariam, tum ut periclitanti fidei succurreret, tum ut à Francorum Rege hæreticos illos comprehendi mittique in carcerem procuraret. Qua de re habito Romæ Concilio in Aldebertum & Clementem sententia lata est, veluti in hæreticos: interim de rebus in Concilio Romano gestis scribit Zacharias ad Bonifacium, Aldebertique & Clementis causam cribrari denuò jubet in Concilio apud Gallos: ea scilicet lege ut, si scelus fassi fuerint, de his *cum principe Provinciæ disponat secundùm Canonum Sacrorum sanctia:* sin autem in contumacia perseveraverint, *cum probatissimis atque prudentissimis Sacerdotibus duobus vel tribus Romam eos dirigat, ut profunda inquisitione coram Sede Apostolica eorum inquiratur causa, & juxta quod meruerint, finem suscipiant.* Hoc factum id habet peculiare, quod eamdem causam quæ bis jam in Provincia, & Romæ semel agitata supponebatur, ad suam iterùm cognitionem remitti jubet Zacharias.

XXI. Illustriora sunt hæc ferè depositionum exempla, quæ sub prima Regum nostrorum Dynastia contigere.

Ex his autem inprimis constat graviores Episcoporum causas toto illo tempore in Synodis Provinciarum, vel etiam in Synodis plenioribus, quæ sæpiùs à Regibus convocabantur, fuisse judicatas.

Constat secundò Summos Pontifices huic agendi consuetudini nusquam obstitisse: sed ut summùm eorum aliquos causarum ejusmodi relationes, aut appellationes, post primum judicium, sibi vindicasse.

Constat tertiò in multis illis depositionum exemplis quæ hactenus relata sunt, paucos reipsa Episcopos Gallicanos Romanam Sedem appellasse: sive quòd Episcopi dejecti objectorum criminum conscii primis judiciis acquieverint, sive quòd antiquis Canonibus Galli tum adhuc obsequerentur magis, quàm regulis Sardicensibus.

ARTICULUS IX.

Quo jure quave ratione usi sunt Galli in finiendis causis gravioribus Episcoporum à Carolo Magno ad Hugonem Regem & Ioannem XV. Pontificem?

DE jure inquiremus primò; tum facta expendemus.

§. I.

Quod jus valuit apud Gallos à Carolo Magno ad Hugonem in Episcoporum judiciis?

SYNOPSIS.

I. *CAROLO Magno disciplinæ Ecclesiasticæ studiosissimo Principi Hadrianus I. Pontifex Codicem dedit quo utebatur Ecclesia Romana: in quo quidem Codice leges Sardicenses in Episcoporum judiciis servandæ continebantur.*

II. *Hadrianus verò ipse aliud nihil Sedi suæ postulat in ejusmodi judiciis, quàm quod leges Sardicenses contulerant; ut ejus Epistola ad Tilpinum Remensem fidem facit.*

III. *Eadem disciplina commendatur in pluribus è capitulis illis octoginta quæ Hadrianus idem Ingilramno Metensi tradidit.*

IV. *Eadem quoque celebratur in Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Pii.*

I. CAROLUS Magnus ut bello fortis armorumque gloriâ illustris, ita & pietate conspicuus valde fuit, fuisque in Ecclesiam officiis maximè prædicandus. Non alius Prin-

ceps de re Christiana sic usquam meritus est: Ejus victoriis libertatem debuit Roma: donis ac beneficiis opes etiam nunc debet & amplitudinem. Quid autem Ecclesia Gallicana ipsius curis non debet ac pietati? Mirum est enim quanto ille studio religionem in Galliis coluerit, quantâque vigilantiâ Ecclesiæ Gallicanæ honori usque prospexerit: Episcopopum dixisses magis quàm Imperatorem, ita rebus Ecclesiasticis accurandis intentus videbatur. Quoniam verò Ecclesiasticæ vim disciplinæ à Synodorum Episcopalium frequentia pendere intelligebat, earum usum revocavit ipse juxta Canones antiquos: immo eis etiam interfuit sæpe numero, sanctionesque Ecclesiasticas suo nomine suaque authoritate voluit communiri.

Hadrianus I. Pontifex Maximus Imperatoris religiosissimi studium non laudans modò, sed & juvare etiam cupiens, Codicem ipsi dedit quo Ecclesia Romana utebatur, qualisque à Dionysio Exiguo fuerat adornatus. Is porrò Codex, præter Canones Orientalium Synodorum quas ante censuimus, Oecumenicarum scilicet priorum quatuor, & quinque privatarum, comprehendebat etiam Canones Africanos, & Sardicenses, necnon & Epistolas decretales Summorum Pontificum à Siricio ad Gregorium juniorem.

Certè oblato isto Codice Hadriani mens alia non fuit; quàm ut Imperator Ecclesias ditionis suæ ad eam normam componi procuraret: atque id colligere est è postremo versu Epistolæ veluti dicatoriæ

Hadriani, quo Carolum Magnum sic tandem affatur. *A lege nusquam discede, hæc observans statuta.* Neque verò dubitare licet quin Imperator pro sua pietate obsequentem se præstiterit, sanctasque adeo regulas in Ecclesiis Gallicanis jusserit observari.

Itaque, ut ad propositam quæstionem veniamus, quo nempe jure usa sit Gallia in gravioribus Episcoporum causis finiendis à Carolo Magno ac deinceps? illi quidem secuti sunt, in quo continebantur Canones Nicæni, Antiocheni, Africani & Sardicenses, cognitio prima ejusmodi causarum susceptа est dubio procul in Synodis Provincialibus, uti Canonibus illis omnibus præscribebatur: appellationes autem ad Apostolicam Sedem fortè relatæ sunt, quemadmodùm Sardicensibus quidem unis erat constitutum.

II. Hadrianum autem ipsum aliud nihil tum aut sibi aut Sedi postulasse arguo ex altera ejus Epistola, quæ est ad Tilpinum Archiepiscopum Remensem. Expostulaverat hic apud Hadrianum injurias multas Archiepiscopatui Remensi inustas esse, multaque contra Sedis hujus dignitatem tentata & admissa: inter alia autem questus fuerat quòd *faciente discordia inter Francos Archiepiscopus Remensis nomine Rigobertus à Sede contra Canones dejectus & expulsus erat sine crimine, & sine ullo Apostolicæ Sedis consensu aut interrogatione: sed solummodò quòd antea non consenserat in parte illius, qui postea partem illam de regno suo in sua potestate accepit, in qua parte Remensis*

Remensis Civitas est. Ad hæc respondet Hadrianus, illæsaque jubens esse Metropolitica Ecclesiæ Remensis jura, de iniqua Archiepiscopi depositione cavenda in posterum hæc adjicit: *Et te, aut futuris temporibus Remensem Episcopum & Primatem illius Diœcesis, non præsumat neque valeat unquam aliquis de Episcopatu dejicere sine Canonico judicio: & neque ullo judicio sine consensu Romani Pontificis, si ad hanc Sedem Romanam, quæ caput esse dinoscitur orbis, appellaverit in ipso judicio.* Quibus quidem verbis accusati Episcopi causam non ante referendam significat ad Sedem Romanam, quàm Episcopus ipse accusatus illam appellaverit.

III. Idem Hadrianus capitula 80. de rebus Ecclesiasticis, ac præsertim de Canonicis judiciis tradidit Ingilramno Metensium Episcopo qui Romæ tum fortè agebat, quique illa deinceps in Galliis evulgavit. Quanquam autem collecta illa erant non magno delectu partim è Græcis Latinisque Canonibus, partim è Pontificum & Imperatorum edictis, ut ab Hincmaro diu observatum est opusculo 55. Capitul. cap. 24. attamen quia vetustiorum Synodorum tum temporis latè vincebat authoritas, plura sunt longè capitula, quæ primam causarum Episcopalium cognitionem Synodis Provincialibus tribuunt: è quibus quidem, quæ visa sunt insigniora, hîc subjicio.

Capitul. 5. *si quis Episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt fuerit accusatus, postquam ipse ab eis caritativè conventus fuerit, ut ipsam causam emen-*

dare debeat, & eam corrigere noluerit; non olim, sed tunc ad Summos Primates causa ejus canonicè deferatur: Qui congruo in loco, infra ipsam Provinciam, tempore à Canonibus præfixo Nicænis, Concilium canonicè convocare debebunt; ita ut ab omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis in eo audiatur.

Capitul. 9. *salvo Romanæ Ecclesiæ in omnibus Primatu* (si nempe reŝ difficiliores occurant, aut appellatio fortè interjiciatur) *manifestum est quòd illa quæ sunt per unamquamque Provinciam ipsius Provinciæ Synodus dispensèt, sicut in Nicæno constat decretum esse Concilio.*

Capitul. 10. *Ultrà Provinciæ terminos accusandi licentia non prograediatur. Omnis accusatio intra Provinciam audiatur, & à Comprovincialibus terminetur.*

Capitul. 12. *Prudentissimè justissimèque Nicæna, sive Africana decreta definierunt quæcunque negotia in suis locis, ubi orta fuerint, finienda: maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare.*

Capitul. 19. *Peregrina judicia generali sanctione prohibemus: Quia indignum est, ut ab externis judicetur.*

Capitul. 20. *Nullus Episcopus extra suam Provinciam ad judicium devocetur; sed vocato eo canonicè, in loco omnibus congruo, tempore Synodali, ab omnibus Comprovincialibus Episcopis audiatur; qui concordem super eum, canonicamque proferre debent sententiam. Quia si hoc minoribus tam Clericis, quam laicis conces-*

sum est, quantò magis de Episcopis servari convenit? nam si ipse Metropolitanum, aut judices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud Primatem Discessos, aut apud Romanæ Sedis Pontificem judicetur.

Capitul. 27. *Sunt nonnulli, qui indiscussos potestate tyrannica, non canonica authoritate damnant, & sicut nonnullos gratiâ favoris sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant, & levi opinionis aurâ condemnant, quorum crimina non adprobant. Ideoque communi decreto censemus, ut quandocunque aliquis Episcoporum criminatur, congregatis omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis causa ejus audiatur, ut non occultè judicetur, vel condemnetur: qui ab aliis priùs judicari non potest, nisi ab iis à quibus ordinari: quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit.*

Capitul. 29. *Si quis Episcopus super certis accusatur criminibus, ab omnibus audiatur, vel judicetur, qui sunt in Provincia Episcopis.*

His omnibus Capitulis, quæ à Canonibus quidem antiquis minimùm differunt, Episcopalium negotiorum cognitio Provinciarum Synodis clarè tribuitur: de Apostolica verò Sede mentio non fit, nisi fortè ubi agitur de appellatione, ut in 23. cap. v. g. in quo appellationis lex sic sancitur: *Placuit, si Episcopus accusatus appellaverit Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.*

IV. Eadem hæc disciplina à Gallis accepta vel potiùs retenta est: nam in Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Pii selecta Hadriani Capitula inscripta sunt: lib. quidem 7. Capitul. 234. Capitu-

lum Hadriani 20. ipsis terminis sic refertur : *nullus Episcopus extra suam Provinciam ad judicium devocetur ; sed vocato eo canonicè, in loco omnibus congruo, tempore Synodali, ab omnibus Comprovincialibus Episcopis audiatur, qui concordem super eum, canonicamque proferre debent, sententiam, &c.* Quo quidem Capitulari Episcopalium causarum cognitio Synodis Provinciarum clarè asseritur : De appellatione verò sic habet ejusdem lib. Capitul. 235. *Placuit, si Episcopus accusatus appellaverit ad Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.* Quibus verbis non pluribus non paucioribus Hadriani Pontificis Capitul. 23. continebatur. Sed clariùs longè Sardicensis disciplina effertur. Capitulari 318. lib. ejusdem, ubi sic habetur : *ut judicatus Episcopus ad Apostolicam Sedem, si voluerit, appellet ex Concilio Sardicensi tit. 5. Quodsi appellaverit, in cathedra ipsius alter non ordinetur.* Concil. Tribur. Canon. 10.

---

§. II.

Facta expenduntur à Carolo Magno ad Hugonem.

SYNOPSIS.

I. *ISTA temporis intercapedine, Episcopi plures in Galliis dejecti sunt juxta prædictas regulas ; quos inter Anshelmus Mediolanensis, Vuolvodus Cremonensis, Theodulphus Aurelianensis, Ieſſe Ambianensis, Thegano Chorepiscopo Trevirensi teste in opere de gestis Ludovici Pii.*

II. *Ad annum* 835. *Ebbo Remensis in Concilio apud Theodonis-villam exauctoratus est.*

III. *Circa idem tempus Aldricus Cenomanensis in Concilio Provinciæ judicatus est: quod ne improbavit quidem Gregorius IV. sed appellationes tantùm adstructas voluit.*

IV. *Nihil amplius desideratum est à Leone IV.*

V. *Benedictus III. Leonis IV. successor Hincmaro Remensi instar privilegii tribuens, ne ab alio quam ab Episcopo Romano judicari posset, jus commune supponit & confirmat.*

VI. *Vigebat jus commune ubique gentium, cum Apocryphæ Episcoporum Romanorum Epistolæ prodierunt: in quibus quidem jus antiquum circa Episcoporum judicia videtur inverti, cum ea Episcopo soli Romano tribuuntur.*

VII. *Quæ tamen, nisi jam earum falsitas planè constaret, explicari non ineptè possent de appellationibus.*

VIII. *Suppositititius fœtus turbas nihilominùs excitavit, utpotè adoptatus ferè à Romanis quibusdam Pontificibus. Verùm Gallia credula non sic fuit; ut judicia Episcoporum etiam probant quæ secuta sunt, verbi gratia Iortoldi, & aliorum apud Saponarias.*

IX. *Item Rothadi Suessionensis, cujus causa anno* 863. *variis studiis agitata est Nicolaum I. inter & Episcopos Gallicanos.*

X. *Ne quidem Teutgaudi Trevirensis & Guntharii Agrippinensis depositio à Nicolao Romæ tantata Gallicanas libertates rectâ impetit.*

XI. *Qui Nicolai I. authoritatem objiciunt coguntur & ipsi Nicolai I. facta ex æquo interpretari.*

XII. *Hadrianus II. Nicolai I. successor fictas decretales cupidè amplexus est; iisque usus maximè contrà Gallos in causa Hincmari Laudunensis. Galli autem fortiter obstitere; ac tandem eorum virtuti Roma utcunque cessit, cum Ioannes VIII. Hadriani II successor Hincmari Laudunensis condemnationem opprobavit.*

XIII. *Ioannes VIII. in aliis etiam aliquibus favere Gallis visus est, verùm longè plura ipse aggressus est contra Gallicanas libertates fictis Decretalibus nimio plus credens.*

XIV. *Ac tandem sic crevit Romana licentia eodem Nixa fundamento, ut Carolus Calvus Ecclesiæ suæ jura tueri cupiens ad Ioannem VIII. scribendum duxerit, ne ultra Ecclesiasticorum judiciorum rationem innovaret.*

XV. *Caroli Calvi Epistola, & quæ solemnis eo usque fuerat judiciorum forma apud Gallos clarè monstrat, & est ipsa veluti legitima quædam intercessio, atque ut aiunt, protestatio contra jus novitium quod invehebatur: unde minus virium exempla habitura sunt, si quæ deinceps antiquo juri contraria observabuntur.*

XVI. *Artaldi Remensis cum Hugone negotium perperam objicitur ab adversariis libertatum Gallicanarum; cum aptius ipsum sit ad Gallorum constantiam comprobandam. Nihil etiam obest Episcopi Bellovavensis citatio cum eodem negotio conjuncta.*

I. IAM verò si ad facta attendamus quæ ista temporis intercapedine contigerunt; plures Episcopi temporibus Ludovici Pii, ac deinceps depositi videbuntur in Provinciis Gallicanis, juxta ipsas illas regulas quas modò exhibebamus.

Primò quidem Theganus Chorepiscopus Trevirensis operis, quod de gestis Ludovici Pii Imperatoris inscripsit, cap. 22. tres Episcopos majestatis reos in conventu Aquisgranensi dejectos narrat. *Erant autem illi*, inquit, *Anshelmus Mediolanensis, Vuolvodus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis.*

Idem author ejusdem operis cap. 28. fidem facit Jesse Ambianensem apud Noviomagum castrum

depositum fuisse : *ipso anno*, inquit, *pervenit Dominus Imperator ad Noviomagum castrum, quod situm est super fluvium quod dicitur Valum, & multitudo hominum ex omnibus regnis suis venit ad eum, inter quos venerunt supradicti adversarii ejus, & superavit eos Dominus Imperator, & dimisit eos atque commendavit. Et Lotharius filius ejus cum juramento fidelitatem promisit, ut post hac numquam talia committere debuisset.* ET IBI JESSE JUSTO JUDICIO EPISCOPORUM DEPOSITUS EST.

II. Ad annum Christi 835. Ebbo Archiepiscopus Remensis in Concilio apud Theodonis-villam exauctoratus est, quod Lotharii partes contra Ludovicum Patrem secutus esset. Accusatus enim ille in Concilio ab Imperatore, elegit judices, porrectoque confessionis libello, canonicè ab omnibus Episcopis qui præsentes erant, damnatus est. Quoniam verò singularis videtur judicii illius ratio, ut & confessionis formula quæ adhibita est ab Ebbone, & quæ forsan temporibus illis solennis fuit, negotii seriem exscribam hîc, ut ab Hincmaro descripta est in posteriori opere adversus Gothescalcum cap. 36. *Nunc videndum*, inquit, *de quo ordine adjudicatorum vel condemnatorum Ebbo fuerit, quem manifestum est fuisse depositum. Qui postquam in Ecclesia Sancti Stephani apud Mediomatricum civitatem Ambonem conscendit, & se publicè denotavit coram Episcopis & Imperatore, & Clero ac populo qui adfuerunt, quoniam eundem Imperatorem Ludovicum falsò criminatum, & injustè ab Imperiali Sede depo-*

situm publicæ pœnitentiæ subdidit. De quibus & libellum manu sua subscriptum eidem Imperatori porrexit: quem qui quæsierit, in archivo ipsius Metensis Ecclesiæ invenire valebit. Unde etiam accusatus ab ipso Augusto in generali Synodo habita in Palatio Theodonis-villa inducias petiit, & secundùm canonicam institutionem elegit sibi per consensum Synodi Episcopos judices peccatorum suorum, quos Canones electos appellant. De quibus scriptum est in Concilio Africano cap. 63. ut ab electis judicibus provocari non liceat. Et dedit libellum Synodo manu sua firmatum hac eadem contimentem. Ego Ebbo indignus Episcopus recognoscens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Aiulfum videlicet Archiepiscopum, & Badaradum Episcopum, necnon & Modoinum Episcopum, constitui mihi judices delictorum meorum: & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & salutem animæ meæ, ut recederem ab officio & ministerio Pontificali, quo me recognosco esse indignum; & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse secretò ipsis confessus sum. Eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alio succedendi & consecrandi subrogandique in loco meo, qui dignè præesse & prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenùs indignus præfui. Et ut inde ultrà nullam repetitionem, aut interpellationem authoritate Canonica facere valeam, manu mea propria subscribens firmavi. Ebbo quondam Episcopus subscripsi. *Hac Scriptura coram Synodo prolata atque confirmata, confessus est ipse viva voce, & dedit testes alios exceptis judicibus, Nothonem Archiepiscopum,*

piscopum, Theodoricum Episcopum, & Achardum Episcopum. Et sic ab omnibus qui in eodem Concilio fuerunt Episcopis accepit sententiam, dicentibus per ordinem omnibus, secundùm tuam confessionem cessa à ministerio. Et sic coram ipso, jubente ac audiente Synodo, dictatum est à Iona Aurelianensi Episcopo Heliæ Presbytero, postea Carnotensi Episcopo. Et præscriptæ paginæ confessionis ejusdem in ipsa Synodo subscriptum atque subjunctum hoc modo. Acta est Ebbonis professio, ejusque propriæ manus subscriptione roborata, in conventu Synodali generaliter habito apud Theodonis villam, anno Incarnationis Domini Iesu Christi DCCCXXXV. *anno etiam Imperii glorioſi Cæsaris Ludovici* XXIII. *Indictione* XII. *sub die Kalendarum* IV. *Nonarum Martii. Hi sunt Episcopi, qui confessionem manu sua propria firmatam audierunt: in qua continebatur, quòd ipse Ebbo pro quibusdam criminibus; quæ confessoribus suis Aiulfo Archiepiscopo, Badarado Episcopo, Modoino Episcopo, Achardo Episcopo, Theodorico Episcopo, & Nothoni Archiepiscopo confessus est, nullatenùs officium Pontificale agere deberet. Nam & ipsi testes eodem Ebbone poscente, & coràm adstante, in conspectu omnium qui adfuerunt, tam Episcoporum, quàm & cæterorum Sacerdotum, viva voce testificati sunt, quia tale peccatum eis confessus fuerat, pro quo dignus non erat Episcopale ministerium ultrà jam agere. Sed & hoc ipsi testes & confessores subintulerunt, quia si idem peccatum ante ordinationem admisset, nullo modo Episcopus ordinari debuisset. Pro qua re ad eorum consilium dixit se idem*

Ebbo coram omnibus ad ministerium Episcopale indignum, & ab eo recedere debere, & sub pœnitentiæ modo Dominum sibi propitium facere velle. Nam & Episcopi secundùm confessionem ipsius manu sua propria roboratam, & testimonium confessorum suorum, decreverunt ut à ministerio recederet Pontificali & aliis orationum officiis, & excubiis domino serviendo eum sibi propitium faceret. Hæc sunt nomina eorumdem Episcoporum.

Non explicabo hîc artes quibus Ebbo deinceps contra jusjurandum usus est, ut in Sedem suam restitueretur. Dicam solummodò eum, tametsi Lotharii Imperatoris gratiâ fretum, neque à Synodo ulla legitima, neque ab Apostolica Sede restitui usquam potuisse. Immo verò ipsius depositio Summis Pontificibus Sergio, Benedicto, & Nicolao probata est, ut confirmat Hincmarus in Epistola 23. quæ est ad Egilonem Senonensem.

III. Circa idem tempus Aldricus Cenomanensis in Concilio Provinciæ judicatus est, immo, appellato licet Romano Pontifice, è Sede sua ejectus: ut ex Epistola Gregorii IV. ad Episcopos per universas Provincias constitutos colligere est. Cum enim Aldricus conquestus esset apud Gregorium IV. quod appellationis suæ ratio nulla haberetur ab Episcopis Gallicanis, Epistolam scripsit Gregorius ad universos Episcopos; eamque præsertim direxit ad Gallicanos qui expostulationi locum dedisse videbantur. In ea verò Epistola Sedis suæ privilegia fortiter propugnat, eaque refert in Canones,

qui quidem alii dici nequeunt à Nicænis & Sardicensibus : *Quapropter*, inquit, *has ad vos litteras destinamus, quibus decreto nostro vestram rogantes caritatem mandamus, ut si aliquis, quod non optamus, suorum æmulorum Aldricum Cenomanicæ Ecclesiæ Episcopum accusare damnabiliter attentaverit ; ut honoretur Beati Petri Apostolorum Principis memoria, Ecclesiæque Romanæ, cui præsedit privilegium, & nostri nominis authoritas : liceat illi post auditionem Primatum Diœceseos, si necesse fuerit, nos appellare, & nostra authoritate aut ante nos, aut ante legatos nostros ex latere missos, juxtà Patrum decreta, suas exercere atque finire actiones : nullusque illum ante hæc judicet aut judicare præsumat :* judicio nempe ultimo & finitivo, non primo & appellationem antecedente, ut quibusdam placet, qui ex hoc loco Gregorium contendunt interdixisse omnem cognitionem negotii Aldrici Episcopis Galliarum : quippe certum est Gregorium IV. hac in Epistola locutum esse ad mentem Sardicensium Canonum, ut vel ex istis verbis patet, *honoretur Beati Petri Apostolorum Principis memoria*, quæ mutuatus est Gregorius à Concilio ipso Sardicensi : patetque amplius ex aliis quæ addit : *nec quisquam Frivolus aut contentiosus sive contumax, hæc nos irrationabiliter præcipere contendat ; cum & authoritate Canonum, & prædecessorum nostrorum decreto sancitum est, ut Episcopus accusatus, si voluerit, appellet Romanum Pontificem, & ad eum si lubuerit confugiat, ut ab eo ejus audiatur causa, aut ipse à latere suo legatos qui eam audiant, mittat, qui juste*

cum omnibus Episcopis Comprovincialibus ejus authoritate judicent. Quæ omnia hic necesse non est inferere, ne proditores magis quàm præceptores esse videamur. Quæro jam ab adversariis, quinam sint Canones illi quos laudat Gregorius, & qui hæc de appellationibus statuant? An alij sunt quæso præter Sardicenses? Cum autem hæc adjicit: *& sanctæ recordationis Innocentius antecessor noster inter cætera hæc ait, si Majores Causæ in medium fuerint devolutæ &c.* An amabo Innocentij I. authoritatem adducit, ut eam impugnet, an non potiùs, ut eâ illud confirmet quod præcipit? At Innocentius Majores Causas ad Apostolicam Sedem referri non vult, nisi *post Episcopale judicium*, ut sæpiùs inculcatum est. Itaque Gregorij IV. sententia obscura esse non potest: veréque ad solem cæcutiunt qui plus eum postulasse docent, quàm Sardicenses Canones Romanæ Sedi tribuerant.

IV. Nihil etiam amplius desideratum est à Leone IV. quicquid nonnulli obstrepant: verùm solas ille appellationes, quas Galli nostri ægrè adhuc tolerabant asserere conatus est. Mentem suam aperuit satis in Epistola quam scripsit ad Hincmarum, cujusque fragmentum extat in Epistola Hincmari ad Nicolaum I. Plures ibi causas affert cur Suessionensis Concilij confirmationem differat: quartam verò hanc addit, quod Episcopi à Synodo depositi, audiendi ante erant, utpotè cum Apostolicam Sedem appellassent: *Quarta scilicet causa*, inquit, *hæc est, quia hi, quos depositos caritas vestra*

authoritate Synodi fore affirmat, per proprias litteras Sedem Apostolicam appellarunt, & volunt iterum nostrâ se Apostolicâ audiri præsentiâ: & tunc si culpabiles inventi fuerint, non se abnuunt Canonicam sustinere sententiam.

Ast idem Pontifex in Epistola ad Episcopos Britanniæ, Episcopos Simoniæ reos in Conciliis judicari præcipit, simulque judiciorum sic præscribit formam: *Ita tamen ut omnia in Conciliis sint Episcoporum. Nam nullam damnationem Episcoporum esse unquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum Episcoporum, qui sit per duodecim Episcopos, aut certè probatâ sententiâ per septuaginta duos idoneos testes, qui tales sint, qui & accusare possint, & priùs ad sacra Christi quatuor Evangelia Sacramenta præstent, quòd nil falsum depromant, sicut nobis traditum est, & Romana sancta tenere videtur Ecclesia. Et si inter eos quos damnandos esse dixerint homines, fuerit Episcopus, qui suam causam in præsentia Romanæ Sedis Episcopi petierit audiri, nullam super illum* FINITIVAM *præsumat dare sententiam: sed omnino eum audiri decernimus.* Non omne judicium interdicit Leo, ut videre est, sed FINITIVAM SENTENTIAM, ut inquit ipse: si nempè damnatus in Synodo Episcopus, juxta licentiam à Concilio Sardicensi datum, Romam appellaverit. Quòd si verò in hisce Leonis verbis ambigui aliquid supereset, omnem ambigendi ansam tollit Leo ipse eadem in Epistola: consultus enim Leo ab Episcopis Britanniæ de variis disciplinæ capitibus, ac præ-

sertim de regulis judiciorum Ecclesiasticorum, de his sic edicit Epistolæ suæ cap. 6. *De libellis & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum illis in Canone, & quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur judiciis. Id est Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Loadicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africanensium: & cum illis regulæ præsulum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zozimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilari, Symmachi, Simplicii. Isti omnino sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul & Clerici judicantur. Nam si tale emerserit vel contigerit inusitatum negotium, quod minimè posset per istos finiri, tunc si illorum, quorum meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidori vel cæterorum similiter sanctorum Doctorum similium, reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda, vel ad Apostolicam Sedem referatur de talibus. Quam ob causam luculentiùs, & magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa, quæ diximus, sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos Canones prætitulantur, sive sit Episcopus, sive Clericus, sive Laicus, non indifferenter receperit, ipse se convincit nec Catholicam & Apostolicam Fidem, nec sancta vera Christi Evangelia quatuor utiliter, & efficaciter, & ad effectum suum retinere vel credere.*

Ex hac Leonis IV. constitutione non id infero tantùm quod contendebam, scilicet egisse ipsum

de appellationibus ad mentem Canonum Sardicenſium, quos reipſa hic cæteras inter judiciorum Eccleſiaſticorum regulas nominat ac cenſet: Verùm obſervo primò ſolum illum codicem, qui à Dionyſio Exiguo concinnatus erat, ad uſque tempora Leonis IV. in Eccleſia Romana obtinuiſſe: atque adeo nullum locum eo uſque datum eſſe fictis illis Pontificum Epiſtolis quæ ab Iſidoro invectæ ſunt. Obſervo ſecundò à Leone IV. prælatas eſſe longè regulas, quæ *Canones prætitulantur*, ut ait, ſtatutis aliis Patrum, ſcriptorumve Eccleſiaſticorum quæ à Canone aberant: cum juxtà illas tantùm judicia tum Epiſcoporum tum Clericorum velit exerceri.

V. Benedictus III. Leonis IV. ſucceſſor Hincmaro Remenſi veluti privilegium indulſit, ne ab alio quam ab Epiſcopo Romano judicari poſſet. Si privilegium hoc fuit: Ergo communi & ordinaria lege collegarum judicio ante ſubmittebatur. Sunt hæc Benedicti verba in Epiſtola ad Hincmarum: *Et hoc promulgamus atque ſtatuimus, ut te, qui ejus Provinciæ Primas dinoſceris, nullius unquam infeſtatione contra Canonica Apoſtolicaque decreta, ſive judicia Eccleſiaſtica tibi commiſſa, aut virtute aut facultate nudari, aut ante audientiam Romani Pontificis à quocunque damnari ſtatuimus: ſed ſi compellatus appellare ad hanc Sanctam Sedem volueris, Apoſtolici Papæ judicio reſervari, noſtra, immo Beati Petri authoritate præcipimus.*

VI. Tandem non in animis modò Romanorum Pontificum, ſed ubique gentium vivebat vigebat-

que antiqua de judiciis disciplina, cùm ecce veluti è tenebris Isidori nescio cujus farrago prodiit: quæ præter Canones antiquos receptasque Pontificum Romanorum Epistolas, statuta quædam nova, inprimisque centones malè assutos invehebat, quasi decretales fuissent Romanorum Pontificum, qui à Clemente ad Siricium vixerant. Ejusmodi collectio seu farrago à Riculpho Moguntino Episcopo ex Hispaniis allata est, Gallisque primò communicata.

Obstupuere Galli ad novum phænomenon: obstupuit verò in primis Hincmarus Remensis, qui, ut vir erat nasutissimus & perspicassimus, Apocryopharum ejusmodi Epistolarum falsitatem jam tum subodoratus est; & quanquam eas rejicere omnino palàm non ausus sit, vix aliquam tamen authoritatem eis dedit, ut infrà videbitur.

Neque immeritò sanè monstrosus fœtus Gallicanis viris suspectus fuit: jus enim omne antiquum, vetustissimas nempe, atque ut ita dicam, Apostolicas consuetudines, Sanctissimas Conciliorum Oecumenicorum regulas, vulgataque Innocentij, Leonis aliorumque Pontificum edicta non obscurè impetebat; in eis maximè quæ attinent ad Episcoporum judicia, quorum quidem evertendæ rationi Epistolæ illæ comparatæ videbantur.

Cum enim juxtà disciplinam antiquam & Canonicam Episcoporum causæ in Synodis Provinciarum judicandæ sint: & nonnisi ex venia data à Concilio Sardicensi ad Apostolicam Sedem post Episcopale judicium referendæ; Epistolarum illarum

rum non paucæ solam causarum Episcopalium ventilationem Synodis Provincialibus permittunt, judicium autem Episcopo uni Romano totum reservant. Atque ut è pluribus paucas delibemus : Epistola decretalis prima quæ Marcello tribuitur, sic habet: *simulque iidem* (Apostoli scilicet & Patres) *inspirante Domino constituerunt, ut nulla Synodus fieret præter ejusdem Sedis authoritatem, nec ullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, suo tempore, Apostolica authoritate convocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel judicetur : quia, ut paulò superiùs prælibatum est, Episcoporum judicia & summarum causarum negotia, sive cuncta dubia, Apostolicæ Sedis authoritate sunt agenda & finienda.*

In Epistola quam ad Episcopos Hispaniæ scripsisse fingitur Melchiades hæc legere est : *Episcopos nolite judicare, nolite condemnare absque Sedis hujus authoritate : Quod si feceritis, irrita erunt vestra judicia, & vos condemnabimini.*

Apocryphæ Julii Epistolæ idem habent paradoxum ; quodque mirum videbitur, Concilii Nicæni authoritate id adstruunt : Ita enim habet increpatoria, quæ dicitur, Epistola ad Orientales : *Patres unanimiter in prædicta Nicæna statuerunt Synodo, ut nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore, Apostolica authoritate convocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, judicetur vel damnetur. Sin aliter præsumptum fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter Ecclesiastica ullo modo reputabitur. Ipsi verò primæ Sedis Eccleſia*

Pontifici convocandarum Generalium Synodorum jura, & judicia Episcoporum, singulari privilegio, Evangelicis & Apostolicis atque Canonicis concessa sunt institutis: quia semper Majores Causæ ad Sedem Apostolicam multis authoritatibus referri præceptæ sunt.

Epistola quæ à Felice II. scripta fingitur ad Athanasium & universos Ægypti Episcopos ita fert cap. 18. *Quanquam Comprovincialibus Episcopis unà cum eorum Metropolitano, suæ Provinciæ causas Episcoporum liceat caritativè & concorditer agitare; non tamen, sicut in prædicta te præsente constitutum est Synodo, licet definire absque Romani Pontificis authoritate. Quòd si secus à quibusdam præsumptum fuerit, ipsi qui hoc egerint, suæ præsumptionis suscipiant damnum: Et illi, qui ab eis perperam excommunicati, aut damnati fuerint, authoritate hujus Sanctæ Sedis & Beati Præceptoris nostri Clavigeri Petri potestate solvantur, atque restituantur. Ipse enim ait Dominus: quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.*

Denique Epistola quæ Damaso tribuitur, quæque scripta supponitur ad Africæ Concilia, hæc habet: *Discutere namque Episcopos, & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas Metropolitano unà cum omnibus suis Comprovincialibus, ita ut nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis, licet: sed definire eorum, atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absque hujus Sanctæ Sedis authoritate, minimè licet, &c.*

VII. Nisi constaret jam apud omnes de falsitate harum Epistolarum, possent forsan explicari ut-

cunque de judicio non quovis, sed de finitivo, tum quia credibile non est posteriores saltem illos Pontifices, Julium nempe, Felicem II. & Damasum, qui ferè Nicæni & Sardicensis Concilii testes fuerant, utriusque hujus Concilii disciplinam evertere voluisse, maximè cum eorum aliqui Concilium Nicænum ad sententiæ suæ confirmationem adhibeant: tum etiam quia Epistolæ aliæ quæ prioribus Pontificibus affinguntur, nonnisi finitivam sententiam Apostolicæ Sedi, posita nempe appellatione, liquidò reservant. Nam Anacleti Epistola 1. v. g. Episcoporum judicia referri tum tandem jubet ad Apostolicam Sedem, *si appellatum fuerit*, sunt enim hæc ipsa illius verba. Eleutherius in Epistola quam scripsisse fingitur ad Galliæ Provincias; *finitiva tantùm Episcoporum judicia huc deferantur*, inquit: & infrà, *illi verò qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.* Victor in Epist. 1. quæ illi afficta; *unde ita constitutum liquet à temporibus Apostolorum*, inquit, *& deinceps placuit, ut accusatus vel judicatus à Comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem; qui aut per se, aut per vicarios suos, ejus retractari negotium procuret. Et dum, iterato judicio, Pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur Episcopus.* Epistola 1. Zepherino afficta non minùs diserta est: ita enim habet: *duodecim enim judices quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, à quibus ejus causa justè judicetur. Nec priùs audiatur, aut excommunicetur vel*

judicetur, quàm ipsi per se eligantur, & regulariter vocato ad suorum primò conventum Episcoporum, per eos ejus causa justè audiatur & rationabiliter discernatur. Finis verò ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur. Idem habet Epistola 3. Fabiano affecta his ipsis verbis: *Unde oportet, si aliquis Episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur qui sunt in Provincia Episcopis: quia non oportet accusatum alicubi, quàm in foro suo audiri.* Et paulò infra: *placuit etiam, ut si Episcopus accusatus appellavit ad Apostolicam Sedem, id statuendum, quod ejusdem Sedis Pontifex statuerit.*

Tandem, ne longior videar in referendis Epistolarum omnium textibus; eadem legere est in Epist. 2. quæ Cornelio attributa est, eadem in Epistola quæ Sixto II. affecta: adeo ut si veræ forent istiusmodi Epistolæ, confirmare illis fas esset Synodorum Provincialium authoritatem in Episcoporum causis discutiendis ac judicandis.

Verùm, quia nemo jam dubitat quin fœtus ille suppositicius sit, eum lubentes abdicamus: neque plus temporis in mendaciis aut conciliandis aut illustrandis insumemus.

VIII. Revera tamen cum apparere cœperunt ejusmodi Epistolæ, quia magnis nominibus munitæ erant, neque adhuc liquebat satis an Germanæ essent an suppositæ, receptum judiciorum Ecclesiasticorum ordinem non nihil interturbarunt. Hinc enim Summi Pontifices, quibus quidem favebant illæ impensiùs, nihil non moliti sunt ut ipsis robur

authoritatemque conciliarent. Hinc Episcopi nonnulli, ut Metropolitanorum præsentem fugerent correctionem, ad eas confugerunt, ut ad sacram anchoram. Omnes denique timidè admodùm superbæ huic novitati obstiterunt.

Gallia una has inter turbas stare inconcussa, jurique antiquo adhærere visa est: audacter id quidem, sed modestè oppidò & sapienter. Epistolas nempe illas quæ Sanctissimorum Pontificum nomina præ se ferebant, cum veneratione, seu venerabiliter, ut est apud Hincmarum, accipiendas duxit: sed ita ut vim legum eis non concederet, utpotè cum in Canone inscriptæ non essent, atque ita præscriptæ viderentur. Scio equidem in additionibus factis ad Capitularia Ludovici Pii fictarum istiusmodi Epistolarum Lacinias quasdam irrepsisse. Verùm, ut additiones illæ magni sint ponderis, piâ quadam incuriâ factum id esse facilè crediderim. Neque enim decretales illæ Apocryphæ vim legum habuere usquam in Galliis: sed quoties adhibere illas aliqui voluerunt in Ecclesiæ judiciis, toties ad Canones & jus antiquum provocatum est, ut ex factis videbitur quæ deinceps afferenda sunt.

Omitto hîc depositionem Totoldi cujusdam quæ in Concilio apud Saponarias decreta est, quod *Episcopalem potestatem in urbe Bajocensium occupasset*, ut habetur in Canone 4. hujus Concilii. Omitto quòd in eodem Concilio accusati sunt quoque Anscarius Lingonensis Ecclesiæ invasor, Vuenilo Senonensis Episcopus, & Atto Virdunensis.

IX. Venio ad negotium Rothadi Sueſſionenſis quod anno Chriſti 863. variis ſtudiis agitatum eſt Nicolaum I. inter & Epiſcopos Gallicanos. Accuſatus eſt primò Rothadus in Concilio Sylvanectenſi; dubium, an & judicatus: in Concilio verò Sueſſionenſi, quod proximè congregatum eſt, certiſſimè dejectus fuit, aliuſque quanquam Apoſtolica Sedes appellata eſſet, in ejus locum ſubſtitutus. Expoſtulavit Rothadus apud Nicolaum, quòd non-obſtante appellatione de Sede ſua dejectus eſſet, ſuaque Eccleſia alteri concredita. Ea re incenſus Nicolaus, non modò non confirmavit judicium contra Rothadum latum, uti Epiſcopi Gallicani per Odonem petiverant: ſed ſcriptis Epiſtolis tum ad Carolum Calvum, tum ad Hincmarum Remenſem qui Concilio præfuerat, tum ad alios etiam Epiſcopos qui judicio adfuerant, graviter conqueſtus eſt de violatis, ut aiebat, Apoſtolicæ Sedis privilegiis, ſuſpenſionemque judicibus intentavit, niſi vel Rothadum Sedi ſuæ poſt triginta dies redderent, vel ei ſaltem ad Apoſtolicam Sedem conferendi ſe veniam concederent.

Excanduit autem Nicolaus, non quòd Rothadus in Provinciæ Concilio judicatus eſſet, ſiquidem Nicolaus ipſe Epiſcopos in Conciliis judicandos ex Leonis IV. præſcripto docet in Epiſtola ad Salomonem Regem Brittonum, quam infrà refricabimus: ſed iratus eſt maximè quòd Rothadi appellationis rationem nullam habuiſſent Epiſcopi Gallicani, ſuumque ipſi judicium à Romana Sede re-

tractari ægrè ferrent. Ita enim dolorem suum testatur Nicolaus in Epistola ad Episcopos Synodi Sylvanectensis : *Ignorare autem fraternitatem vestram non patimur, animum nostrum non mediocriter læsum, eò quòd secundùm gestorum tenorem, & vestrarum suggestionum, quas ad Sedem Apostolicam direxistis, cognitionem, appellantem eundem Rothadum Apostolicam Sedem deposueritis, ac in Monasterio retruseritis : Quod nonnisi in contemptum Beati Petri, cujus judicium expetivit, & in contumeliam Sacrorum Canonum & Ecclesiasticarum traditionum præsumptum, ac temerè admissum minimè dubitatur.* Et, aliquibus interjectis, *Quis autem nesciat*, inquit, *constituta Sardicensis Concilii, quæ præcipiunt, post aliquot, capitulo 4. Si quis autem Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putaverit se bonam causam habere, &c.* Profert enim integros Canones Sardicenses quibus lex appellationum sancita est. Tandem in eâdem Epistola Episcopos Gallicanos sic affatur. *Vos autem, dilectissimi, nolite nostra decreta molestè ferre : Quia sicut Beatus Innocentius Macedonibus scribit, grave non oportuit videri piissimis mentibus vestris, cujuscunque retractari judicium : Quia veritas exagitata sæpiùs, magis splendescit in luce ; & pernicies revocata in judicium, graviùs & sine pœnitentia condemnatur.*

Hactenùs justissima videbatur expostulatio Nicolai I. quandóquidem Sedis suæ jura non nisi Canonibus Sardicensibus tuebatur. Verùm in æstu concertationis ultrà progressus est : contendit enim insuper, quòd etiamsi Apostolica Sedes appellata

non esset, Rothadus tamen inconsultâ illâ judicari non debuisset. Probabat verò id, tum quia Episcoporum judicia ad majores causas attinent, tum quia Episcoporum Romanorum decretales Epistolæ ita statuebant: sunt hæc Nicolai verba in altera Epistola ad universos Episcopos Galliæ: *Quamvis, etsi Sedem Apostolicam nullatenùs appellasset, contra tot tamen & tanta vos decretalia efferri statuta, & Episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis.*

Quid verò ad hæc reponebant Galli? Primò quidem non inficiati sunt omnino, quin ab Episcoporum judicio ad Apostolicam Sedem provocari posset: Gallis enim accepta tunc erat Sardicensis disciplina: verùm in Rothadi negotio, excipiebant, quòd ille judices elegisset; à quibus quidem appellare nefas erat ex Canonibus: quare quò ad hanc partem controversia de jure nulla extitit, sed agebatur dumtaxat, an Rothadus re ipsa judices elegisset, an non elegisset. Quoad alteram verò partem, dissidium ingens exarsit Nicolaum inter & Episcopos Gallicanos. Isti enim apertè refragati sunt inusitatæ Nicolai propositioni, novumque illud jus planè rejecerunt quod ille obtendebat. Quare negaverunt Episcoporum judicia pertinere ad Majores Causas, ad mentem scilicet Nicolai I. quasi verò Episcoporum causas cognoscere fuisset Romani unius Pontificis. Prolatis verò à Nicolao decretalibus legum authoritatem omnino derogarunt, maximè quia Epistolæ illæ decretales in Canone non habebantur. Hanc quidem rationem impro-

improbavit, ac ferè irrisit Nicolaus; sed non meminerat fortè usurpatam ante fuisse à Leone IV. uno è decessoribus suis: qui scilicet in Epistola jam laudata à nobis, quæ est ad Episcopos Britanniæ, judicia Episcoporum exerceri vult secundùm eas tantùm regulas quæ in Canonum codice continentur.

Urgebat etiam Nicolaus authoritatem Gelasii qui sic olim edixerat: *decretales Epistolas quas Beatissimi Papæ diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus.* Sed neque absque veneratione excipiebant Galli veteres illas Epistolas, quarum falsitatem nondum omnino cognoscebant; Immo Hincmarus eas quoque venerabiliter accipiendas scripsit, ut infra videbimus: sed ita ut tamen vim legum non sortirentur, neque jus omne canonicum & receptum everterent. Itaque à sententia sua non dimoti sunt Galli: sed neque etiam eorum conatibus Nicolaus cessit; nam Rothadum re ipsa in Concilio Romano pristinæ dignitati reddidit, scripsitque ad Gallos, ne ipsius restitutioni fortè obsisterent.

Sunt qui ex hoc Nicolai facto adversùs libertates Gallicanas arguant; verùm certè quàm immeritò? Ut enim Nicolaus ipse delusus non sit fictis illis decretalibus, quibus sententiam suam tuebatur: An eo facto libertates Gallicanæ imminutæ dici possunt, quod extra ordinem & contra Episcoporum Gallicanorum nisus attentatum fuit? nam ne consenserunt quidem Galli, ut Rothadi judi-

cium Romæ iteraretur : unde cum rogante Nicolao Episcopi Gallicani Vicarios delegissent qui Romam proficiscerentur, declararunt in primis mittendos esse illos à se, non Rothadi accusatores, sed ut qui Pontificem edocerent nihil fuisse ab Episcopis Gallicanis admissum contra privilegia Ecclesiæ Romanæ, uti à Rothado jactabatur. Testatum id facit Hincmarus in præstanti illa Epistola quam de Rothadi negotio ad Nicolaum scripsit: ubi & continenter docet quæ mens Gallorum tum fuerit, non de privata modò Rothadi causa, sed & universim de quibuscunque Episcoporum judiciis. Integra ejus verba exscribo quia verè decretoria sunt : *Qua de re, Sanctissime Domine & Pater Reverendissime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me, si adhuc quiddam de Rothadi causa vobis jam sufficienter notissima quasi repetens scribo. Cum quo, quia vobis placet cui cuncta bona placent, mittimus Vicarios nostros, non ut accusatores ad confligendum, sed ut à Rhotodo, atque à vicinis nostris, qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt aut scire non volunt, accusati, quòd non in contemptum Sedis Apostolicæ, appellantem Rothadum secundùm Sardicenses Canones Sedem Apostolicam, sed eum qui ad electorum judicium de certis Capitulis provocavit, juxta Carthaginenses & Africanos Canones, ac decreta Beati Gregorii regulariter judicavimus, vestræ summæ authoritati humiliter intimandum. Absit enim à nobis, ut privilegium primæ & summæ Sedis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis pro sic parvo pen-*

damus, ut controversias & jurgia tam superioris quàm etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni & cæteri Sacrorum Conciliorum Canones, & Innocentii atque aliorum Romanæ Sedis Pontificum decreta, in Synodis Provincialibus à Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam authoritatem fatigandam ducamus. At si fortè de Episcopis causa nata fuerit, unde certa & expressa in sacris regulis non habeamus judicia, & ob id in Provinciali, vel in Comprovinciali nequeat examine diffiniri, ad divinum oraculum, id est, Apostolicam Sedem nobis inde est recurrendum. Si etiam de Majoribus Causis à Provinciali Episcopo ad electorum judicium non fuerit provocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit judicatus, id est, à gradu suo in Comprovinciali Synodo dejectus, & putat se bonam causam habere, & appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri: si justum putaverit ut renovetur examen, scribendum est ab his, qui causam examinarunt post judicium Episcopale, eidem Summo Pontifici; & ad illius dispositionem secundùm septimum Sardicensis Concilii capitulum renovabitur examen.

Quòd autem improbarent etiam Galli Rothadi negotium retractari Romæ, & non in Provincia (si retractandum tamen illud fuisset) declarat Hincmarus eadem in Epistola, post plura quidem, his verbis: *Et hinc juxtà Sardicense Concilium Summus Primæ & Sanctæ Sedis Romanæ Pontifex pro examinis renovatione ad se reclamantis & consurgentis cum sua acclamatione dejecti Provincialis Episcopi, non sta-*

tim singularitate privilegii & authoritatis suæ restituit: sed remittens eum ad Provinciam, ubi causa patrata fuerat, & in qua juxta Carthaginenses Canones, & iura legis Romanæ, causa potest diligenter inquiri, & quòd non sit difficile testes producere, veritas inveniri, aut finitimis Episcopis dignatur scribere, aut è latere suo mittit, qui habentes eius authoritatem præsentes cum Episcopis iudicent, & diligenter causam inquisitam diffiniant aut dignatur credere Episcopos sufficere, ut negotio terminum possint imponere.

Itaque Rothadi factum non modò Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus nihil nocet, sed eas firmat potiùs & illustrat: patet enim inde Gallorum in animis jus antiquum prævaluisse fastidioséque ab eis exceptam novitatem, quam Nicolaus Pontifex fictarum favore decretalium inducere conabatur.

X. Eodem ferè tempore Nicolaus I. Metropolitanos duos Romæ deposuit, Teutgaudum Trevirensem & Guntharium Aggrippinensem, qui nempe ambo à Concilio Metensi ad Nicolaum delegati erant, ut ei rationes exponerent, quibus adductum Concilium Lotharii divortium toleraverat. Ex hoc quidem facto spolia ampla referre se putat scriptor Neothericus: actum enim inde putat de antiquo jure atque adeò de libertatibus Gallicanis quæ illo fulciuntur. Verùm neque hoc facto Ecclesiæ Gallicanæ libertates minimùm læsæ sunt. Primò enim si quis dixerit Nicolaum istiusmodi judicium extra legem usurpasse, & sub fide Apocryopharum decretalium, an scilicet Nicolai audacia

aut error libertates Gallicanas deleverit ? Sed & aliqua sunt quæ Nicolai I. judicium utcunque probent : nam ejus facti adjuncta extra communem hypothesim reipsa exeunt. Disputatur enim in specie communi de Episcopis ; Teutgaudus autem & Guntharius Archiepiscopi erant : sed Archiepiscopi illa ætate à Pontifice uno Romano pendere se arbitrantur, ut legimus in Epistola Hincmari ad Nicolaum : *Nam de Metropolitano*, inquit, *per sacras Regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica Sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænum Concilium innuit, & cæteri Romanæ Sedis Pontifices in decretis suis ex Sacris Canonibus monstrant, Sedis ipsius Pontificis, etiam ante judicium, est sententia præstolanda.* Accedit quòd Episcopi à quibus secundùm legem judicari Teutgaudus & Guntharius poterant, criminis ejusdem conscii habebantur ; faverant enim magna ex parte Lotharii divortio : quod quidem erat accusationis caput. Immo & ipsi legati Nicolai Pontificis corrupti quoque fuerant, si Regino hac de re audiatur : quare nihil mirum si Pontifex ipsæ causæ hujus cognitionem susceperit. Denique Teutgaudus & Guntharius Romam non citati sunt, sed cum illuc missi à Concilio veniissent, sponte reos se confessi sunt apud Nicolaum, quem idcirco veluti judicem elegerunt. Inde ergo antiquo & recepto juri nihil derogatum est.

XI. Qui Nicolai I. authoritatem nobis opponunt, coguntur ipsi ejus facta ex æquo interpretari,

nisi voluerint pugnantia illum scripsisse & egisse. Nam in Epistola ad Salomonem Regem Brittonum Conciliorum authoritatem in judicandis deponendisque Episcopis agnoscit non modò, sed & asserit quoque, prolato eam in rem testimonio decessorum suorum Leonis IV. & Benedicti III. quibus quidem ita concinit : *Quorum vestigia & ego quoque secutus eadem censui, immo & censeo, nec ullam posse Episcopos sui honoris sustinere jacturam, quos non constat fuisse à duodecim Episcopis, præsente primamque sententiam Metropolitano Episcopo obtinente, cum examinarentur, auditos.* Et paulò infra, quia controversia quædam exorta erat inter Episcopos dejectos in Britannia & Episcopos in eorum Sedes subrogatos, nihil aliud petit quàm ut ejus negotii examen ad Apostolicam Sedem transmittatur, *si fortè Rex Brittonum ad Archiepiscopum Turonensem mittere illud dedignatus fuerit.* Si ergo obscurum quid sit in scriptis aut factis Nicolai I. explicandum est illud per eam Epistolam : utpote cujus verba clarissima sunt, & quam ipse scripsit non animo quidem læso vel contentioso ; sed pacifico prorsus & amicabili.

XII. Hadrianus II. Nicolai I. successor fictarum decretaliũ disciplinam novam cupidè amplexus est: neque per eum stetit quominùs Galli eam etiam acceptaverint, ubi Hincmari Laudunensis causa olim agitata est : verùm quo plùs institit Hadrianus, eo magis obstitere Galli. Accusatus erat primò Hincmarus Laudunensis in Concilio apud Vermeriam :

tum in Concilio Attiniaco, ac tandem Episcopatu privatus est in Concilio primo Duziacensi, anno Christi 871. In utroque priori Concilio Metropolitani sui Episcoporumque Gallicanorum judicium fugere conatus est, tum quia Episcopatus bonis spoliatum se dicebat, tum verò maximè quia Hincmarum Remensem infensum sibi causabatur. Inter hæc scripsit ad Hadrianum, nonnihil quidem conquestus tum de Caroli Imperatore, tum de Hincmaro Remensi patruo. Cum autem insolens Gallis visum iri intelligeret, si Apostolicam Sedem ante judicium Episcopale purè appellaret, finxit se votum nuncupasse, quo Apostolorum limina invisere obstrictus erat. Sub hac igitur specie veniam petivit non semel adeundi Romam: sed, quanquam faveret Hadrianus, neutiquam obtinuit; immo verò in Concilio Duziacensi unanimi Episcoporum benè multorum suffragio tandem dejectus est.

Concilii Duziacensis acta edita sunt nuper in supplementis Conciliorum antiquorum Galliæ: ubi negotii hujus series fusiùs describitur. Observo hîc modò quod facit ad propositum; Hincmarum scilicet Laudunensem, quanquam Apostolicam Sedem sæpiùs appellasset, nihilominùs tamen Episcopali gradu dejectum esse: neque habitam esse rationem ullam ab Episcopis Gallicanis Epistolarum Julii & Felicis, quas ipse in Concilio ad appellationem suam comprobandam allegaverat. Observanda etiam clausula quæ in condemnatione Hinc-

mari à Concilio apposita est : *reservato per omnia juris privilegio Domini & Patris nostri Hadriani, Apostolicæ ac primæ Sedis Papæ*, SICUT SACRI SARDICENSES CANONES DECREVERUNT, ET EJUSDEM APOSTOLICÆ SEDI PONTIFICES, INNOCENTIUS, BONIFACIUS, LEO, EX EISDEM SACRIS CANONIBUS PROMULGAVERUNT. Quâ quidem clausulâ declararunt Gallicani Patres stare se planè Canonibus Sardicensibus, receptisque Pontificum Romanorum edictis : Epistolas autem illas vetustiores minimi se facere, quas inventas nuper, vel effictas potiùs Roma proferebat.

Et sanè cum Hincmarus Laudunensis durante lite collectionem ex ejusmodi Epistolis ad Hincmarum Remensem direxisset, easque veluti authenticos Canones ad causæ suæ defensionem adhiberet, mirè illum exagitat Hincmarus Remensis opusculo 55. capitul. cap. præsertim 43. ubi receptos Canones longè illis præferendos confirmans, nepotem sic urget. *Addam etiam, si illa quæ de præfatorum Pontificum Apostolicæ sedis epistolis dicis recipiendos venerandos Canones esse, qui quod vis sanctum dicis & licitum, & quod non vis non sanctum & illicitum, ac si in voluntate tua cuncta sint posita, & non sit qui tuæ possit resistere voluntati, pande nobis quæsumus, quid censeas de eorum decretis qui post Nicænum Concilium, & alia Catholica Concilia, observanda decretalia constituta de eisdem Sacris Canonibus promulgata sanxerunt, sicut Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius,*

Cælestinus, Leo, Hilarus, Symmachus, Gelasius, Hormisda, Gregorius & quique alii, quorum decreta Ecclesia Catholica, & Patres ac prædecessores nostri servanda tenuerunt & venerati sunt. Et quoniam in quibusdam à præfatis, quos appellas canones, dissonant, magistrali censura decerne, quæ ex his sequi & quæ refutare debeamus: quoniam nisi tu ferula singularis authoritatis de nostra consuetudine ista rejeceris, quæ sicut & Patres nostri, mentibus nostris tenenda & servanda imbibimus, non videtur mihi ut facilè ab Ecclesiastico usu illa quæ tenemus generaliter valeas removere, de quibus satis superque superius potes relegere, quæ si tibi non suffecerint nec plura sufficient: Et aliquibus interjectis, *velis enim*, inquit, *vel nolis; illi erunt Canones, quos Catholica Ecclesia Canones vocat, & non erunt illi Canones, quos tua socordia ad effrenationis tuæ libertatem Canones advocas. Erunt autem Epistolæ venerabiliter suscipiendæ, à sede Apostolica pro diversorum Patrum consolatione datæ, quas canones vocas. Et concilia à sanctis Patribus instituta, ad authoritatem erunt custodienda & recipienda, sicut decrevit Gelasius, & ceteri sedis Romanæ Pontifices, atque illi qui in eisdem conciliis, suggerente sibimet sancto Spiritu, sacros Canones condiderunt, & quos sedes Apostolica & Ecclesia Catholica Canones vocat.* Itaque quanquam veræ fuissent istiusmodi Epistolæ, eas tamen recepto juri receptisque Canonibus nihil quicquam derogare crediderunt Galli: Quare mirum nihil, si in Hincmaro Laudunensi judicando missas fecêre illas, jusque à majoribus traditum & acceptum servavêre.

Effulsit autem imprimis Gallorum vigor in eis quæ Hincmari damnationem secuta sunt. Cum enim Hincmarus judicio contra se latò non omnino acquiesceret, Apostolicamque sedem, quasi putans se bonam causam habere, rursus appellasset; Gallicani Patres qui eum judicaverant, scripserunt ad Hadrianum II. uti præscribitur à Concilio Sardicensi, missisque ad illum Concilii Duziacensis actis, judicium suum firmari petiverunt. Hadrianus autem eorum petitioni non modò non annuit, sed eorum judicium improbans, acriores paulò litteras scripsit cum ad Carolum Imperatorem, tum ad Episcopos illos qui concilio adfuerant. His in litteris duo fuere præsertim quæ Gallorum animos vehementer commoverunt. Unum quod scripsisset Hadrianus; *Quia cum clamaret in Synodo Hincmarus se ad Sedem Apostolicam velle incunctanter venire, atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia.* Alterum quod addidisset: *Iubemus ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum ad limina Sanctorum Apostolorum, nostramque venire præsentiam. Quo sanè veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit authoritate legitima respui, & tunc in præsentia nostra, & totius Sedis Romanæ Synodali collegio, causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundùm Deum & Sacrorum Canonum constitutiones spiritu Dei prolatas, sine protelatione aliqua finietur.* Duo, inquam, ista Gallorum animos vehementer commoverunt, atque, ut ipsi Concilii Du-

ziacensis Episcopi testantur in rescripto ad Hadrianum, *stuporem illis non mediocriter induxerunt.* Et verò propositiones novas minimè admiserunt. Galli; nam Gallorum Imperator, ipsique Concilii Duziacensis Episcopi Hadriano II. rescripserunt, & utramque novitatem, non quasi ab Hadriano, sed ut ab imperito quodam scriba profectam audacter impugnarunt, opposita scilicet magnificentiúsque explicata antiquitate. Epistolæ Caroli Imperatoris & Concilii Duziacensis ad Hadrianum auctiores nuper editæ sunt in supplementis Conciliorum antiquorum Galliæ: earum autem hæc est præstantia, ut nescio an illustriora monumenta libertatum Ecclesiæ Gallicanæ alibi videre sit. Eas hîc non exscribo, ne textæ filus orationis rumpatur, sed eas integras ad calcem hujusce operis adjiciam.

Gallorum tandem virtuti cessit utcunque Roma in causa Hincmari Laudunensis: nam Joannes VIII. Hadriani II. Successor Hincmari probavit condemnationem, ut illius docet ea de re Epistola ad Hincmarum Remensem, quæ sic habet. *Quamvis de Sanctitatis tuæ judicio nihil dubitassemus, quia tamen carissimus filius noster Carolus invictissimus Imperator, à nobis diligentissimè percunctatus, circumstantiam judicii à beatitudine tua, Corepiscopisque suis, in Hincmarum dudum Laudunensem Episcopum prolati Apostolatui nostro retulit, agnovimus justum fuisse omnino judicium. Neque enim tantus Princeps nisi veritate fultum quicquam poterat affirmari. Unde nefas*

esse duximus ejus relationi non præbere incunctanter auditum. Noli ergo jam nunc Ecclesiam Laudunensem viduatam, & sine regimine Pastorali dimittere.

XIII. Joannes VIII. in aliis etiam aliquibus favere visus est Episcopis Gallicanis; v. g. cum in Concilio Trecensi eorum consensum rogavit ad firmandam excommunicationem, quam ipse Romæ adversùs Lambertum, Adalbertum, Formosum & Gregorium Nomenclatorem decreverat: item cum Uceticensis & Avenionensis Episcoporum causam ad Archiepiscopos Arelatensem & Narbonensem spontè remisit. Verùm alia multa tentavit ipse contra mores antiquos, adeoque & contra libertates Gallicanas. Fretus enim jure illo miserabili, quod effictæ nuper Epistolæ Apostolicæ Sedi tribuere videbantur, non Episcopos modo ex Gallia citavit Romam, sed & Presbyteros quoque, si qui fortè rei habebantur. Ita Epist. 70. Archiepiscopum Ebredunensem cum duobus Episcopis qui de Ecclesia Vencienſi certabant, Romam venire jubet. Ita Epist. 145. Vvifredum Episcopum Vencienſem Missarum celebratione interdicit, donec in ejus occurrat præsentiam. Ita Epist. 288. Ottramnum Viennensem jubet, ut Romam purgaturus se de objectis veniat.

XIV. Tandem sic crevit Romana licentia, ut Carolus Calvus Ecclesiæ suæ jura tueri cupiens scribendum duxerit ad Joannem VIII. ne ultra in Ecclesiasticorum judiciorum ratione innovaret. Scripsit itaque Imperator egregiam Epistolam,

quam habebis quoque ad calcem hujus operis : in qua solemnem judiciorum Ecclesiasticorum formam, sive quæ Episcopos spectaret, sive quæ Presbyteros, refert, firmatque simul, adductis Canonibus Nicænis, Sardicensibus, Antiochenis, Chalcedonensibus, Africanis, Epistolis item Innocentii, Leonis, Gregorii, aliorumque Romanorum Pontificum, qui Ecclesiæ universæ non Sanctitate sua minùs quàm doctrina præluxerant. Tum verò hæc addit Imperator : *Hæc itaque Transalpinis Ecclesiis earumque Rectoribus, à Sede Apostolica, de appellatione ad hanc Sedem Apostolicam, & de Presbyterorum ac Diaconorum appellatione, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint ad comprovinciales Synodos, & dijudicatione regulari eorum in iisdem Synodis, ante longissimæ ætatis annos, usque ad nostra tempora servata, & à decessoribus ac prædecessoribus eorum secuta & executa fuerunt.*

XV. Epistola illa Caroli Calvi maximo longè in pretio esse nobis debet, non modò quia certos nos facit de judiciorum Ecclesiasticorum forma, quæ ad illud usque tempus in Galliis viguerat: sed quia est illa veluti solemnis quædam intercessio, atque, ut aiunt, protestatio contra jus istud novitium, quod Romani Pontifices ejus ætatis fictarum Epistolarum beneficio inducere conabantur. Ex quo certè minùs virium exempla habitura sunt, si quæ fortè antiquo juri contraria deinceps observentur.

XVI. Ecce verò unum adjicio, non ejus quidem

conditionis ; sed quod Gallorum in antiquo retinendo jure constantiam omninò persuadeat. Diu erat quòd Hugo Heriberti Comitis filius, & Artaldus è Sancti Remigii cœnobio assumptus, de Remensi Archiepiscopatu contendebant, divisis eam ob rem non modò Remensibus, sed & regni proceribus ac Principibus. Tandem anno Christi 941. adnitentibus quidem comitibus Hugone & Heriberto, Concilium Suessione congregatum est, atque ibi dejecto Artaldo, Hugonem in Archiepiscopum Remensem consecrandum esse statutum fuit. Cùm autem de iniquo sibi judicio Artaldus apud Patronos suos conquestus esset, altera Synodus Virduni habita est anno Christi 947. posthabitoque ibi Hugone, Ecclesia Remensis Altardo adjudicata est. Sed necdum quiescentibus animis, tertia Synodus anno sequente celebratur apud Mozonum Castrum : atque illic præsertim Galli nostri constantiam suam testati sunt : etsi enim Hugo Agapiti II. nomine litteras obtulisset, quibus jubebat Papa Hugoni sedem restitui, nihilominùs tamen, quia litteræ illæ Canonibus contrariæ visæ sunt, causam incœptam judicarunt Galli, Remensisque Sedes Altardo iterum adjudicata est, communione interim Hugoni interdicta, dum se in Concilio generali, quod indictum erat, excusaret. Rem narrat Flodoardus in Chronico : & quia vix aliud est præclarius Gallicanæ libertatis monumentum, audiendus est ipse verbis agens propriis : *Anno*, inquit, 948. *Synodus prædicta celebratur in*

Ecclesia sancti Petri, ante Prospectum castri Mozomi à domno Rotberto ceteriſque Trevirensis Diœceſeos Episcopis & aliquibus Remensis. Veniens autem illuc Hugo Præsul & locutus cum Rotberto, Synodum noluit ingredi : litteras verò quasdam ex nomine Agapiti Papæ misit ad Episcopos per Clericum suum, qui eas Româ detulerat, nihil authoritatis Canonicæ continentes ; hoc tantùm præcipientes, ut Hugoni Remensi redderetur Episcopium. Quibus lectis, ineuntes Episcopi consilium cum Abbatibus & cæteris sapientibus qui aderant responderunt, non esse dignum vel congruum, ut mandatum Legationis Apostolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Friderico Præsule Moguntiacensi, coram regibus & Episcopis tam Galliæ quàm Germaniæ susceperat & partem jam præceptionis ipsius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas insidiator Artaldi Præsulis exhibebat : immo quod regulariter cœptum fuerat, canonicè pertractaretur. Sicque præceptum est, ut recitaretur Capitulum XIX. *Carthaginensis Concilii de accusato & accusatore. Quo recitato judicatum est secundùm definitionem ipsius Capituli, ut Artaldo Præsule retinente communionem & Parrochiam Remensem, Hugo, qui ad duas Synodos evocatus venire contempserat, à communione & regimine Remensis Episcopii abstineret, donec ad universalem Synodum, quæ indicebatur Kalendis Augusti, se purgaturus occurreret. Ipsumque Capitulum mox in charta describi fecerunt Episcopi coram se, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eandem chartam Rotberto Præsuli remi-*

sit, hoc verbis remandans, quòd ipsorum judicio nequaquam obediturus esset.

Causa illa post Episcopalia judicia ad Agapitum 11. relata erat, ut jam constat ex ipsius litteris, quas Mozomensi Concilio ab Hugone oblatas diximus. Quare misit ille tandem legatum è latere, Marinum nomine, qui juxta Concilium Sardicense causam istam cum Episcopis Gallicanis retractaret, eique finem imponeret. Quoniam verò de lite gravissima agebatur, quæ non Ecclesiam Remensem tantùm, sed universum ferè regnum agitabat, plenius Concilium vocavit Marinus apud Engelenheim, atque ibi tandem rebus omnibus diligenter & canonicè pertractatis, Ecclesia Remensis Artaldo asserta est, confirmatis utique judiciis Concilii Virdunensis & Concilii Mozomensis.

Quicunque factum istud attentè perpenderit, mirabitur dubio procul hominis impudentiam, qui id ipsum nuper quasi juri antiquo quod tuemur oppositum adducebat. Sed neque est etiam quod juveniliter exultet nuperus ille scriptor postquam retulit à Marino Agapiti legato citatum esse Episcopum Bellovacensem, uti vel Concilio Trevirensi cui præerat Marinus, vel certè Romæ se sisteret. Nam eodem anno habitum est Concilium illud Trevirense, & de his adhuc agebatur quæ cum Hugonis causa connexa erant. Excommunicati sunt nempe ibi Pseudo-Episcopi duo, Tetbaldus, & Ivo, ille Ambianensis, hic Silvanectensis, qui

qui ab Hugone jam è Sede pulso ordinati erant. Citatus est autem Bellovacensis Episcopus, quia ordinationum ejusmodi particeps fuerat. Quid amabo in eo est quod moribus libertatibusque Gallicanis sit adversum? maximè, cum Ataldus Archiepiscopus Remensis, aliique Provinciæ Remensis Episcopi Concilio illi Trevirensi etiam interfuerint.

ARTICULUS X.

Quodnam jus prævaluit apud Gallos in Episcoporum Iudiciis à temporibus Hugonis Regis & Ioannis XV. Pontificis ad Concordata inita Leonem X. inter & Franciscum I.

SYNOPSIS.

I. *HÆC est Epocha, quam nonnulli libertatibus Gallicanis fatalem credunt.*

II. *Illustrissimus ipse Marca eam opinionem profitetur; sed ita ut parum dignè cum de Summis Pontificibus, tum de Gallis ipsis sentire se ostendat.*

III. *Neque illam opinionem stabilit satis argumento ducto ex Arnulphi Remensis causa, quod veluti Achilleum proponit.*

IV. *Nihil amplius efficit recens quidam scriptor eodem argumento aliter proposito.*

V. *Reliqua quæ proferuntur argumenta petuntur* 1. *ex authoritate Summorum Pontificum qui ab illo tempore Episcoporum judicia unis sibi tribuerunt.* 2. *à collectionibus Canonum illo ab hinc tempore editis* 3. *à factis & exemplis quibusdam.*

I. N Epocham attingimus, quam Ecclesiæ Gallicanæ libertati, Episcoporumque juribus veluti fatalem assignant, qui ab antiqua judiciorum forma recessisse Gallos, novamque eos fictarum decretalium disciplinam acceptasse autumant. Vix enim unum aliquem reperias qui non fateatur antiqui juris authoritatem ad hæc usque tempora vicisse in Galliis: sed non pauci sunt, qui Gallos ab ea ætate Pontificum Romanorum voluntati obsecutos docent, eoque jure usos deinceps fuisse, quod, veluti sub umbra Pontificum antiquorum, Pontifices illi novi inducebant.

II. Ipse Marca libertatum Gallicanarum vindex alioqui non ignobilis in ea se opinione versari testatus est lib. 7. Concord. cap. 25. ubi de Romanis agens Pontificibus: *Itaque*, inquit, *universum orbem hujus novæ opinionis jugo colla submittere coëgerunt magnis illis nominibus veterum Pontificum ac martyrum munita, quæ extant in titulis Apocryphorum Epistolarum ab Isidoro collectarum, quarum authoritati nemo contradicebat. Gallia quoque ipsa cedere tandem coacta est, sub initia tertiæ Regum nostrorum stirpis, in causa Arnulphi Remensis Archiepiscopi.*

Veniam mihi dabunt illustrissimi viri manes, si hanc ejus sententiam non modò non probem, sed impugnare etiam aggrediar; non quòd ego quidem cum tanto Viro de eruditionis gloria contendere audeam vel cogitem: sed quæ ille fortè certis ductus rationibus dissimulanda tum credidit cum scriberet, illa ego nunc dicam liberiùs: neque tam

ejus mentem forsan impugnabo quam facilitatem. Observavi enim jam antea qua occasione scripserat Illustrissimus Marca de Episcoporum judiciis: nempe ut morem gereret, gratumque simul faceret Gallicarum rerum moderatori Richelio, qui quosdam Episcopos quasi majestatis reos tum temporis insequebatur. Mirum itaque nihil est si dissertationem suam in id jus tandem inclinaverit, quod potentissimo Cardinali accommodatius, gratiusque futurum intelligebat.

Non placet tamen modus, ut nec argumenta placent queis utitur Marca in opinione sua seu proponenda seu confirmanda. Non modus quidem placet, nisi fortè quia re ipsa indirectè illo evertitur, quod adstruere intendit Marca. *Pontifices Romani*, inquit iste, *universum orbem hujus novæ opinionis jugo colla submittere coëgerunt magnis illis nominibus veterum Pontificum ac Martyrum munitæ, quæ extant in titulis Apocryppharum Epistolarum ab Isidoro collectarum.* Itane enim Summi Pontifices Ecclesiam regunt more tyrannico, ut orbem universum cogere dicantur ad ea amplectenda quæ sibi arridient: Itane cum Christus jugum suum suave dicit, fideleſque non jam servos vocat ipse, sed Amicos; Romani Pontifices, qui Christi vices agere se in terris gloriantur, austeram dominationem exerceant, fideleſque jam ut mancipia cogere, non potiùs ut filios regere prædicentur? Absit certè ut tam læva cogitemus de Summis Pontificibus; à quibus quidem si fideles quandoque cogendi essent, ad reti-

nendam utique antiquitatem cogendi forent, non ad opinionis novæ subeundum jugum, ut persuadet Marca. Quid verò si absque ratione & fundamento ad novitatem amplectendam cogant Pontifices? Sed id quoque fecêre ipsi, si Marca audiatur: violentiam enim Pontificum innixam fuisse dicit authoritate Epistolarum Apocrypharum, quæ ab Isidoro collectæ erant: quàm autem futile erat fundamentum istud quisque jam intelligit: quàm verò nullum erat, maximè apud Gallos, jam ante demonstratum est.

Attamen addit Marca: *Gallia quoque ipsa cedere tandem coacta est sub initia tertiæ Regum stirpis, in causa Arnulphi Remensis Archiepiscopi.* Id quidem si ita est, actum esse fateor de libertate Gallicana; ecce enim in servitutem versa omnino, siquidem *Galli*, ut asserit Marca, *opinionis novæ jugo colla quoque submiserint.*

III. Verùm certè non sic sentiam facilè de majorum nostrorum nobilitate & constantia; neque sanè eò me argumentum cogit, quod veluti palmare ex Arnulphi Remensis causa deducit Marca. Quin potiùs hoc ipsum factum, etiam ut à Marca exponitur, fidem facit certissimam plus valuisse jus antiquum in Concilio illo Remensi ubi Arnulphus dejectus est, quàm fictarum decretalium novitatem.

Sic enim compendiosè primò Synodi ejus gesta exequitur Marca lib. 7. cap. 25. *Ex actis Synodi Remensis habitæ anno 992. colligitur Arnulphum illum Lo-*

tharii Regis filium fuisse ex concubina; Archiepiscopumque Remensem factum fuisse beneficio Hugonis Regis, cui præstiterat juramentum fidelitatis. Et tamen violata fide data, portas urbis Remensis avunculo Carolo aperuerat, qui armis regnum repetebat ab Hugone. Eam ob rem Hugo Synodum Remensem convocavit: ad quam vocatus Arnulphus, proditionem suam ac perjurium confessus est coram duodecim Episcopis, quos judices & Confessores suos esse postulavit; indignum se esse aiens Episcopatu, eoque spoliari petens. Verbis autem generalibus confessionem suam repetiit in Concilio, coram Rege & proceribus. Tum deponitur à Synodo quæ pro eo vitam & membra à Rege impetrat.

Brevis hæc relatio, quâ certè accuratior componi non potuit, non aliud ponit ob oculos, quàm meram antiqui juris executionem: videtur enim Arnulphus in Concilio à Collegis depositus, nihilque ibi Pontificiæ authoritatis apparet quod novum jus sapiat fictarum decretalium.

Immo verò Concilii gesta fusiùs explicans Marca agitatam in eo quæstionem refert, an judicari posset Arnulphus sine authoritate Summi Pontificis: reque in utramque partem disputata, posthabitam esse opinionem quæ novitati applaudebat: Synodi verò potestatem ex antiquis Canonibus fuisse constitutam: *Quæsitum est*, inquit, *in Synodo an competens illa esset ad judicandam hanc causam absque authoritate Summi Pontificis. Ad probandam necessitatem authoritatis Romanæ adductæ sunt supposititiciæ Epistolæ Iulii, Damasi & aliorum Pontificum.* Ex

altera verò parte quæ momenta adducta sunt? *laudantur in eam rem*, inquit Marca, *Canones Africani, itemque Antiocheni, Nicani, & nonnulla loca ex Epistolis Beati Gregorii, tum etiam exempla Ægidii & Ebbonis Remensium Archiepiscoporum, & interpretatio quam Hincmarus adhibuerat Canonibus & decretis, quæ in hac materia allegantur:* Quis tandem litis exitus? *Igitur*, inquit Marca, *constituta Concilii potestate, probatur authoritate Conciliorum Toletanorum, proditionem in Principem crimen esse, quod depositionis pœnâ plecti debet.* Et postquàm plura disseruit Marca de modo confessionis Arnulphi apud electos judices, sic concludit: *Uno verbo decernitur Arnulphi depositio. Quo facto se in terram ille in modum crucis prosternens coram Regibus, eis cum lacrymis & singultibus supplicat ut veniam sibi tribuere velint. Archiepiscopus verò Bituricensis vitam & membra pro Arnulpho, nomine totius Synodi petit à Regibus. Quod ab eorum pietate concessum est. Arnulphus subscripsit actis suæ sessionis secundùm formulam ab Ebbone prædecessore suo relictam.*

En factum integrum ut ab ipso Marca relatum est; at in eo ubique micat jus antiquum; neque ibi novi juris mentio ulla facta est, nisi ut reprobaretur. Quomodò ergo prostrata inde traditur Gallica libertas? Quomodò in ea causa Galli novitati serviisse tandem accusantur? *At*, pergit Marca, *depositio illa Arnulphi, & Gerberti successoris ejus ordinatio offendit Ioannem VIII. Papam, qui Episcopos hujus rei authores suspendit à divinis.* Et post pau-

ca, *Tandem Pontifex Leonem Legatum in Galliam misit, qui unà cum Siguino Archiepiscopo Senonensi Concilium anno 995. congregavit in urbe Remensi: cujus Concilii decreto Arnulphus Sedi suæ restitutus est; eam ob causam solùm, quod deponi non potuerit absque consensu & authoritate Sedis Apostolicæ.* Ex his ergo quæ Concilium secuta sunt: ex offensione scilicet Joannis VIII. Pontificis, & ex eo quòd ipsius jussu Arnulphus restitutus est, arguit Marca opinionis novæ jugo subjectos esse Gallos.

At neque hæc arguendi ratio, probari usquam potest: primò enim cum dicit Marca *restitutum fuisse Arnulphum eam ob causam solùm, quòd deponi non potuerit absque consensu & authoritate Sedis Apostolicæ*, injuriam facere videtur Joanni Pontifici. Quid si enim Arnulphus violatæ fidei Majestatisque reus erat? Quid si urbem Remensem Hugonis hostibus, Ecclesiam sacrilegis prodiderat, ut ferebat ejus accusatio, an restitui sic debuit sedi suæ eam ob causam solùm quòd deponi non potuerat absque consensu & authoritate Sedis Apostolicæ? Numquid satius esset credere Arnulphum fuisse restitutum, quia innocuus reipsa visus est?

At offensus fuit Joannes Arnulphi dejectione: Esto fuerit offensus; quæ tandem fuerunt offensionis causæ? Offensus est fortè quòd ei persuasum non erat Arnulphum ita nocuum esse, ut jactabatur: nam Aimonius Scripsit Arnulphum fuisse bonum virum: ejusque depositionem tribuit Hugonis odio qui Lotharianam omnem gentem perdere susce-

perat. Offensus est etiam fortè quoniam Arnulphum, utpotè Archiepiscopum, à se solo judicandum credebat : hoc enim privilegium Archiepiscoporum esse videbatur illa ætate, ut scripsit Hincmarus, & ut ipse observat Marca : hæc autem offensionis ratio eo major erat in Archiepiscopi Remensis dejectione, quòd Archiepiscopi Remenses, indulto à Summis Pontificibus privilegio, ab Apostolica Sede immediatè dependebant.

Verùm concedamus reipsa offensum fuisse Joannem VIII. quòd existimaverit non potuisse Episcopum quemlibet judicari à collegis suis citrà Apostolicæ Sedis consensum ; unde quæso opinionem hanc hauserat Joannes VIII. Ex fictis nempe Pontificum decretalibus. At fictarum ejusmodi decretalium authoritatem nullam fuisse apud Gallos & jam sæpe ostendi aliàs, & paulo ante ostendebam in ipso Arnulphi judicio. An verò fortè illa Joannis opinio Gallorum animos sic mutavit, ut quod modò rejiciebant, id statim amplexi sint ? minimè profectò : Nam & Rex è contrario ad Joannem VIII. scripsit, quò ut probare vellet quæ in Concilio Remensi gesta erant ; & Gerbertus qui in Arnulphi locum ordinatus erat, quique posthæc Papa Silvestri II. nomine creatus est, Remensis Concilii Apologiam scripsit in Epistola ad Vuilderodum Argentinæ urbis Episcopum : Ubi quidem Ecclesiasticas antiquorum Conciliorum, ac præsertim Nicæni Concilii regulas non tuetur modò, sed ex

Leone I.

Leone I. confirmat ad usque mundi finem duraturas. Hanc apologiam abs re fortè non erit aliis monumentis ad calcem operis adjungere.

Itaque neque ex ipso Arnulphi judicio, neque ex eis quæ judicium secuta sunt, confici usquam potest Gallorum mutatam esse sententiam, illósque, ut ait Marca, opinionis novæ jugo colla subjecisse.

IV. Nuperus declamator Gallorum libertatem ex Arnulphi causa periisse contendebat, non ob ea tantùm capita quæ hactenùs refutata sunt: sed ex eo præsertim quòd Hugo Francorum Rex, necnon & Episcopi Remensis Provinciæ ad Joannem XV. scripserant ante Concilium Remis habitum; eumque rogaverant, ut Arnulphi audaciam Apostolica authoritate compesceret. Inde enim concludebat Sophista, Gallis tunc persuasum fuisse Episcoporum judicandorum potestatem non penès Synodos Provinciales residere, ut contendimus, sed penès Apostolicæ Sedis Antistitem.

Sed caligat homo iste, ni fortè connivet ad lucem clarissimam: etenim, ut de Archiepiscoporum Remensium privilegio nihil jam repetam, in Epistolis tum Hugonis Regis, tum Episcoporum Remensis Provinciæ, quas quidem ambas videre est in actis Remensis Concilii, extat aperta ratio quare de Arnulphi causa ad Apostolicam Sedem relatum sit: quia nempe inusitata & operosissima erat causa illa; neque in Concilio Provinciæ dirimi facilè poterat, tum ob Arnulphi potentiam, tum

verò maximè ob incredibilem ejus contumaciam. Itaque nihil mirum si juxta Patrum statuta, quæ difficiliores causas ad Apostolicam Sedem referri jubent, Rex Christianissimus ipsique Remensis Provinciæ Episcopi Summum Pontificem hoc in ancipiti consuluerint: *novis atque inusitatis rebus permoti*, inquit Hugo, *summo studio summâque curâ vestra consilia expetenda decrevimus: quippe cum sciamus, vos omne tempus in humanis ac divinis studiis exegisse.* Remensis autem Diœceseos Episcopi: *non sumus nescii*, inquiunt, *beatissime Pater, iam dudum oportuisse nos expetere consulta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro ruina atque occasu Sacerdotalis Ordinis: sed multitudine tyrannorum pressi, longitudine terrarum semoti desideria nostra hactenus implere nequivimus. Nunc itaque vestro examini non sine magno dolore perferimus* NOVUM ATQUE INUSITATUM CRIMEN *Arnulphi Remorum Archiepiscopi, qui famosus apostata factus, locum Iudæ traditoris olim in Ecclesia tenet, qui filius quondam Ecclesiæ Laudunensis, cum Episcopum suum dolo & fraude ceperit, Ecclesiam ejus pervaserit, ad cumulum suæ damnationis Remensem sibi creditam cum Clero & populo captivavit: nec movet eum nostra vocatio, vel potius saluberrima exhortatio; non Archiepiscoporum Comprovincialium multoties repetita admonitio.*

Ex quibus quidem liquet de Arnulphi negotio ad Apostolicam Sedem relatum esse ob insolentiam facti, invictamque hominis contumaciam; unde scilicet ingens Ecclesiæ periculum timebatur. Et

hanc ob rem iidem Episcopi Remensis Provinciæ Joannem sic deprecantur : *Adesto Pater ruenti Ecclesiæ, & sententiam ex Sacris Canonibus promulgatam, vel potiùs ab ipsa veritate prolatam profer in reum. Sentiamus in vobis alterum Petrum defensorem, & corroboratorem Christianæ fidei : ferat Sancta Romana Ecclesia sententiam damnationis in reum, quem universalis damnat Ecclesia. Suffragetur nobis vestra authoritas, & in huius apostatæ dejectione, & in ejus qui domui Dei præesse possit Archiepiscopi nova ordinatione ; simulque, invocatis Episcopis nostris fratribus, necessaria promotione. Ut sciamus & intelligamus, cur inter cæteros Apostolatum vestrum præferre debeamus.*

Quanquàm verò plenissimas affectu preces neglexerit Pontifex ; non ideò tamen Episcopi Gallicani officio suo suoque muneri defuere : sed juvante Hugone Rege vocatum est Concilium, quò non Remensis modò Provinciæ, sed &, ob rei gravitatem, selecti vicinarum Provinciarum Episcopi convenere : atque ibi Arnulphus omnium suffragio dejectus est, ut ante narravimus. Sive ergo ea spectentur quæ Concilium Remense antecessêre, sive quæ in Concilio gesta sunt, sive tandem quæ Concilium consecuta, nihil occurret planè, quod læsam Gallorum libertatem arguat. Quin potiùs in Arnulphi causa tota Gallorum vigor ubique micat, ubique illorum in retinendis antiquis Canonibus fulget constantia.

V. Cætera jam argumenta examinanda sunt, quibus

Illustrissimus Marca, aliique etiam nonnulli plùs valuisse jus novum probant in Galliis à temporibus Hugonis Regis. Eorum autem tria sunt veluti genera.

Primum genus petitur ab authoritate Summorum Pontificum, qui ab illo tempore edixisse videntur Episcoporum depositiones ad Ecclesiam unam Romanam pertinere.

Secundum argumentorum genus ducitur à collectionibus Canonum quæ ab illo tempore in lucem editæ sunt: in quibus nempe Apocrypharum Epistolarum inserta loca legere est de judiciis Episcoporum Apostolicæ Sedi reservandis.

Tertium eruitur ex factis seu exemplis depositionum non paucarum, quas Apostolicæ unius Sedis authoritate decretas jactitant.

Singula expendo seorsin totidem in paragraphis.

§. I.

An authoritate Pontificum conficitur jus novum, quod aiunt de Episcoporum judiciis valuisse à temporibus Hugonis Regis, cum ubique, tum speciatim in Gallia?

SYNOPSIS.

I. *LEONIS IX. Gregorii VII. & Innocentii III. praesertim jactatur authoritas: Nihil autem Leo IX. contra jus antiquum tentavit sive in sua Epistola ad Petrum & Ioannem Episcopos Africanos, sive in Concilio Remensi cui praefuit, & in quo Episcopus Lingonensis dejectus est.*

II. *Magis urgetur authoritas Gregorii VII. quam quidem extolli mirum est ab Illustrissimo Marca prolatis articulis, qui dictatus ejus vocantur: siquidem dubia fide laborant articuli illi apud cruditos; apud Gallos autem nullius usquam fuêre ponderis.*

III. *Ne illum quidem articulum qui Episcoporum depositionem soli Romano Pontifici tribuit editum quis credat à Gregorio VII. contra Oecumenicorum Conciliorum Canones, decessorumque suorum Sanctiones.*

V. *Facta Gregorii VII. nihil plus faciunt contra libertates Gallicanas, siquidem & iis Galli obstitêre.*

VI. *Ne Gregorius quidem ipse sibi constitit in Episcoporum judiciis per legatos exercendis.*

VII. *Innocentii III. effatum objicitur; quo translationes, cessiones, & depositiones Episcoporum institutione divina soli Romano Pontifici reservatas pronuntiat.*

VIII. *Sed improbatur vel ab ipso Marca.*

IX. *Et reipsa veritati contrarium est, nisi benignè explicetur.*

X. *Nam neque jure divino Vspiam dispositiones Episcoporum reservatæ sunt Summo Pontifici.*

XI. *Nisi fortè jus divinum latiùs usurpetur.*

XII. *Neque jure Canonico minimè dubio, ad usque tempora Innocentii ipsius III.*

XIII. *Immo ne ipse quidem Innocentius III. in Concilio Lateranensi 4. cui præfuit derogavit prisco juri Canonibus sancito de judiciis; nec ipso teste & arbitro derogare, quis meritò posset.*

I. TRIUM in primis Pontificum jactatur authoritas, Leonis IX. Gregorii VII. & Innocentii III.

Leo IX. in Epistola sua 4. quæ est ad Petrum & Joannem Episcopos Africanos, ita scripsit: *Sed hoc vos non lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari vel deponi. Quia etsi licet vobis aliquos Episcopos examinare, diffinitivam tamen sententiam, absque consulto Romani Pontificis, ut dictum est, non licet dare. Quod in Sanctis Canonibus statutum, si quæritis, potestis invenire; scilicet, quia omnium Ecclesiarum majores & difficiliores causæ per Sanctam & principalem Beati Petri Sedem à successoribus ejus diffiniendæ sunt.* Non poterat Leo, inquiunt adversarii, Apostolicæ Sedis jura clarioribus, aptioribusque simul verbis explicare.

Ego verò repono Leonis IX. verba interpretari benigniùs oportere, non de qualicunque sententia, sed *de sententia definitiva*, ut ipse habet, quamqui-

dem Apostolicæ uni Sedi Sardicenses Canones tribuerunt: atque ideirco ad Sanctos Canones Episcopos Africanos remittit Leo: *Quod in Sanctis Canonibus statutum, si quæritis, potestis invenire.* Numquid enim viros Africanos ad Apocryphas fortè decretales remisisset, quæ antiquam Africæ disciplinam omninò evertebant: aut Sanctorum fortè Canonum nomen centonibus fœdissimis tribuisset?

Mitto hîc quod nuperus scriptor objicit de Episcopo Lingonensi depositio, ut ait, in Concilio Remensi cui Leo IX. præfuit. Hinc enim ineptè arguit, ut solet, Episcoporum depositionem non fuisse penès Synodum & collegas, sed uni Summo Pontifici convenisse. Quis verò sic usquàm argumentatus est? Fateor quidem Episcopum Lingonensem aliosque nonnullos Episcopos Galliarum excommunicatos fuisse in Concilio illo Remensi, cui Leo IX. præfuit: sed etiamsi verè depositi fuissent, quid inde quæso contra antiqua Episcoporum privilegia inferri queat? Scilicet quòd Concilium plurium Provinciarum fuit? an quod ei Summus Pontifex præfuerit? Quis verò contrarium Canonibus usquàm dixit, si aut in Concilio pleniori, aut præsente Papa Episcopi deponantur? Quis propterea Summum Pontificem Episcopalium causarum arbitrum esse unum dixerit, quòd coram illo in Concilio aliquo pleniori Episcopi dejecti sint?

II. Gregorii VII. authoritatem urgent magis, eamque in primis extollit Marca his verbis: *sed neque major neque illustrior authoritas proferri potest*

ad probandam nostram propositionem, quàm ea quæ extat in decantatis illis articulis Gregorii VII. editis anno 1074. qui vulgò dictatus Papæ vocantur: in quibus continentur vetera & nova privilegia Sedis Apostolicæ. Extant autem numero 27. in regesto illius Pontificis post Epistolam 55. lib. 2. In tertio sic habetur: QUOD ILLE SOLUS POSSIT DEPONERE EPISCOPOS VEL RECONCILIARE. In quarto autem: QUOD LEGATUS EJUS OMNIBUS EPISCOPIS PRÆSIT IN CONCILIO, ETIAM INFERIORIS GRADUS, ET ADVERSÙS EOS SENTENTIAM DEPOSITIONIS POSSIT DARE.

Mirum est certè præcellenti viro, fortique alioqui Gallicarum libertatum deffensori Marcæ, magnam immo illustrem videri authoritatem articulorum è quibus Gregorii VII. dictatus compositus est: siquidem ejusmodi articuli vel dubiæ, vel pauculæ admodùm authoritatis apud eruditos, nullius verò planè apud Gallos huc usque extiterint. Et sanè si articuli illi semel admittantur, ruat necesse est non Ecclesiæ Gallicanæ libertas modò, sed & Conciliorum Oecumenicorum doctrina, penè dicam, & Evangeliorum. Quis enim Gallorum: immo quis omnium hos aliquot ferat v. g.

Quòd Romano soli Pontifici licet pro temporis necessitate novas leges condere.

Quòd solus possit uti Imperialibus insigniis.

Quòd illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.

Quòd unicum est nomen in mundo.

Quòd illi liceat Imperatores deponere.

Quòd

Quòd Romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis Beati Petri indubitanter efficitur Sanctus.

Quòd à fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.

Quomodò ergo horum articulorum authoritas magna, quomodò illustris potuit prædicari?

III. Major forsan illustriorque fuerit articuli hujus authoritas qui opponitur : *Quòd scilicet Romanus unus Pontifex Episcopos deponere possit*; id verò mihi examinandum.

Ex iis liquet quæ hactenùs disputata sunt Episcoporum causas ab ipsis Ecclesiæ primordiis agitatas esse primò, primóque judicatas in Synodis Provinciarum : hanc autem Synodorum Provincialium jurisdictionem stabilitam esse constat in Concilio Nicæno, firmatam in Chalcedonensi, tandemque à nullo priorum octo Conciliorum Oecumenicorum, quæ utriusque Ecclesiæ consensu habita sunt, ei usquam præjudicatum. Quin & Concilium ipsum Sardicense, quod Apostolicæ Sedi gratum sic semper fuit, Episcopalium causarum cognitionem primam Synodis Provincialibus etiam tum asserere visum est, cum Episcoporum dejectorum appellatione honorandam esse Petri Sedem constituit. Nunquid enim quæso appellatur usquam, nisi à prolato ante judicio?

His ergo legibus vixit Ecclesia universa : vixit Romana, quæ illas in codice suo inseruit : vixit demùm Gallicana, quæ illarum tenacissima semper fuit, ut hactenùs probatum est.

Jam verò ab octavo Concilio Oecumenico ad usque Gregorium VII. aliud nullum celebratum est Concilium Oecumenicum, quod priores illas leges abrogaverit: nulla etiam Ecclesiæ consuetudo contra illas præscripsit.

Eò itaque tota recidet quæstio an Gregorius VII. authoritate sua propria, & motu proprio, ut aiunt, Episcopalium causarum cognitionem primam Synodis Provincialibus eripere voluerit, quæ ab ipsa Ecclesiæ constitutione illis competebat? An ille motu proprio novam aliquam legem de Episcoporum depositionibus edere præsumpserit, quæ antiquissimas Nicæni Concilii aliorumque Oecumenicorum Conciliorum regulas everteret? An ille demùm Ecclesiarum quarumcunque ad antiquas illas regulas compositos mores mutare pro libito potuerit?

Vix aliquis credat Gregorium VII. virum sanè peritissimum, & in rebus Ecclesiasticis longè versatissimum, id consilii usquam suscepisse quod à decessorum suorum placitis tam procul aberrabat. Ea enim fuit Pontificum anteriorum reverentia in Conciliorum Oecumenicorum, in primisque Nicæni Concilii Canones, ut eorum aliqui primatum suum in alio non magis posuerint, quàm in fideliori eorum observantia; alii autem ne à sede quidem Apostolica mutari in eis aliquid posse clarè pronuntiaverint.

Gelasius in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, *Confidimus*, inquit, *quòd nullus jam veraciter Christia-*

nus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam.

Urbanus apud Gratianum XXV. qu. cap. 6. *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. Quod & nos non solùm non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum verò summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Ubi verò apertè Dominus, vel ejus Apostoli & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet.*

Zosimus item apud Gratianum ejusdem qu. cap. 6. *contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.*

Sanctus Leo in Epist. 35. *contrà statuta Paternorum Canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam addere conceditur: ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potiùs minuat quàm illa corrumpat.*

Non est itaque credibile Gregorium VII. tentare aliquid voluisse contrà *Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos*, ut loquitur sanctus Leo. Non credibile Pontificem illum ea, quæ ad perpetuam utilitatem generaliter statuta erant, ad privatum sedis suæ commodum trahere

voluisse, eosque excurrisse limites qui à Patribus præscripti erant ! alioquin admisisset ipse contrà sancti ejusdem sententiam qui in epist. ad Anastasium sic præclarè edicit : *Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur : nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa : sed manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo injustè usurpet alienum : sed intrà fines proprios atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine se exerceat charitatis.*

IV. Quòd si tamen Gregorius VII. Episcopis reipsa eripere jus voluit, quod à Conciliis Oecumenicis confirmatum ipsis erat : si delusus fortè apocryphis decretalibus non finitiva modo & ultima Episcoporum judicia, sed & prima quoque Apostolicæ sedi vindicavit ; an statim Ecclesiis reliquis Canones antiqui abjiciendi fuerunt juxtà quos vivebant, quibusque fortè à sua usque institutione regebantur ? An verò Ecclesia Gallicana quæ importunæ huic novitati toties jam restiterat ; libertatemque suam antiquis Canonibus adversùs Nicolaum I. Hadrianum II. Joannem XV. sic fortiter deffenderat : an ipsa, inquam, constantiæ dignitatisque suæ statim oblita Gregorii VII. edicto ignavè servierit ? Non id sanè quisquam evincat : neque hunc articulum dictati Gregoriani plus unquam valuisse apud Gallos aliquis probaverit, quàm enormes illos articulos qui ante citati sunt.

V. Immo verò, inquiunt adversarii, quod in dictato suo edixit Gregorius VII. id ipsum revera in

Galliis executus est; plures enim Galliarum Episcopos sive Romæ per se, sive in partibus per legatos & commissarios revera deposuit.

Ego quidem fateor Gregorium VII. non minùs audacem fuisse in exequendo quàm in imperando; ita enim v. g. eam legem, quam tulerat ipse in dictato de Imperatorum depositione, firmare executione agressus est contra Henricum IV. Imperatorem. Verùm certè legis æquitatem non ea probat executio, quæ fit legislatoris vi magis quàm ipsius legis: neque statim valere lex censenda est, ad cujus executionem aliqui vel infirmi vel etiam repugnantes coacti sunt.

Itaque concedimus plures Episcopos Gallicanos à Gregorio VII. citatos esse Romam; an ideò Gallicanæ libertatis partem illam periisse quis dicat, quâ Episcopi Gallicani, diffitente jam nemine, à peregrinis judiciis eximuntur? An scilicet ejusmodi citationibus ita obsecuti sunt Galli, ut nusquam repugnaverint? Immo verò, si Gregorio ipsi credamus, vix aliquos ipse habuit obsequentes. Hinc enim in Epistolis suis excommunicationis pœnam sæpe intentat: hinc etiam aliquas Episcoporum causas ad partes seu provincias remittere coactus est. Inobedientiam Hamberti Episcopi Pictavienſis notat ipse in Epistolis 2. & 3. lib. 1. Romam vocaverat Raynerium Aurelianensem: morem non gessit Raynerius, ut videre est in Epistolis 8. & 9. lib. 5. Quin & ejus legatis obstitum aliquando, etiamsi apud partes & in Syno-

dis Episcoporum judicia exercerent. Ita Manasses Remorum Archiepiscopus sententiam nihili fecit, quæ ab Hugone Gregorii legato in Concilio Lugdunensi contra ipsum lata est. Ita Giraldo, alteri Gregorii legato, Lancelinus Diensis civitatis Episcopus ante restiterat.

VI. Sed ne Gregorius quidem ipse in judiciis per legatos exercendis sibi constitit: nam legatos jubebat aliquando quæ in Episcoporum depositionibus gesta erant ad se referre, uti ab Apostolica sede confirmarentur, quemadmodùm Hugonem referre ad se jussit de negotio Episcopi Carnotensis Epist. 11. lib. 5. Aliquando verò ipse præoccupabat judicium, commissariosque merè executores designabat, ut factum est in causa Raynerii Aurelianensis: cum enim is vocatus Romam, ire noluisset, delegavit Gregorius Archiepiscopos Senonensem & Bituricensem, qui Raynerium, si reus foret, non deponerent ipsi quidem, sed Gregorii rescripto depositum proclamarent: quod certè rescripti genus ad apparitores dirigendum erat magis quàm ad Episcopos. Interdum quasi à novitate recedere plùs voluisset, Episcoporum à legatis dejectorum conquestiones, & veluti appellationes admittebat, judicabatque rursùs, ut factum est in causa Archiepiscopi Auscitani & Episcopi Bigorritani, quos à legato suo in provinciis depositos Romæ absolvit. Immo admissa expostulatione seu appellatione causam nonnunquam remisit ad legatos, ut in Concilio pleniori eam rursùs judicarent, quomodò Lamberti Mo-

rinensis causam remissam legimus ad Hugonem Lugdunensem lib. 9. Epist. 32.

Itaque non modò ex Gregorii VII. articulis confici nihil potest contra libertatem Gallicanam, sed neque ex ipsius aut factis aut præsumptionibus; quemadmodùm enim ipsius articuli à Gallis nusquam recepti sunt, ità certè neque facta probari eis potuerunt quæ solis illis articulis nitebantur; quæque ab antiquis Canonibus, firmatisque diu consuetudinibus longè abhorrebant.

VII. Objicitur denique Innocentii III. effatum: quo scilicet pronuntiavit Episcoporum depositiones ad Apostolicam unam Sedem non jure tantùm Canonico, sed & jure ipso divino pertinere. Sunt hæc ejus verba relata 1. lib. Decretal. tit. de translat. Episc. cap. 2. *Et ideo tria hæc quæ præmisimus* (translatio scilicet, depositio, & cessio Episcoporum) *non tam constitutione canonica, quàm institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata.* Propositionem hanc probat Innocentius, quia conjugium spirituale interest Episcopum inter & ipsius Ecclesiam: quod proinde, ut carnale conjugium, solvi non potest nisi à Deo, vel à Papa Christi Vicario.

VIII. Innocentii III. propositionem ut & ejus probationem improbat refellitque Marca ipse, tametsi jam nobis in pluribus adversarius: id verò accuratè sic præstat, ut ipsius orationem adhibendam hîc duxerim: *Emersit*, inquit, *effatum Innocentii III. Papæ, quem audacem jurisperitum vocat Matthæus Parisius: qui depositiones, cessiones, & transl-*

Lationes Episcoporum ad solum Pontificem Romanum jure divino pertinere pronuntiavit. Adeo enim metuebat ne Synodi Provinciales sua jura repeterent, ut subsidium audaciæ à metu petens, inauditam ante hoc seculum & à veterum moribus alienam sententiam protulerit; cui præterea stabiliendæ multum operæ posuit, argumento utens à posteris prorsùs abjecto. Ait enim res spirituales facilius institui quàm dissolvi; cum tamen humanæ facilius dilabantur, quàm ædificari aut formari possint. Unde patet vinculum spirituale carnali fortius esse. Cum autem Deus sibi reservaverit dissolutionem conjugii carnalis inter hominem & feminam, planum esse cum sibi reservasse etiam dissolutionem conjugii spiritualis quod intercedit inter Episcopum & Ecclesiam. Unde concludit, solum Pontificem Romanum, qui est Vicarius Iesu Christi, posse decernere translationes & depositiones Episcoporum, idque authoritate divina. Sed argumentum illud nimis probat. Nam hinc potius sequeretur, nullo casu Papam posse dissolvere conjugium spirituale; cum ipse, quamvis Christi Vicarius nullo casu possit disolvere vinculum conjugii carnalis. Melius dicam; argumentum illud nihil concludit: quoniam unio Episcopi & Ecclesiæ conjugium tantùm est per metaphoram; & ideo, si summo jure agamus, comparari non potest cum vero conjugio. Certum quidem est Athanasium & alios veteres ordinationem sive intitulationem Episcopi in quapiam Ecclesia comparasse cum conjugio; sed id ab iis scriptum est per translationem, ut ostenderent quàm arcto vinculo Ecclesiæ ille suæ esset adstrictus.

IX.

IX. Scriptor Gallo-Romanensis Illustrissimo Marcæ non consentit hac in parte, sed Innocentii III. doctrinam *solidè stabilitam* putat. Ego verò Innocentii sententiam non modò *inauditam esse & veterum moribus alienam contendo*, ut ait Marca, sed & veritati ipsi planè adversantem; nisi fortè ad sensum reducatur Synodi Sardicensis, eorumque Romanorum Pontificum, qui Sedis suæ jura longè ante Innocentium III. à Canonibus petiverunt.

X. Atque ut de unis jam Episcoporum depositionibus sermonem instituam; eas contendo Apostolicæ Sedi jure divino nusquam, Innocentii verò ætate, ne quidem Canonico, fuisse reservatas.

Non jure quidem divino Episcoporum depositiones Apostolicæ Sedi reservatæ sunt: nam Scripturæ in primis de hujusmodi reservatione ubique silent; esto enim, ut asserui supra, asseroque rursus, Apostolicæ Sedis Primatus fundatus sit, cum in 16. Matthæi capite, tum in Joannis 21. an fortè istiusmodi Primatui annexam à Christo quis dicat Episcopalium causarum cognitionem primam? Siquidem ita res est; ergo ut Apostolicæ Sedis Primatus nusquam in Ecclesia non agnitus est, ita Episcopalium causarum cognitio prima ei Sedi tributa semper fuit: si enim, Augustino teste, quæ vel Apostolicæ institutionis sunt, ea ubique & semper obtinuere, sanè quæ à Christo Domino instituta fuerint, ea potiori jure & ubique & semper, id est, & in omnibus Ecclesiis & ab omni ævo servari oportuit. Quàm autem id sit à vero alienum, quid attinet probare

hîc rursus? Morem enim contrarium viguisse ante ostendimus in primariis, immo in omnibus Christiani orbis Ecclesiis. An autem quis dicat jus divinum ignotum illis fuisse, quod Innocentio III. tandem revelatum est? Ergo in idem jus impegerint quoque Concilia illa omnia, quæ Episcoporum causas in Synodis Provinciarum judicandas statuerunt. Ergo & Concilium ipsum Sardicense etiam tum blasphemaverit, cum non primum illarum causarum judicium, sed appellationes tantùm in Apostolicam sedem contulit.

Sed & ipsi Summi Pontifices ante Innocentium III. jus illud divinum ignorarunt; vel turpiter certè prævaricati sunt: ipsimet enim non primam quidem graviorum causarum cognitionem, sed vel appellationes relationesque ipsas nonnisi Canonum Sacrorum jure sibi vindicarunt.

Innocentius I. in Epistola ad Victricium Rothomagensem Majores Causas, post Episcopale judicium, referri vult ad sedem Apostolicam: quâ scilicet authoritate? *sicut Synodus statuit*, inquit ipse.

Zosimus agens contra Africanos, qui ne appellationes quidem ferri tum sinebant ad Apostolicam sedem, Ecclesiæ suæ privilegia tuitus est, non jure divino, sed Canonibus unis Sardicensibus; quos quidem ipse Nicænos vocitabat.

Gelasius in Epistola 4. ad Faustum, omnium clarissimè rem definit: *ipsi sunt Canones*, inquit, *qui appellationes totius Ecclesiæ, ad hujus sedis examen voluerunt deferri.*

Gregorius magnus in Epistola 24. lib. 5. quæ est ad Marinianum Ravennatem Episcopum : *Numquid non ipse nosti*, inquit, *quia in causa quæ à Ioanne Presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem & Coëpiscopum nostrum orta est, secundùm Canones ad sedem Apostolicam recurrit, & nostrâ est sententiâ definita?*

Nicolaus I. in Epist. 8. ad Michaëlem Imperatorem : *Quoniam enim secundùm Canones, ubi est major authoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum ; patet profectò sedis Apostolicæ, cujus authoritas major est, judicium à nemine fore retractandum.*

Leo IX. in Epist. 6. ad Petrum Episcopum, *Sanctorum Patrum concordi decreto*, factum esse ait, quòd ad Romanam & Apostolicam Sedem, *majores & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur.*

Quàm etiam ingens flagitium fuit Concilii totius Italici in causa Maximi Constantinopolitani, si fortè Innocentii III. effatum constet ; cum enim Ecclesiâ suâ pulsus Maximus Romam confugisset, impatienterque Orientales ferrent hujusce causæ cognitionem suscipi à Romano Pontifice & ab Episcopis aliis Occidentis ; non jus divinum jactant Episcopi Italici in Epistola quæ hac de re scripta est ad Theodosium Augustum, sed nequidem prærogativam sibi ullam arrogant : *non prærogativam vindicamus examinis*, inquiunt, *sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii.*

XI. Itaque ne prævaricator dicatur Innocentius

ipse III. si doctrinam fortè generalium Conciliorum Canonibus, decessorum suorum statutis, ipsique adeò veritati contrariam intrusisset : satius est longè benigniori quadam explicatione duriusculum ejus dictum temperare, illudque revocare omnino ad Concilii Sardicensis, decessorumque ipsius probabilem sententiam. Hoc autem aptissimè fiet, si dicamus jus divinum latiori quadam ratione ab eo usurpatum; Majoresque Causas institutione quadam divina ad Apostolicam Sedem referendas prædicari? quia sancti Patres, qui honorandam eo titulo divi Petri Cathedram censuerunt, moti sunt quadantenùs exemplo Christi, qui Ecclesiæ primatum Petro contulerat. Ipse enim Innocentius III. mentem suam interpretari videtur aliis in locis. Et primò quidem in Epist. 16. lib. 1. quæ est ad capitulum sanctæ Anastasiæ, ubi sic scribit : *Ex illo singulari excellentiæ privilegio, quod unigenitus ille filius Iesus Christus Apostolorum Princeps, Principi Petro concessit,* Sanctorum Patrum postmodum instituta manarunt, ut majores causæ ad Sedem Apostolicam perferrentur. Deinde in Epist. 48. quæ est ad Patriarcham Antiochenum: *Cum ex illo generali privilegio quod beato Petro, & per eum Romanæ Ecclesiæ Dominus noster indulsit,* Canonica postmodum manarunt statuta, continentia majores causas esse ad sedem Apostolicam perferendas.

Quâ ratione autem Canonica statuta majores

causas ad Apostolicam sedem deferendas præscripserint, jam sæpe docuimus, tum ex Innocentii I. sententia, *post Episcopale*, scilicet, *judicium*; tum ex Sardicensi ipso Canone, putà si dejectus Episcopus *putat se bonam causam habere.*

XII. Jam verò quòd ad usque Innocenti III. ætatem Canonica statuta nulla, nullaque legitima constitutio jus illud mutaverint; hoc ipsum alterum erat, quod probare ante suscepi, pauciſque jam exequor.

Agendo suprà de authoritate Gregorii VII. qui contra jus priscum de Episcoporum depositionibus pronuntiasse videbatur, legitima nulla potestate antiquo juri præjudicatum esse ostendi, ad usque saltem Pontificis illius tempora: jam ergo examinare fuerit satis num à Gregorio VII. ad Innocentium usque III. lex aliqua nova edita sit, quæ antiquorum Conciliorum regulis verè derogaverit.

Multa quidem hoc intervallo Concilia, eaque pleniora habita sunt. At ne ullum quidem de Episcoporum depositionibus novum quicquam edixit.

Anno Christi 1095. Urbanus II. plenarium veluti Concilium coëgit Claromonti; ubi Canones usque 32. conditi sunt de Ecclesiæ Fideliumque regimine; at ne unus quidem est de causis majoribus, Episcoporumve judiciis ac depositionibus.

Anno 1102. congregatum est Romæ Concilium à Paschali II. de investituris præsertim, adversùs Henricum V. Imperatorem: an vel ibi mentio ulla facta est de causis majoribus?

An Concilium Lateranense quod anno 1122. à Calixto II. coactum est: an alterum Lateranense cui Innocentius II. præfuit: an tertium denique quod ab Alexandro III. congregatum est, legem ullam novam de Majoribus Causis, speciatimque de Episcoporum depositionibus condidêre?

XIII. Ne Innocentius quidem ipse III. in Concilio 4. Lateranensi cui præfuit, graviorum negotiorum cognitionem primam Sedi suæ vindicat, immò verò cap. 5. quò antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantur, non modò causarum omnium cognitio Patriarchis permittitur, sed & appellationes quoque illis speciatim tribuuntur: modò tamen à suis ipsi judiciis ad Apostolicam sedem provocari non vetent: *In omnibus autem provinciis eorum jurisdictioni subjectis, ad eos, cum necesse fuerit, provocetur: salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.* Capite autem sequenti Metropolitanorum Synodorumque Provincialium authoritas in excessibus cleri castigandis generatim renovatur, revocaturque disertè ad antiquam Patrum normam: *sicut olim à Sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis, cum suis suffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, Canonicas regulas, & maximè quæ statutæ sunt in hoc generali Concilio relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo.*

Igitur concludere jam licet non modò jus antiquum legitima nulla constitutione immutatum esse ad usque Innocentium III. sed ne ipsum quidem ei derogasse.

Quòd si tamen ipse fortuitò, vel alius aliquis Pontifex Canonibus antiquis derogasset, movere nos multùm non deberet ejusmodi derogatio: nam Innocentius III. in Epistola ad Cantuarienſem Archiepiscopum eam in rem sic pronuntiat: *Quæ in derogationem sanctorum Canonum attentantur, tantò potius infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò authoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit.* Minimè verò omnium Pontificis derogationibus, si quæ forent, moverentur Galli; utpotè quibus Oecumenicorum Conciliorum authoritas potior est, & antiquior.

§. II.

An è variis Canonum seu Decretalium collectionibus, quæ à temporibus Hugonis Regis editæ sunt, argumentum duci queat contrà mores antiquos Ecclesiæ Gallicanæ de Episcoporum judiciis ac depositionibus?

SYNOPSIS.

I. TRES opponuntur collectiones, Ivonis, Gratiani & Gregorii IX.

II. Collectio Ivonis vim legis nullam habet.

III. Si haberet, faveret & ipsa plurimùm; ut quæ ex ipsis Decretalibus Apocryphis contineat ea quæ antiquum jus sapiunt, & legitimas sanctiones quas prætendimus cõplectatur.

IV. Non dissimulandum quin Ivo Carnotensis in Gaufridi causâ propensior fuerit in Romanas partes; quid verò mirum? siquidem sua ipsius causa agebatur: quanquam neque id impunè tulit à Comprovincialibus Episcopis.

V. Collectionis Gratiani minima authoritas, cum & parùm accurata sit, Bellarmino teste, & privati hominis fœtus, ut arguit Antonius Augustinus.

VI. Deinde in ipsa collectione multa reperire est quæ antiquam judiciorum formam commendant.

VII. Collectio Gregorii IX. quæ objicitur nullam vim tribuit effato Innocentii III. quod continet.

VIII. Major est quidem authoritas hujus collectionis, quàm cæterarum; sed in Gallia saltem, ubi jus priscum semper prævaluit, vim legis obtinuisse illam non suadebitur.

IX. Neque juvat quicquam, quòd in Scholis Galliarum aliquibus prælegatur.

I. TRES

I. TRES maximè opponuntur collectiones, Ivonis Carnotensis, Gratiani, & Gregorii IX.

Ivo Carnotensis Burchardum Vvormatiensem imitatus collectionem novam instituit, anno circiter M. Cum verò ille collectionem suam auxerit non modò Imperialibus quibusdam legibus, sed apocryphis veterum Pontificum Epistolis, è quibus jus novum, de Episcoporum dejectionibus, constare nescio qui volunt; inde arguunt ipsi jus illud novum in Galliis receptum tunc fuisse, cum Ivonis collectio adornata est.

II. Si fortè Ivonis collectio Regis Christianissimi, vel Ecclesiæ Gallicanæ jussu edita esset, vel tandem authoritate quadam publica comprobata, speciem aliquam haberet ejusmodi argumentum: spectanda enim foret collectio illa veluti codex quidam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum comparatus; quique adeò leges contineret, quæ acceptiores Gallis tunc erant. Cum autem authoritate omni publica destituatur Ivonis collectio, sitque re ipsa privati hominis opus, qui non de republica vel Ecclesia ordinanda, sed potiùs de studii eruditionisque suæ edendo specimine cogitavit: non magni refert ad Ecclesiæ Gallicanæ probandum regimen, an Ivo Carnotensis apocryphas decretales in collectionem suam retulerit, an illas omiserit.

III. Quanquam tamen, si ejusmodi collectionis vis aliqua foret, cederet quidem tota in rem nostram: nam re ipsa Ivo Carnotensis ex apocryphis

Pontificum Epistolis ea descripsit quæ antiquo juri plus favebant, quæque finitiva tantùm judicia, solasque Episcoporum appellationes Apostolicæ Sedi tribuere videbantur. Partis 5. decreti cap. 244. ex Epistola Victoris ad Alexandrinos hæc refert: *Placuit, ut accusatus vel judicatus à Comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos ejus retractari negotium procuret, & dum iterato judicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur & ordinetur Episcopus &c.* Capite autem sequenti, Zephirini ad Episcopos Siciliæ hæc laudat: *Duodecim judices quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, à quibus ejus causa justè judicetur. Nec prius audiatur, aut excommunicetur vel judicetur, quàm ipsi per se eligantur, & regulariter vocato ad suorum* PRIMÒ *conventum Episcoporum, per eos ejus causa justè audiatur, & rationabiliter discernatur. Finis verò ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur.*

Ejusdem partis cap. 248. ex Epistola Felicis ad Episcopos Galliæ hæc refert: *Si quis autem judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari. Peregrina verò judicia generali actione prohibemus: quia indignum est, ut ab externis judicetur qui Comprovinciales, & à se electos debet habere judices.* Cap. 257. ex decretis Julii ad Orientales eadem refert quæ cap. 244. Victori tributa: *Placuit, accusatus vel judicatus à Comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet, &*

adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, &c. Cap. 260. ex Epistola Fabiani ad Hilarium hæc citat: *unde oportet, si aliquis Episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur qui sunt in provincia Episcopis. Quia non oportet accusatum alibi quàm in suo foro audiri: salva tamen in omnibus Apostolica authoritate;* ad quam nempe licet appellare. Cap. 261. eumdem Pontificem loquentem sic inducit eadem in Epistola: *si quis verò Episcopus judicem suspectum habuerit, & viderit se gravari, liberè sedem appellet Apostolicam: appellantem autem non habeat afflictio ulla, &c.*

Neque verò antiqua disciplina commendatur solùm in decreto Ivonis ex apocryphis Pontificum Epistolis, sed ex monumentis quoque legitimis conciliorum antiquorum. Caput 258. 5. partis desumptum est ex concilio Ispalensi: atque ita habet: *Si quis Episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices causa judicetur* (alii legunt, *finiatur*) *sive quos eis primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu elegerint.* Ejusdem partis caput 262. totum est ex concilio Carthaginensi: *Felix Episcopus dixit: Suggero 2. statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, à duodecim Episcopis, & Presbyter à septem Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, & Diaconus à tribus.* Denique caput 263. descriptum est ex concilio Antiocheno: *Si quis Episcopus de suis criminibus dijudicatur, & contingat*

de eo Comprovinciales Episcopos dissidere, cum judicatus aliis innocens creditur, reus ab aliis æstimatur: propter hujus ambiguitatis absolutionem, sanctæ Synodo placuit, ut Metropolitanus Episcopus à vicina provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant, & ut per eos simul & Comprovinciales Episcopos, quod justum visum fuerit, approbetur.

Qua, quæso, fronte Ivonis collectionem jactabat nuper personatus homo, quasi novo jure illa tota referta esset: cum è contrario faveat ubique antiquo juri, atque in id maximè intentus Ivo fuisse videatur, ut ex apocryphis ipsis Epistolis ea in primis delibaret, quæ antiquam judiciorum Episcopalium formam saperent magis ac referrent.

IV. Fateor quidem Ivonem Carnotensem in Gaufridi decessoris causa (quæ sua quidem erat) propensiorem paulò visum esse in Romanas partes: neque enim Gaufridi dejectionem, quæ à summo Pontifice præter ordinem, & contra Senonensis Archiepiscopi jura facta erat, acerrimè defendit modò: sed cum in Gaufridi locum suffectus is esset, ipsique Archiepiscopus Senonensis ob violata sua Coëpiscoporumque jura imponere manus recusaret, excessit è Regno, seque ad Urbanum II contulit: à quo quidem ordinari se passus est. Quis autem ex hoc facto arguere forsan velit contrà jus antiquum, moresque priscos Galliarum? Ivonis causa agebatur, ut jam dixi, siquidem in Gaufridi locum suffectus erat, nihil mirum itaque si Gaufridi dejectionem acriùs paulò tuitus est. Quis verò

ipsius prævaricationem utique excusset? cum antiqua jura moresque Patrios, tum in Gaufridi dejectione, tum in suimet ordinatione calcaverit, adrationes suas persequendas, assequendamque Episcopatûs dignitatem. Neque sanè Richerius Archiepiscopus Senonensis Metropoleos Provincialiumque Episcoporum jura impunè violari sic tulit: verùm, ut injuriam acceptam resarciret, Synodum Provincialem coëgit Stampis: ubi quidem tum de Gaufridi restitutione, tum de Ivonis dejectione agitatum est. Synodum illam memorat Ivo ipse in Epist. 12. quæ est ad Urbanum II. & quanquam ipsius verba hominem iratum ac penè impotentem arguant, ea tamen referre libet; ut nempe intelligamus, & quo animo in ea causa agebatur Ivo: & qui sensus erat Episcoporum Gallicanorum de depositione Episcopi à Romano Pontifice tum temporis attentata: *De cætero notum facio beatitudini vestræ quòd Senonensis Archiepiscopus consilio Parisiensis Episcopi infatuatus, adhibito sibi eodem Parisiensi Episcopo, & duobus aliis non dissimilis vecordiæ Meldensi, & Tricassino, hoc anno Stampis de ordinatione quam à vobis acceperam, me inordinatè satis accusavit, dicens me in Majestatem Regiam offendisse, qui à Sede Apostolica præsumpseram accepisse. Cum itaque consurgentur Gaufridum depositum contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, & in me depositionis sententiam proferre, Sedem Apostolicam appellavi, & decretis Apostolicis, quamvis ea nonnisi in futurum timerent, à sua præsumptione revocavi.*

Appellationem tamen nec prosequi taxaverunt, nec plenam pacem mecum habere voluerunt. Ex quibus quidem perspicuum est tentata esse à Summis Pontificibus Episcoporum judicia Ivonis ætate : sed & ei novitati Gallos majorum exemplo fortiter obstitisse.

V. Secunda collectio quæ objicitur ea est quæ Gratiani nomen præfert, quæque inscripta est, *Concordia discordantium Canonum.* Eam edidit Gratianus ad annum Christi 1151. sic feliciter quidem (ut erat sæculi illius eruditio) ut in scholis publicis prælegi meruerit. Quoniam autem in ea quoque collectione descriptæ sunt Epistolæ Pontificum apocryphæ, inde Adversarii nostri conciliatam ipsis authoritatem putant : atque ita jus novum arguunt prævalere.

Leviuscula sanè, immo & miserabilis oppugnatio ! Nesciunt scilicet qui hæc objiciunt Gratiani collectionem fartam esse scriptionibus quibusvis ; bonis, improbis ; legitimis, apocryphis ; ut mirum nihil sit, si affictas quoque Summis Pontificibus Epistolas comprehenderit. Bellarminus ipse Gratiani incuriam in lib. de scrip. Ecclesiast. sic notat, *Gratianus id unum habet, quod reprehendi posse videtur, quòd non habuit delectum auctorum, ex quibus decreta collegit.*

Quæ verò tandem fuit Gratiani authoritas ? an scilicet vir privatus, an monachus collectis à se scriptionibus vim legum dicatur addidisse ? Non ita quidem censuit Antonius Augustinus Archiepis-

copus Tarraconenſis, qui in præfatione ad pœnitentiale Romanum de Gratiano ſic habet: *Gratianus unius magiſtri & monachi perſonam gerens ea quæ refert, non majori pollere potuit efficere authoritate, quàm antea fuerint.*

Neque verò major authoritas Gratiani decreto contigit, ex quo à Gregorio 13. emendatum eſt: nam is quidem Pontifex in ſuo diplomate emendatum teſtatur juſſu ſuo Gratiani decretum: immo & illud jubet ſic typis mandari deinceps, ut expurgatum eſt: ſed illa vim habere legum nequaquam ſtatuit, quæ in illo deſcripta ſunt.

VI. Addo præterea, ne Gratianum quidem, qualis qualis ſit authoritatis, planè nobis in decreto adverſari: nam collegit etiam ibi longè plurima quæ antiquo juri valde conſentanea ſunt. Ac ne ab hypoteſi recedam, ex apocryphis ipſis Epiſtolis veterum Pontificum loca decerpſit quæ ad antiquam judiciorum formam accedunt propiùs, ut videre eſt in quæſtione tota 6. cauſæ 2. ubi cum veterum, tum recentiorum Pontificum teſtimonia adducit, quæ Epiſcoporum appellationes Apoſtolicæ Sedi tribuunt. Quòd ſi appellationes Romanæ Sedi vindicat Gratianus: itaque ſupponit ipſe prima judicia à judicibus ordinariis eſſe exercenda.

VII. Objicitur demum collectio Gregorii IX. Pontificis, qui ut ipſe ait in Epiſtola ad Doctores & Scholares Bononienſes, *diverſas conſtitutiones & decretales Epiſtolas prædeceſſorum ſuorum, in diverſa*

dispersas volumina, quarum aliquæ propter minimam similitudinem, & quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter sui prolixitatem confusionem inducere videbantur: aliquæ verò vagabantur extrà volumina supradicta, quæ tanquam incertæ in judiciis vacillabant, ad communem & maximè studentium utilitatem, in unum volumen, resecatis superfluis, providit redigendas. Est autem ejus collectionis authoritas omni exceptione major, inquiunt Adversarii. Neque enim à privata quadam persona, ut illæ aliæ de quibus hactenùs, sed à Summo Pontifice, Ecclesiæ universæ capite profecta est: qui scilicet Justinianum Imperatorem imitatus decessorum suorum statuta in meliorem formam redegit, ipsisque simul vim legum inditam voluit. Ita quippe, in diplomate ad Bononienses edicit Gregorius: *Volentes igitur ut hac tantùm compilatione universi utantur in judiciis, & in scholis, districtiùs prohibemus, ne quis præsumat aliam facere absque authoritate Sedis Apostolicæ speciali.* Cùm ergò hac in ipsa collectione probatum sit quoque effatum Innocentii III. qui Episcoporum depositiones, aliasque majores causas Apostolicæ Sedi, etiam institutione divina, voluit reservari: legis instar omnibus esse jam debet effatum illud Innocentii; à qua certè lege ne Galli quidem excipiendi sunt.

Innocentii III. effatum jam ante discussi, ostendique, ni fallor, quo sensu tolerabile illud esset, & quo sensu falsum ac intolerabile.

Non est autem conditio ejus mutata, eò quòd in

Gregorii IX. collectione insertum sit : ut ergò non inde plus habet veritatis, ita neque plus authoritatis consecutum est, nisi fortè ad legitimum tolerabilemque sensum reducatur qui superiori in paragrapho expositus est.

VIII. Ut autem generaliùs etiam argumento huic faciam satis, quod ab authoritate collectionis Gregorianæ videtur peti, non abs re erit inquirere hîc paucis quæ tandem sit collectionis ejus authoritas, maximè apud Gallos.

Certum est quidem collectioni huic plus deberi reverentiæ, quàm aliis illis collectionibus quæ à privatis fortè Doctoribus editæ sunt ; cum enim hæc Summi Pontificis, fidelium scilicet omnium parentis, nomen præ se ferat, majori sanè observantiâ ab omnibus excipienda est.

Verùm dubitare licet an compilatio illa vim legis ubique, speciatimque in Galliis eò consecuta sit, quòd Gregorius IX. eam in judiciis scholisque usurpandam imperaverit.

Dubitare enim primò quis posset, an Summi Pontificis eadem sit potestas in Ecclesia, quæ Imperatoris in ditione sua : ita ut quemadmodum iste decessorum suorum leges firmare potest vel refigere, augere vel minuere, atque uno verbo, ut libet, immutare ; ita ille anteriorum Pontificum constitutionibus addere vel detrahere, juraque tandem in Ecclesiis recepta invertere pro nutu possit. Ubi Justinianus juris civilis compendium, innovationemque in pluribus aggressus est, consilium

suum veluti excusat in prima præfatione ad Tribonianum, quia hanc Imperatoribus facultatem leges ipsæ concesserant : *Cum enim*, inquit, *lege antiqua quæ* REGIA *nuncupabatur, omne jus omnisque potestas populi Romani in Imperatoriam translata sunt potestatem, nos verò sanctionem omnem non dividimus in alias & alias conditorum partes, sed totam nostram esse volumus : quid possit antiquitas legibus nostris abrogare ?* Sed non facilè lex proferetur quæ similem potestatem Episcopo Romano fecerit, jusque omne Ecclesiasticum in eum unum contulerit : immo verò aliqua Pontificum testimonia suprà retulimus, possentque longè plura hîc referri, quibus ipsi Pontifices confitentur non esse penès se antiquas Ecclesiæ regulas invertere, decessorumve suorum sanctionibus derogare.

Hanc verò litem missam jam facio, quæ Adversariis forsan parùm arrideret : at expendere licebit : saltem an Gregorii I X. collectio in Galliis accepta sit. Hi sunt enim Gallorum mores, ut Ecclesiasticæ novæ leges sive è Pontificibus, sive etiam à Conciliis proficiscantur, apud eos non ligent, nisi Regia publicave authoritate receptæ sunt : atque eam ob rem Tridentinæ leges quæ de reformandis moribus editæ sunt, in Galliis nundùm valent, quia ibi nundùm admissæ sunt. Concordatorum lex è contrario apud eos valet, quia publicè olim recepta est, usuque confirmata.

At nemo probaverit Gregorii I X. collectionem receptam usquam fuisse, aut probatam in Galliis

publica aliqua authoritate. Quin potiùs ab illo ipso tempore quo vulgata est Gregorii IX. collectio, jus antiquum non semel publicè in Gallis prælatum est. Sanctus Ludovicus majorum suorum vestigiis insistens, jus commune laudat in pragmatica sua sanctione quæ paulò post Gregorii IX. collectionem edita est, resque Ecclesiasticas componi jubet ad antiquam normam Sanctorum Patrum, necnon & sacrorum Conciliorum. *Item promotiones, collationes, & dispositiones prælaturarum, dignitatum & aliorum quorumcumque beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum Regni nostri, secundùm dispositionem, ordinationem & determinationem* JURIS COMMUNIS SACRORUM CONCILIORUM ECCLESIÆ DEI, ATQUE INSTITUTORUM ANTIQUORUM SANCTORUM PATRUM, *fieri volumus & ordinamus.* In comitiis quæ regnante Carolo VI. Lutetiæ habita sunt de tollendo schismate, reformandisque Ecclesiæ moribus, unanimi procerum consensu statutum est revocanda esse cuncta AD SUAM ANTIQUAM LIBERTATEM, ET JURIS COMMUNIS DISPOSITIONEM. Non est itaque habita ulla ratio in Galliis juris illius novissimi quod Gregorii IX. collectione inducebatur.

IX. Non desunt ex Adversariis qui Gregorii IX. decretales eò in Galliis valere putent, quòd in scholis Galliarum aliquibus publicè prælegantur: at improba sanè ratio: nam & 6. liber decretalium Bonifacii, & jus omne civile, assiduè iisdem in scholis

præleguntur; Quanquam & 6. liber Bonifacii omninò à judiciis eliminetur apud Gallos, & major pars Galliarum non jure Civili utatur, sed legibus topicis ac municipalibus. Diu est autem quòd Philippus Pulcher Nubeculam istam edicti sui luce dissolverat; nam in Epistola quâ Academiæ Aurelianensi privilegia confert, argumentum ipsum quod opponitur, sic antevertit: *Non putet igitur aliquis nos recipere, vel progenitores nostros recepisse consuetudines quaslibet, sive leges, ex eo quòd eas in diversis locis & studiis regni nostri per scholasticos legi sinantur. Multa namque eruditioni & doctrinæ proficiunt, licet recepta non fuerint: sicut nec Ecclesia recipit quamplures Canones qui per desuetudinem abierunt, vel initio non fuere recepti, licet à studiosis in scholis propter eruditionem legantur.*

Itaque si decretalibus quandóque utantur Galli, id quidem faciunt, non quòd ab illis rationem juris sui petant, sed quòd earum fortè aliquæ moribus legibusque ipsorum consonent. Id verò apertè docuit illustrissimus ipse Marca lib. 3. cap. 6. *Enim verò*, inquit, *in Gallia, quod ad disciplinam attinet, decretalium constitutis locum damus, cum bona Romanorum Pontificum venia, quæ nostris rebus & utilitati publicæ accommodata sunt.*

§. III.

An facta seu exempla quædam depositionum, quæ authoritate Pontificia factæ dicuntur in Gallis ante concordata, jus antiquum illic extinctum esse persuadeant?

SYNOPSIS.

I. *CERTUM est exempla depositionum aliqua proferri posse à temporibus Hugonis quæ antiquo juri contraria sunt: sed non idcirco illud evertunt.*

II. *Nam legibus standum, non exemplis.*

III. *Deinde plura ejusmodi exemplorum nimis probant.*

IV. *Reliquisque adeo authoritatem abrogant.*

V. *Sed & hoc depositionum genus à Gallis improbatum testatur Goffridus Vindocinensis.*

VI. *Quæcumque judicia tentata sint in Gallis à Summis Pontificibus, jus Gallorum antiquum ea non everterunt.*

VII. *Etsi fortè rei nonnulli talibus judiciis acquieverint.*

VIII. *Iure tamen Romani Pontifices, scitantibus nempe vel conniventibus Metropolitanis, authoritatem suam in coërcendis Episcopis interponere potuerunt.*

IX. *Ita quidem fecit olim Alexander II. ut constat ex ejus Epistola ad Gervasium Archiepiscopum Remensem.*

X. *Ita posterioribus longè temporibus Ioannes XXII ut ex libello ejus liquet ad quosdam Galliæ Episcopos inscripto de finiendâ causâ Petri Episcopi Catalaunensis, qui libellus totus refertur, quia diserte probat antiquam judiciorum disciplinam tum tempora viguisse in Gallis, ne contradicente quidem Summo Pontifice.*

XI. *Duo & alia egregia monumenta referuntur quæ ad eandem causam pertinent, remque eandem confirmant. Alterum est Epistola Ludovici X. Regis ad Gazonem Laudunensem; alterum est Epistola Roberti Archiepiscopi Remensis.*

NFICIARI non possumus quin à temporibus Hugonis Regis Romani Pontifices nonnulli, præsertimque Gregorius VII. & Innocentius III. dejicere Episcopos in Galliis aggressi sint: quare si de factis agatur, aliqua sine dubio ab Adversariis proferri possunt, quæ antiquo juri contraria sint; an autem idcircò illud antiquatum?

II. Ita quidem videtur novi juris amasiis: at ne his quidem factis jus antiquum sublatum, libertatemve Gallicanam extinctam fuisse suadebunt.

Primò enim vulgatissimum est jurisperitorum effatum, *legibus standum esse & non exemplis*: quod utique tum obtinet maximè, cum à recepto legitimoque jure exempla deviant: atqui supra ostendimus leges in Galliis receptas de Episcoporum depositionibus alias non fuisse à Nicænis & Sardicensibus: itaque si quæ proferantur exempla, quæ ab istiusmodi legibus abhorreant, eorum ratio planè habenda non est. Ita judicavit olim Concilium 8. generale, ubi de Photii ordinatione agitatum est. Arguebatur Photii ordinatio quòd ex laico ordine statim ad Patriarchatûs culmen transvolaverat: cum verò Photius ordinationem suam tueretur exemplis variis quæ præcesserant, statutum est à Concilio non immorandum esse exemplis illis, quæ Photius ad-

ducebat, quia generalibus Ecclesiæ legibus contraria erant : *neque enim*, ut habet Concilum, actione *6. Particularia universalibus & generalibus principantur vel dominantur.*

III. Deinde verò exemplorum pleraque, quæ proferuntur à Grègorii VII. temporibus, nimis probant : cætera, ne probant quidem satis.

Probant quidem alia nimiùm : nam Summi Pontifices Episcopos reos è Galliis sæpenumerò Romam citaverunt, immò & Romæ judicaverunt; an scilicet exempla istiusmodi legem aliquam imposuisse Gallis quis contendat ? Aliàs quidem in partibus judices designaverunt, sed Clericos illos quandoque & monachos, ut ab Innocentio III. factitatum est ; an ideò fortè Galliarum Episcopos judicari etiamnum à monachis velit quis ac deponi ?

IV. Itaque unum exemplorum genus supereſt quod Adversarii nostri obtendant; earum nempe depositionum, quæ authoritate Pontificia factæ sunt non in urbe quidem, sed in partibus ; non à Clericis vel monachis, sed à judicibus idoneis, putà aut Episcopis aut Archiepiscopis. Ac reipsa quidem nova judiciorum forma, quam in Galliis valere optant, exemplis illis juvari videtur non parùm. Verùm quæro ab Adversariis, quare postremi hujus generis exempla plus habebunt ponderis apud Gallos, quàm alia illa quæ nobiscum respuunt? Ideo enim depositionum vel Romæ, vel à Clericis aut monachis in partibus decretarum exempla facilè prætermittunt.

quia antiquis Ecclesiæ regulis, atque adeò & moribus libertatibusque Gallicanis adversantur: at num & hæ quoque depositiones contrà Canones antiquos priscosque Gallorum mores apertè pugnant, quas authoritate sola Pontificia in Provinciis, per delegatos licet Episcopos, factas confitentur? Istane est scilicet disciplina Nicæna & Sardicensis, cui majores nostros tam religiosè, tamque constanter adhæsisse probavimus.

V. Sed & hoc quoque depositionum genus improbatum fuisse à Gallis, testis est, adversariis quidem minimè recusandus, Goffridus Vindocinensis Epist. 21. in qua scilicet Girardum Episcopum Engolismensem arguit ac ferè exagitat, quòd palàm dixisset habere se potestatem deponendi Episcopos, interclusâ etiam appellationis viâ ad Sedem Apostolicam: *quod me præsente*, inquit Goffridus, *etiam coram laïcis prædicastis: vos videlicet Episcopos deponendi habere potestatem, novum genus præsumptionis putamus: quia nulla ratione legatis Apostolicæ sedis conceditur, quod ad solius Romani Pontificis pertinet dignitatem. Sed si ita est, ut à vobis publicè prædicatum agnoscitur; quasi alterum Papam vos fecistis: & ad Romanam Ecclesiam*, QUAM NUNC USQUE IN SUA NECESSITATE LIBERE QUISQUE APPELLARE POTUIT, VOX APPELLATIONIS NEGATUR. *Nos tamen credebamus mediocritatem vestram legationem habere Sedis Apostolicæ, non Apostolicam Sedem esse: & à Domino Papa partem susce-*

pisse

pisse sollicitudinis, quam solummodò cæteri Legati suscipiunt, non plenitudinem exercere potestatis. Docet itaque Goffridus inusitatum sua usque tempora fuisse in Galliis, ut Summorum Pontificum Legati Episcoporum graviores causas finirent, interdicta ad Apostolicam Sedem appellatione. Ex quo conjicimus non plus tributum fuisse Legatis illis Summorum Pontificum, quàm olim tribuebatur ipsorum Vicariis, qui ab hoc maximè destinabantur, quemadmodùm suprà ostendimus, ut Canonum executionem procurarent, Synodosque ipsi cogerent, si fortè Metropolitani officio suo deesse viderentur. Hoc utique persuadet quod de appellandi facultate adjicit Goffridus: nam, si tunc usque, ut ait, libera cuique fuit provocatio ad Apostolicam Sedem, etiam ubi adfuêre Legati Summi Pontificis; sanè Metropolitanorum Synodorumque provincialium jurisdictionem vigere tum oportuit, à quorum nempè judiciis ad Apostolicam Sedem esset appellatio: si enim Legatorum potestas eadem fuisset, quæ Summorum Pontificum, ab eorum certè judiciis nequaquam esset appellatum: neque enim ab eodem jurisdictionis gradu usquam provocatur.

VI. Demum quæcunque tandem facta proferantur, probabunt illa quidem Romanorum quorumdam Pontificum ausus, qui scilicet fictis decessorum suorum decretalibus nimiùm credentes isthæc aggressi sunt: sed jus novum in Galliis nusquam constituent; nisi simul ostendatur Ecclesiam Gallica-

nam obsecutam fuisse illorum voluntati, abdicatoque antiquo jure, novum illud quod invehebant acceptasse: id verò quis nusquam sanè probaverit.

VII. Dicent fortè Episcopos Galliarùm nonnullos judiciis ultrò acquievisse, quæ contrà se Romani Pontificis authoritate lata erant: atque ita jus novum à Gallis reipsa esse acceptatum. Sed, ut ex Concilio Generali octavo jam ante observatum est, *particularia quædam generalibus & universalibus non dominantur*: itaque ex particularibus quibusdam factis generalem Gallorum legem ablatam esse perperam quis concludat. Quanquam ne particularia quidem illa facta antiquo juri quicquam præjudicant: nam si Episcopi fortè aliqui scelerum suorum conscientiâ victi judicari se permiserint à Legatis Summorum Pontificum, non contradicentibus quidem judicibus eorum ordinariis, quid inde quæso contrà jus antiquum? Numquid enim & prisci Canones Episcopis potestatem faciunt eligendi quos lubet judices, illorumque judicio acquiescendi? Quod si autem Episcopis illis ad judices suos ordinarios remitti se postulantibus denegata hæc venia fortè fuisset; si invocati ab illis Metropolitani, juri suo renuntiassent, plus sanè urgerent privata ejusmodi exempla: at ne tale quidem unum hactenùs prolatum est? immò verò monumenta plura supersunt generosæ obsistentiæ cum Episcoporum, tùm verò maximè Archiepiscoporum Gallicanorum: quos quidem in-

ter, si primas olim tulit Hincmarus Remensis in causa Laudunensis Episcopi, secundæ certè Richerio Senonensi denegandæ non sunt, qui in causa Goffridi Carnotensis, in difficillioribus quidem longè temporibus, nihil minùs tamen fortiter antiqua Metropolitanorum Synodorumque jura visus est propugnare.

VIII. Attamen si quando Metropolitani vel in suffraganeorum suorum sceleribus connivere visi sunt, vel certè ob fusum latiùs malum nimiamvè fortè corruptelam emendandis illis impares extiterunt; haud immeritò sanè Apostolicæ Sedis tum adfuit authoritas, ad quam nempè spectat cæterorum Episcoporum excitare vigilantiam, immo & eorum implere vices, si fortè deficiant. Atque ita quidem Summi Pontifices Legatos plerumque in Gallias transmiserunt, non qui Metropolitanorum jurisdictionem opprimerent, sed qui vel juvarent potiùs, vel etiam quandóque supplerent.

IX. Ita quondam Alexander II. cum simoniaca lues per Gallias latè grassaretur, malumque ad usque Archiepiscopos pertinuisset, Episcopos quosdam ejus criminis reos dejici curavit in Galliis; quod quidem ideò aggressus est, quia Metropolitani officio suo non fungebantur: id enim ipse significat in Epistola quæ est ad Gervasium Archiepiscopum Remensem: *Pestem simoniacam*, inquit, *quæ hactenùs vestris in partibus, quasi timida serpere solebat, nunc caput acceptmus extulisse, & gregi dominico, tam timore quàm pudore remoto, gravissimam*

jacturam instantissimè inferre. Unde non mediocri mœrore afficimur : quippe qui nobis creditos & Christi sanguine redemptos, quorumdam perversitate, perire videamus. Quod totum sanè Archiepiscopis imputamus. Nemo enim simoniacus emptionem iniret, si se consecrandum fore desperaret. Sed quia Archiepiscopi sine discretione consecrant, multi indiscretè ad Episcopatus aspirant. Verùm cùm tempus acceperimus, adjutore Deo & de consecratis & de consecratoribus justitias judicabimus. At verò audito tuo erga sanctam Religionem bono studio, non modicè gaudemus quem strenuum cultorem ità in vinea Domini operari audivimus, ut nulla simonis propago in ea, quantùm ad te attinet, radicare possit. Et quamquam ammonitione non videaris egere, te tamen ammonemus, atque præcipimus, ut Iosselinum Suessionensi Ecclesiæ non consecres Episcopum, qui Archidiaconatum simoniacè obtinuisse non contentus, Episcopari etiam pecuniâ contendit. Belluacensem autem Episcopum, quem res Ecclesiasticas & populum Dei atrociter disperdentem audivimus, si verum est, jubemus ità virgâ sanctæ authoritatis ferias, ut cæteri, si qui sunt similes ejus, exemplo corrigantur. Porrò Ambianensis Episcopus à nobis ammonitus, ab injuria Corbeiensi Abbati illata, non veritus nostram authoritatem, non modò non desistit, verùm etiam in dies eam multiplicat. Quare utrumque ad te cùm maturiùs convoces, eorum contentioni finem canonicè impositurus. Quod si per te nequiveris, rem totam ad Sedem Apostolicam tempestiviùs per Epistolam referas, ut Apostolica authoritate

hæc contentio ſopita conquieſcat. Hæc agas & aliis quoque Eccleſiæ utilitatibus hortamur inſervias : ut laboris tui Dominum Ieſum quandóque habeas largiſſimum retributorem, & noſtram erga te benevolentiam ſentias certiorem.

Ex hac Epiſtola colligimus primò ſolâ Metropolitanorum oſcitantiâ excitatam fuiſſe vigilantiam Alexandri II. Pontificis.

Colligimus 2°. tantùm abeſſe ut voluerit ipſe eripere juriſdictionem Archiepiſcopis Gallicanis, ut potiùs Gervaſio Archiepiſcopo Remenſi gratuletur, quòd ipſe à ſua Diœceſi ſimoniacos abeſſe jubeat: ipſumque admonet ut in Epiſcopos aliquos ſuæ provinciæ qui rei habebantur animadvertat, ipſoſque *virgâ ſanctæ authoritatis feriat*. Ita enim ſcribit Alexander.

Colligimus 3°. tum tandem imperare Alexandrum Epiſcoporum illorum cauſas ad Apoſtolicam Sedem remitti ; ſi per ſe Gervaſius dirimere eas non potuerit : *quod ſi per te nequiveris*, inquit, *rem totam ad Sedem Apoſtolicam tempeſtiviùs referas, ut Apoſtolica authoritate hæc contentio ſopita conquieſcat.*

X. Ita quoque Joannes XXII. in poſterioribus longè temporibus libellum deſtinavit ad quoſdam Galliæ Epiſcopos, ut Petri Epiſcopi Cathalaunenſis cauſæ finem imponerent, quæ à Roberto Archiepiſcopo Remenſi inchoata, veluti deſerta & indiſcuſſa remanebat, ob alia ſcilicet negotia quibus Archiepiſcopus ille implicitus detinebatur.

Joannis XXII. libellus extat in Chartophylacio Regio: ejusque copiam mihi fecit immensæ vir eruditionis M. Antonius Faure Theologus Parisiensis. Quoniam autem discertis verbis continet quod proposui, opportunè hîc adscribetur, neque opportuniùs forsan in lucem primò venire poterat.

Ioannes Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Biturisensi & Laudunensi, Ambianensi & Mimatensi Episcopis salutem & Apostolicam Benedictionem. Productio pridem ad nostrum auditum, quòd per venerabilem Fratrem Archiepiscopum Remensem, ad Provinciale Concilium ad hoc specialiter congregatum, super nonnullis articulis enormia & detestabilia scelera & facinora continentibus exercenda contra venerabilem Fratrem nostrum Cathalaunensem Episcopum ejusdem Archiepiscopi suffraganeum dudùm exhibitis, ipsius Episcopi detentâ personâ, processus extiterat inchoatus: Nos quia idem Archiepiscopus suis & Ecclesiæ sibi commissæ agendis implicatus, & nihilominùs aliis, ut ponebatur, personalibus excusationibus præpeditus, dicti processus perfectioni nequibat intendere: vobis, Fratres Ambianensis & Mimatensis Episcopi, necnon venerabilibus Fratribus nostris Cameracensi & Attrebatensi Episcopis per alias nostras certi tenoris litteras duximus committendum, ut vos vel tres ex vobis dicto processu in eo statu resumpto, in quo illum Archiepiscopus & Concilium præfati demiserant, suppleretis, quicquid foret & videretis supplendum in illo, inquisituri contra dictum super sceleribus & facinoribus antedictis, &

aliis de quibus adversùs eum publica laboraret infamia, prout justum esset, ex officio, summariè & de plano, sine strepitu judicii & figura: ac quicquid per inquisitionem prædictam vos inde reperire contingeret, vel aliàs totum processum & inquisitionis negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remissuri. Verùm quoniam, sicut audivimus, propter absentiam & occupationes alias prædictorum Cameracensis & Attrebatensis Episcoporum collegarum nostrorum, vos Ambianensis & Mimatensis Episcopi non potuistis ad præmissa procedere: Nos attendentes civili non esse consonum rationi, ut idem Cathalaunensis Episcopus per detentionem personalem diutiùs affligatur, cum id Innocentibus miserum, & noxiis censeatur non satis esse severum: & proinde negotium volentes hujusmodi per vos Archiepiscopum & Episcopos, aut duos ex vobis, nulla super hoc ad Sedem prædictam facienda remissione, justitia meditante decidi; ut vel Episcopum ipsum juxta exigentiam commissorum plectatis pœnâ canonicâ, si erit inde culpabilis: aut debitè absolvatis eumdem & plenariè liberetis, si à culpa reperiatur immunis: fraternitati vestræ de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenùs vos vel duo ex vobis, dicto processu in eo statu resumpto, in quo illum Archiepiscopus & Concilium antefati demiserant, suppleatis quicquid supplendum videritis in eodem; & nihilominùs super sceleribus prædictis & facinoribus, ac aliis de quibus adversùs Episcopum ipsum publica laborabit infamia summariè & de plano, sine strepitu & figura judicii, ex

officio, pro ut justum fuerit, inquirentes diligentiùs veritatem ad absolutionem debitam ac plenam liberationem, aut punitionem canonicam, juxta inquisitionis merita, cum maturitate debita, justè & debitè, authoritate Apostolicâ procedatis. Testes autem, si sè odio, gratiâ, vel timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Et quia lite pendente non debet bonis Episcopatûs omninò carere: volumus & mandamus, ut vos vel duo ex vobis eidem Episcopo interim faciatis pro suis necessitatibus de bonis provideri prædictis, aliquam seu aliquas fideles deputaturi personas, quæ bona ipsa recipiant, & de illis sibi provisionem faciant competentem, residuum pro illo vel successore suo integrè ac fidèliter servaturæ. Ne autem negotium ipsum, quod expediri cum celeritate debita cupimus, diutiùs impediri vel differri contingat: volumus atque decernimus, ut quæcunque per duos ex vobis incepta fuerint in præmissis omnibus & singulis, alii duo resumere, ac prosequi valeant & finire: & quandocunque & quotiescunque duos vel unum ex vobis impediri continget, reliqui duo vel unus in illorum, vel illius locum sint, & censeantur authoritate præsentium surrogati, & inceptis & non inceptis, ut præmittitur, prævia ratione procedant. Datum Avenione 12. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Ex hoc libello inferre est primò Archiepiscopum Remensem Episcopi Cathalaunensis causam in Concilio Provinciali priùs agitasse, quàm Joannes XXII. de illa statueret.

Inferre

Inferre est secundò Joannem XXII. non alia ratione motum fuisse ad nominandos delegandosque judices qui Episcopi Cathalaunensis inceptam causam finirent, quàm quòd Archiepiscopus Remensis, *agendis aliis implicitus dicti processus perfectioni nequibat intendere; ac ne per detentionem personalem Episcopus ille diutiùs affligeretur:* ipsa sunt enim libelli verba.

Unde concludendum est tandem ætate illa viguisse in Galliis antiquam judiciorum Episcopalium normam, ne contradicente quidem Summo Pontifice: neque enim Joannes XXII. in libello suo conqueritur, quòd Archiepiscopus Remensis aliique Episcopi Gallicani cognitionem primam istius causæ in Concilio susceperant: sed, si quæ sit querelæ ratio, in eo est potiùs, quòd inceptum canonicè judicium ipsi non persequerentur.

XI. Dominus Lucas Dacherius in spicilegii sui tomo 4. illustria duo monumenta suppeditat, quæ ad Episcopi illius Cathalaunensis causam spectant. Alterum est diploma quoddam Ludovici X. Francorum Regis, quo Gazonem Episcopum Laudunensem ire jubet Silvanectum, ubi Episcopi Cathalaunensis causa examinanda erat. Alterum, Epistola Roberti Archiepiscopi Remensis, quâ Episcopos etiam aliarum Provinciarum rogat, uti Silvanectum ob eandem causam velint convenire. Utrumque exscribo, quia utrumque abundè id probat quod contendebam, scilicet, etiam Joannis XXII. ætate antiquam judiciorum Ecclesiastico-

tum disciplinam stetisse in Galliis, Synodosque Provinciales tum adhuc, ut olim, ad judicandos Episcopos, etiam adjuvante Rege, fuisse convocatas.

EPISTOLA LUDOVICI X. REGIS FRANCORUM GAZONI EPISCOPO LAUDUNENSI.

LUDOVICUS Dei gratiâ Franciæ & Navarræ Rex dilecto & fideli nostro Gazoni Episcopo Laudunensi, salutem & dilectionem. Cum, sicut accepimus, dilectus & fidelis noster Archiepiscopus Remensis pro examinatione quorumdam criminum, super quibus apud eum Petrus Episcopus Cathalaunensis his diebus delatus extitit, certo indigeat Episcoporum numero secundùm canonicas sanctiones, ac hujusmodi negotium personam nostram plurimùm tangere dignoscatur: Vos attentè requirimus & rogamus, vobis etiam sub debito fidelitatis, quâ nobis tenemini, tenore præsentium injungentes, quatenùs Silvanecti sextâ die instantis mensis Augusti, dicto Cathalaunensi Episcopo per eundem Archiepiscopum ad respondendum criminibus assignatâ, juxta requisitionem ipsius Archiepiscopi personaliter interfitis: ita quòd propter vestri defectum (quod absit) nequeat præfati examinatio negotii retardari. Datum Parisiis 10. *die Iulii, anno Domini* M. CCCXV.

EPISTOLA ROBERTI ARCHIEPISCOPI REMENSIS.

REVERENDIS in Christo Patribus Dominis Rothomagensi, Senonensi, Bituricensi, Lugdunensi, Archiepiscopis; Parisiensi, Aurelianensi, Carnotensi,

Eduensi, Lingonensi, Meldensi, Antisiodorensi, Nivernensi, Claromontensi, Mimatensi, Lemovicensi, Bethlemitano, Bajocensi, Lexoviensi, Constantiensi, Ebroïcensi, Briocensi, Macloviensi, Cenomanensi, Andegavensi, Pictavensi & Santonensi Episcopis: Robertus permissione divina Remensis Archiepiscopus salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum nostrum Provinciale Concilium à nobis & quibusdam suffraganeis nostris, ac nonnullis aliarum Provinciarum Episcopis, pro causa venerabilis Fratris Petri Cathalaunensis Episcopi cœptum, suffraganeorum, & aliorum Episcoporum consensu unanimi ex certis, & evidentibus causis tunc immincntibus, usque ad nuper præteritam quintam decimam diem præsentis mensis Maii prorogassemus; & quia ipsâ die quintâ decimâ, & aliis duabus sequentibus diebus, Episcoporum numerum, qui juxta canonicas sanctiones necessariò requiritur in hac causa, non potuimus habere completum propter aliquorum vestrûm, & suffraganeorum nostrorum ad hoc convocatorum absentiam, & canonicum impedimentum; virtute prædictæ prorogationis, iteratò dictam quintam decimam diem mensis Maii ad diem Lunæ post instans festum Beatæ Mariæ Magdalenæ apud Silvanectum eo jure, quo potuimus, continuavimus, & assignavimus, ac dicto Episcopo Cathalaunensi, & hujusmodi negotio assistenti præsentibus coram vobis eamdem diem & dictum locum assignavimus, eosdem personaliter citantes ad procedendum in hujusmodi negotio secundùm anteacta & agenda, ut jus erit, prout in processu super hoc confecto hæc & alia plenius continentur: Paternitates vestras, ne hujusmodi causa deserta, rema-

neat, vel forsitan indiscussa, in juris subsidium requirimus & rogamus, quatenus dictis die & loco cum diebus sequentibus ad hoc necessariis, quandiu dicto negotio fuerit insistendum, in eodem Concilio nobiscum, & cum suffraganeis nostris, quos ob hanc causam citari decrevimus ac etiam convocari, personaliter intereresse curetis ad resumendam dictam causam & processum ejus secundùm retroacta, & agenda, & ad procedendum ulteriùs justitia mediante. In signum receptionis harum litterarum nostrarum sigilla vestra præsentibus apponatis. Datum sub sigillo nostro, anno Domini MCCCXVI. *die Lunæ ante Ascensionem Domini.*

Certè prolatis istis monumentis obmutescere præ pudore debent qui à temporibus Hugonis Regis & Joannis XV. fictarum jus decretalium in Galliis valuisse clamitant: siquidem quatuor ferè post sæculis, iisque ipsis temporibus quibus Summorum Pontificum authoritas ubique præpollebat, antiqua disciplina religiosè à Gallis observata est. Nam & à Ludovico Rege, & à Roberto Archiepiscopo Remensi expresè is numerus judicum desideratus est, qui in Episcoporum finiendis causis, *juxta Canonicas sanctiones necessariò requiritur*: Quænam verò sunt Canonicæ illæ sanctiones quæ Judicum numerum statuunt, qui Episcoporum finiendis causis intersint, nisi anteriorum illorum Conciliorum, unde vetusti Gallorum mores reipsa profluxere?

ARTICULUS XI.

De temporibus quæ Concordatorum legem secuta sunt.

SYNOPSIS.

I. *DE mente & interpretatione Concordatorum nihil additur iis quæ articulo tertio fusè tractata sunt.*

II. *Quæ quidem confirmantur usu qui deinceps secutus est: nam quoties ab initis Concordatis Romani Pontifices judicare voluerunt Episcopos aliquos Galliarum, toties intercessum est, vel à Rege ipso Christianissimo, vel à Clero Gallicano, Episcopisve accusatis.*

III. *Ita intercessit Carolus IX. ubi Pius IV. quinque Episcopos ob Lutheranam gravitatem dejicere aggressus est.*

IV. *Ita eodem regnante Principe Uceticensis & Valentinus Episcopi à Pii IV. judicio contra se lato ob abusum ad Regium tribunal provocarunt.*

V. *Responsio quam adhibent nonnulli planè futilis est & seipsam jugulans.*

VI. *Opponuntur tria alia facta seu exempla.*

VII. *Primum, Anicienſis scilicet Episcopi, nihil contrà jus commune facit, utpote cum singulari privilegio Apostolicæ Sedi obnoxium se immediatè præfert Episcopus Anicienſis.*

VIII. *Secundum, Archiepiscopi nempe Lugdunenſis, non plus juvat, cum ipse primatialis dignitatis ratione Papam unum agnoscere judicem voluerit.*

IX. *Tertium, scilicet Episcoporum quibus procurante Richelio Cardinali Iudices ab Urbano VIII. delegati sunt, nihil habet ponderis: tum quia singulare est omninò; tum*

quia fortiter intercessit Clerus Gallicanus, ubi primùm libertas fuit.

X. *Referuntur acta Cleri Gallicani circa hoc negotium.*

I. FUSE' ostendi in articulo 3. hujusce dissertationis disertam legem nullam saltem quæ nova esset, in Concordatorum cap. *de Causis* latam de Episcoporum depositionibus : atque adeò intactum superfuisse jus illud quod ante de illis in Gallia usurpabatur. Quin & probavi, ni fallor, interpretando paragraphum *quod si ii*, cap. *de publicis concubinariis*, antiquam potestatem judicandorum Episcoporum assertam fuisse Conciliis Provincialibus, quâ parte scilicet jubentur *omnibus modis & condignâ pœnâ* animadvertere in prælatos qui publicos concubinarios punire neglexerint.

II. Ad horum autem confirmationem lustrare jam oportet ea tempora quæ Concordatorum initam legem secuta sunt : nam, si quod fortè dubium superfit de vero legitimoque Concordatorum sensu, id planè solvetur explicato usu qui deinceps in Galliis invaluit. Si enim Ecclesia Gallicana ab illo tempore Episcopos suos Romani unius Pontificis authoritate judicari ac deponi patienter tulit; credendi locus erit fuisse hanc mentem Concordatorum, sicque à Gallis ipsis fuisse intellectam. Sin è contrario quoties Romana curia primam Episcopalium causarum cognitionem trahere ad se voluit, toties publicè à Gallis reclamatum est, inde om-

ninò confirmabitur quod intendebam suprà, scilicet Concordatorum lege nihil quicquam detractum esse antiquo juri, priscosque adeò Gallorum mores intactos supereſſe.

* Atqui audacter dicam Episcopum Galliarum nullum ab initis Concordatis depositum fuisse authoritate Romani unius Pontificis, quin juridica aliqua interceſſio acceſſerit, sive à Rege ipso Christianissimo, sive ab Ecclesia Gallicana, sive demum ab illis Episcopis qui fortè accusabantur.

III. Nota est inprimis Caroli IX. Francorum Regis interceſſio, ubi Pius IV. Episcopos quinque Gallicanos, qui Lutheri pravitati favere dicebantur, dejicere aggressus est: jussit nempe Rex Christianissimus legatum suum Dominum Loysel, qui tum Romæ agebat, expostulare graviter apud Papam quòd ipse contrà regni sui jura, contraque Ecclesiæ Gallicanæ libertates ejusmodi judicium susceppisset. Commentaria etiamnùm extant inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, qualia hac de re à Domino du Mesnil Advocato Regio Catholico Regis ipsius jussu adornata sunt, quæque Romam deinceps transmissa fuêre ad Oratorem Regium, Papæ communicanda.

In his porrò Commentariis judicandos esse Episcopos à Metropolitanis & Comprovincialibus propugnatur, tum ex Conciliorum antiquorum Canonibus, tum ex ratione ipsa libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. De antiquis quidem Conciliis ita ibi habetur: *De ce beau & heureux temps furent*

tenus plusieurs Conciles de l'Eglise, esquels fut ordonné que les Evêques des Provinces seroient seulement châtiez & punis, quand le cas écheroit, par les Comprovinciaux sans subjection d'aucun Superieur universel. Tum citantur Concilia antiqua, *Orientalia & Africana.* Hunc verò judicandi morem retentum semper fuisse in Galliis, authoritate ipsa Regia, infrà significatur, cum inter præcipua capita libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quæ Christianissimi Reges tuiti sunt, quartum hoc profertur : *En quatriéme lieu, n'ont permis que pour les causes Spirituelles & Ecclesiastiques, leurs subjets de quelque qualité qu'ils fussent, allassent plaider à Rome en premiere instance, ou par appel; ains ont obtenu que les causes susdites concernant leurs vie, honneur & biens, fussent traitez par deçà devant leurs Iuges ordinaires ordonnez de* DROIT & PAR CONCILES: *& en cas d'appel subjets à ressort à Rome, pardevant Iuges deleguez du Pape en la part du Royaume, connoissans plus ou autant en puissance ordinaire, que déleguée que l'on dit Apostolique.* CE QUE PAR SPECIAL S'EST GARDÉ POUR LA CORRECTION OU PUNITION DES EVESQUES OU AUTRES TELLES DIGNITÉS, *quand le cas est écheu, & l'occasion l'a requis.*

Ita scilicet viri Regii, qui ferè Concordatorum testes fuerunt, Episcopalium judiciorum formam ex antiquis Canonibus repetendam censent : non autem ex Concordatis ipsis, quibus è contrario innovatum hac de re nihil fuisse clarè sic pronuntiant.

tiant. *Le Roy François I. de ce nom traita un Concordat avec le Pape Leon X. du consentement de l'Eglise de France, en l'an 1517. par lequel furent renouvellez les principaux articles de la pragmatique sanction*, ET MESMEMENT CELUY QUI PARLE DES CAUSES, *& n'y eut innovation que de celuy des élections des Prelatures.*

Et sanè his momentis sic effecit Christianissimi Regis Orator apud Papam, ut ipse à suscepto tandem recesserit.

IV. Carolo eodem regnante Pius idem IV. duos alios Episcopos Galliæ, unum Uceticensem, alterum Valentinum deposuit, missis etiam in Gallias litteris ad judicii sui executionem. Uterque Episcopus, benè quidem consultus, à Pontificis judicio ad authoritatem Regiam ob abusum provocavit, suasque utrique litteras provisionis, ut aiunt, Carolus concessit: quarum quidem exempla legere est quoque in primo tomo probationum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ pag. 418. 419. & 420. Commemorabo hîc tantùm rationes quibus motum se dicit Francorum Rex ad litteras tuitionis Episcopis illis impertiendas. Ita quidem loquitur in eis quæ Episcopum Ucetiçensem spectant: *Outre plus seroit telle chose contre les saints Decrets & constitutions Ecclesiastiques de Constance, de Vienne & de Basle receus en France, & dont nos predecesseurs & nous avons toûjours esté protecteurs. Seroit aussi contre les droits, franchises & libertez de l'Eglise de France, desquelles nous sommes conservateurs.* In aliis

autem litteris quæ sunt in gratiam Episcopi Valentini, capita ipsius appellationis sic referuntur: *Pour le premier nous remonstra, que par les Conciles de l'Eglise, & même par l'un des quatre Generaux, il est expressément ordonné que les Evêques pour quelque crime que ce soit, ne doivent estre tirez hors de leur Province, par quoy à plus forte raison, il maintenoit ne pouvoir estre tiré hors nostre Royaume: & l'autre chef de son appel contenoit, que de toute ancienneté l'Eglise Gallicane a toûjours gardé les anciens Canons & determinations des premiers Conciles de l'Eglise, laquelle observation des anciens Canons, ainsi inviolablement observée, a esté appellée privilege de l'Eglise Gallicane, & que à cela auroient tenu la main les Rois nos predecesseurs avec leur authorité, si bien qu'ils n'ont voulu endurer que lesdits privileges ayent esté violez, revoquez, ny mis en disputé, & pour ce chef auroit pour lesdites procedures dès lors pardevant nous appellé comme d'abus.*

V. Reponet fortè quispiam expostulationis rationem tùm Carolo Regi, tùm Episcopis Gallicanis fuisse, quòd Romanus Pontifex Episcopos Galliarum judicassetRomæ, cùm eos in Provinciis judicandos Ecclesiæ nostræ libertates postularent. Verùm quæ mens Regis esset clariùs explicatur in Commentariis compositis à Domino du Mesnil Advocato Regio, quàm ut responsio ista locum habeat: res enim ibi ad Normam Sardicensem tota redigitur. Deinde in litteris illis appellationum, quarum fragmenta jam referebamus, liber-

tatem suam Uceticensis & Valentinus Episcopi apud Regem deffendunt authoritate Conciliorum antiquorum : at Concilia illa antiqua non decreverunt modò judicandos esse Episcopos in suis Provinciis, sed & à suo Metropolitano suisque Comprovincialibus : quare futilis est omninò responsio ista, & à pueris ipsis, si fortè afferatur, sibilanda.

VI. Opponunt nihilominùs adversarii facta nonnulla posteriora concordatis, quæ, ut ipsis videtur, Episcoporum judicandorum facultatem in uno Romano Pontifice agnitam esse à Gallis persuadent. Præcipua verò tria sunt.

Primum est Episcopi cujusdam Anicienſis, qui interrogatus de conspiratione Ducis Borbonii, cujus particeps cum Episcopo Augustodunensi ferebatur, respondere abnuit Regiis Commissariis, sed remitti se petiit ad Summum Pontificem, cui immediatè se subjici professus est.

Secundum est Archiepiscopi Lugdunensis ; qui, ut Guisiorum factioni addictus erat, in Comitiis Blesensibus Henrici III. mandato de scelere interrogatus est, modò quidem ab Episcopo Bellovacensi Pari Franciæ, modò à Cardinale Gondio, modò à judicibus Regiis : at omnium jurisdictionem declinans ipse fortiter asserui alium se non cognoscere Judicem, præter Apostolicæ Sedis Episcopum.

Tertium denique factum est Eminentissimi Cardinalis Richelii, qui, vel nostris temporibus, Epis-

copos ex Aquitania & Aremorica majestatis reos authoritate Pontificia, & per Judices, ut aiunt, in partibus delegatos, ne obsistente quidem Clero Gallicano, dejici procuravit.

VII. Ad Anicienſis Epiſcopi factum eximiè jam reſponſum eſt à viro quodam eruditiſſimo juxta & Gallicæ libertatis amantiſſimo : qui quidem demonſtravit ex eo facto inferri nihil poſſe adversùs communem Gallorum legem : cùm enim reipſa Anicienſis Epiſcopus ſingulari quodam privilegio Apoſtolicæ uni Sedi obnoxium ſe immediatè glorietur, nihil mirum eſt, ſi ejus exceptionis ratio utcunque habita eſt. Sed & obſervare hìc juvat requiſitum fuiſſe in illa cauſa à Triumviro Regio, uti cogerentur accuſati Epiſcopi (neque enim ob conjunctum crimen Anguſtodunenſis Epiſcopi cauſa ſejuncta eſt) reſcriptum à Pontifice obtinere, quo Judices ipſis delegarentur; alioqui ſecundùm Conciliorum Canones ad Metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum forum ambo remittendos : Ex quo quidem credere eſt Advocatum Regium ſolo Anicienſis Epiſcopi privilegio ad hunc requirendi modum converſum eſſe : ſiquidem agnoſcit ipſe Metropolitanum & Comprovinciales ordinarios eſſe Epiſcoporum Judices, eoſque Canonibus Conciliorum deſignatos. Quanquam ne ad hanc quidem requiſitionem Senatuſconſultum ullum emiſſum eſt : ſic nempe providè timuit Senatus, ne etiam ſingulare exemplum aliquando contra libertates Gallicanas proferretur.

VIII. Exemplum Archiepiscopi Lugdunensis nihil magis favet adversariorum causæ. Neque enim Archiepiscopus ille vel concordata causatus est, vel recentem fictarum decretalium disciplinam : sed ideò ad Apostolicam Sedem remitti se postulavit, quia, ut Galliarum primas, Judicem alium non agnoscebat præter Summum Pontificem. *Havèa sempre ricusato di rispondere, per non pregiudicare al foro Ecclesiastico, nel quale diceva,* COME PRIMATE DELLE GALLIE, *di non haver altro superiore, che la Sede Apostolicâ.* Davila lib. 9. hist. ad ann. 1588.

IX. Quod spectat ad factum Richelii Cardinalis ; verum est quidem ipso imprimis procurante directas fuisse breves litteras ab Urbano VIII. ad quatuor Antistites Gallicanos : qui reipsa collegas accusatos vi litterarum istiusmodi, silentibus tum quidem aliis Episcopis, dejecerunt.

Sed neque illud Richelii Cardinalis factum excusari omninò potest : neque Cleri Gallicani silentium, quod ad tempus tantùm fuit, accusari.

Cardinalis quidem factum excusari omninò non potest : quippe non ignorabat ille Ecclesiæ Gallicanæ libertates, immò earum se defensorem aliàs præstiterat, ubi Lucionensis adhuc Episcopus apud Regem Christianissimum Cleri Gallicani nomine agens de receptione Concilii Tridentini, ea Concilii capita excepta voluit, quæ Ecclesiæ Gallicanæ libertates offendebant. Itaque, cùm in eas ipse admittere visus est, novam extraneamque

judiciorum formam advocando in Gallias, vel mutaverat ipse mentem, quod levitate non caruit: vel certè criminis atrocitas, eaque quæ tùm erat publicarum rerum conditio à lege Galliarum ordinaria recedere illum coëgerunt; quod fortunæ saltem peccatum fuit. Sive autem voluntate, sive cogente fortuna Richelius deliravit, non est quòd inde plectantur Ecclesiæ Gallicanæ proceres & Episcopi, suamque idcirco libertatem dicantur amisisse.

Sed neque temporale illorum silentium nocere quicquam debet, quod prudenti aliquo timore imperatum est: cùm enim ageretur de crimine Majestatis vindicando, deque Gallici Regni stabiliendâ tranquillitate, metuendum erat ne si fortè Epscopi alii judicii formam accusassent, venissent ipsi in suspicionem criminis, vel certè bono publico moram aliquam injicere viderentur.

Ubi primùm autem re in vado positâ timor omnis discussus, rupit silentium Ecclesia Gallicana: ac ne insolens factum pravè interpretaretur posteritas, omnibus modis intercessit, ne illud usquam in exemplum traheretur.

X. Constantiæ Gallicanæ exemplum illud habes maximè in Commentariis Comitiorum Cleri Gallicani anni 1650, unde exscribenda hîc duxi quæ ad illam commendandam præcipua sunt.

Ex. 14. Octobris 1650. pag. 410.

MONSEIGNEUR *de Viviers a representé, Que l'on s'estoit servy par le passé d'une procedure contre les Evêques, à laquelle le Pape avoit consenti, qui regardoit leur seureté, puis qu'il s'agissoit de leur deposition. Que la facilité que le Pape avoit eu d'établir par un Bref quatre Evêques Iuges souverains pour déposer un Evêque, meritoit bien qu'on pensast aussi à trouver des moyens pour s'en défendre une autre fois. Que neanmoins on n'avoit point encore pourveu à prendre aucune resolution sur une affaire d'une si haute importance; & qu'il croyoit à propos en déliberant sur l'affaire de Monseigneur de Grasse, de déliberer aussi sur les precautions qu'on pouvoit prendre pour faire que le Pape ne donnast plus, comme il avoit fait, de Brefs dans les causes majeures, & pour en empescher l'execution au cas qu'il en fist expedier à l'avenir.*

Monseigneur de Rheims a dit, Que pour ce qui avoit esté rapporté par Monseigneur de Viviers des Brefs que le Pape avoit cy-devant donnez sur le fait des depositions des Evêques, c'estoit à la verité une pratique entierement contraire aux droits de l'Eglise, & que le Bref qu'il avoit envoyé pourtant pouvoir à quatre Evêques de juger souverainement les Evêques estoit contraire au Concordat, dans lequel le Pape se reserve la connoissance des causes majeures en dernier ressort. Que le Roy consentant que les Evêques soient jugez par des Commissaires du Pape, avoit préjudicié

aux droits qu'ont lesdits Evesques d'estre jugez par leurs Comprovinciaux. Qu'à la verité cette affaire meritoit que la Compagnie y prist quelque bonne deliberation.

Après quoy l'affaire proposée par Monseigneur de Viviers touchant le Bref que le Pape a délivré en l'an 1632. par lequel il nomme quatre Evesques pour juger souverainement les Evesques, ayant esté de nouveau agitée dans la Compagnie, elle a jugé à propos d'y prendre une resolution. Et l'affaire mise en deliberation dans les Provinces, il a esté resolu d'un commun consentement, qu'il en sera écrit au Pape, & que la Lettre sera donnée à Monseigneur le Nonce en main propre, par laquelle sa Saintetè sera suppliée dans les accusations qui seront intentées contre les Evesques, où il s'agira des autres majeures, de les renvoyer dans leurs Provinces; & où il n'y auroit pas douze Evêques pour les juger, ainsi qu'il est porté par les Canons, de prendre le nombre qu'il en faudra des Provinces les plus voisines, conformément ausdits Canons, sauf les appellations à sa Saintetè. Qu'il sera aussi envoyé une Lettre circulaire dans les Provinces, par laquelle les Evesques seront priez de n'accepter plus des Brefs du Pape pareils à celuy de l'année 1632. Et en cas qu'il leur en soit addressé, les Archevesques & Evesques de la Province de celuy contre lequel pareil Bref aura esté expedié, sont priez de s'assembler, & de demander qu'il leur soit renvoyé pour le juger: & se saisiront de la cause, nonobstant lesdits Brefs, de quoy ils feront, s'il leur plaist, Decret dans les premiers

miers Conciles Provinciaux qu'ils tiendront. Et afin que ce qui a esté fait par le passé ne puisse servir d'exemple pour l'avenir ; l'Assemblée à ordonné qu'il seroit fait un acte de protestation à Monseigneur le Nonce, le plus respectueux que faire se pourra, en luy donnant la lettre qu'on a resolu d'écrire au Pape, par lequel il luy sera declaré au nom de l'Assemblée, qu'elle proteste de nullité contre les Brefs qui seront expediez pour des causes majeures, dans la forme de celuy de l'année 1632. & de tout ce qui sera fait ensuite, à ce que ledit Bref de 1632. ne puisse estre tiré à consequence. Monseigneur d'Auxerre a esté prié d'écrire lesdites leteres, & Monseigneur d'Agen avec le Sieur Abbé de Chanvallon, de voir Monseigneur le Nonce auparavant que ledit acte de protestation luy soit signifié.

Epistola Cleri Gallicani ad Innocentium X. pag. 433.

BEATISSIME PATER,

A cunctis retrò saculis Regni hujusce Galliarum Christianissimi Episcopos, Primariæ Sedi Apostolicæ, tùm amicitiâ ut fratres, tùm reverentiâ atque obedientiâ ut filios, tùm verò ut semper Orthodoxos fidei communione conjunctos fuisse, & vestra non ignorat Beatitudo, & nos fatemur universi. Scimus namque, præeunte cælesti regula, necnon Canone Ecclesiastico, Scholam apud vos Apostolicam, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Scimus ubi Ca-

put Ecclesiæ, illic totius fidei arcem, totius & disciplinæ Metropolim, eóque convenitur à nobis libentiùs, quò in Præsulum Primatis sinu, Præsules, si quando illis dolet, maximè à vulneribus Ecclesiæ, justissimas querelas suas deponere par est. Percussi ingemiscimus; nec satritè postulati pari tùm justitia, tùm modestia audemus expostulare, quia debemus. Coronæ Episcopalis Principem decet suis Coëpiscopis aures pandere, viscera aperire: & si minùs, ut vestræ est benignitatis, non jam impertiri beneficia, saltem quod passim conceditur, justitiam non denegare. Vestri nimirùm Prædecessoris temporibus, anno æræ Christianæ 1632. exiit Breve; quo quatuor, non amplius inter nos Episcopis, de causa nonnullorum ex nostris liquidò cognoscendi, & planè dijudicandi fas & jus tribuebatur. Ad eam totius Ecclesiæ plagam, nemo non stupuit attonitus: altis verò ingemuere suspiriis quotquot illius legitimi aut patres aut filii. Quippe inauditum, haud minùs quàm invisum, adeò iniquis artibus Romanæ Sedis integritatem circumveniri, Cleri privilegia violari, temerari nostra omnium jura, Ecclesiæ verò universæ imminui Majestatem. Quotus enim quisve est qui ignoret Sacris Conciliorum Decretis, Canonicis etiam Pontificum Sanctionibus jure tàm communi quàm speciali cautum esse ejusmodi litibus ac negotiis? Publica lex est, tritum & obvium ubique oraculum, nullum ex Episcopis accusari debere, nedum posse damnari, nisi ante legitimum numerum Episcoporum, qui mystico Apostolis duodenario clauditur, ut omnis accusatio intrà Provinciam audiatur, & à Comprovincia-

libus terminetur. Immò & ejusmodi Iudices, ipsi qui accusatur Episcopo, eligendi jus competit, & quidem è vicinioribus, si in Provincia legitimus deest numerus, utique supplendos. Quæ quidem non ita à nobis præscribuntur, BEATISSIME PATER, *quasi animus sit aut ab omni nos culpa immunes jactantiùs profiteri, aut debitas delinquentibus pœnas obstinanter detrectare. Homines cùm simus, Scimus, & sentimus in hoc peccati corpore humanum à nobis alienum nihil: & repertâ à Deo vel in Angelis Cœlestibus prævitate, quotidianas, nos Terreni, maculas, plus nimis experimur. Ipsius Præsulum Principis, Dominicâ tùm prece, tùm pollicitatione suffulti, lapsus triplex, stantes admonet caveant à lapsu; & lapsos, ut mox adjutrice Christi gratiâ resurgant. Novimus quoque, Patrum partim documentis, partim exemplis, Episcoporum causas ad suæ Provinciæ Antistites Canonicè deferendas; à quibus lata sententia vim non habeat, nisi vestra majori authoritate confirmetur. Ultrò si quidem vestræ supremæ Sedis amplectimur Tribunal, quoties nimirùm de majoribus crimen intentatur. Sed enim ea omnia ut ritè ut legitimè peragantur ad Sacrorum quos diximus Canonum normam, & amussim exigenda esse, jam olim ab Ecclesia, id est, a nobis, immò & à vobis præcipuè ipsis præscriptum est. Nostri igitur supplicis hujusce libelli summa est, ut dignetur vestra Sanctitas, & vulneri per Breve illud anni 1632. Vestris membris, quia Corpori Cleri nostri Gallicani, inflicto, opportunum efficaxque manu Apostolica adhibere remedium, & authoritate Pontificis, ne quid ejusmodi mali deinceps eveniat,*

sanctiùs præcavere. Intereà nos in communi Ecclesiæ causâ, nostras egisse partes, æqui bonique consulet vestra Sanctitas : cui Dominicæ vineæ curam à Christo demandatam cum Calcedonensi Concilio, Catholicâ & Romanâ, quin & Gallicâ fide acclamamus. Is omnium nostrùm sensus est, is animus singulorum, Romanæ scilicet matrici Ecclesiæ & originali, per doctrinæ consanguinitatem jungi, per disciplinæ tesseram & fœdus sociari, vobiscum seminare, vestris quoque cum messibus, nostros in Episcopi magni Animarum horreis manipulos colligere, æternùm peroptamus,

Obsequentissimi & devotissimi filii ac servi vestri,

Datum Parisiis 8. Kal. Novemb. M. D C. L. Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiastici viri in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati. L. DESTAMPES Arch. Dux Rhemensis, Præses.

De mandato Illustrissimorum & Reverendissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, totiusque Cœtus Ecclesiastici in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati. M. TUBEUF, *à Secretis.*

Epistola Encyclica ad singulos Galliæ Episcopos qui Comitiis non aderant, pag. 435.

MONSIEUR,

Les veritables affaires du Clergé, sont celles proprement qui regardent la gloire de Dieu, & qui touchent le salut des ames : Mais il est certain que ny l'un ny l'autre ne peut subsister qu'à mesure que nous employons tous nos efforts pour conserver l'honneur de

l'Egliſe, & maintenir la dignité de nos charges. C'eſt principalement à ces deux grands ouvrages que nous tâchons de travailler en cette Aſſemblée : Et parce qu'outre les defauts qui naiſſent de noſtre Corps, par la foibleſſe ou par la contagion de ſes membres, nous avons encore à prevenir ou guerir les accidens qui viennent du dehors, la Compagnie animée de ce divin Eſprit, qui luy a promis ſon aſſiſtance juſques à la conſommation des ſiecles, ſe fortifie de plus en plus pour empécher tout ce qui luy peut eſtre deſavantageux, & procurer tout ce qui luy doit eſtre favorable. L'une des plus grandes playes que nous ayons ſenty, eſt ſans doute ce Bref de l'an 1632. par lequel contre tous les anciens Decrets de l'Egliſe, contre les regles expreſſes du Droit Canon, contre les Ordonnances des Souverains Pontifes, contre les privileges de l'Egliſe, & contre les uſages de la France, l'autorité eſtoit attribuée ſeulement à quatre de Meſſieurs nos Confreres, pour connoître, decider & juger de la cauſe de ceux qui eſtoient lors accuſez. Nous ne doutons pas que l'integrité du ſaint Siege, n'ait eſté prevenuë en cette occaſion ; mais auſſi nous croyons eſtre de noſtre devoir, de chercher un remede efficace pour le paſſé, & de prevenir de ſemblables maux à l'avenir. C'eſt pourquoy aprés une meure & ſerieuſe deliberation, l'Aſſemblée à reſolu d'écrire à ſa Saintetè la Lettre dont la copie eſt icy jointe. Nous l'avons faite avec tous les ſentimens d'honneur, & avec tous les termes de reſpect que nous avons pû, pour témoigner nos liaiſons & ſoûmiſſions à celuy que nous reconnoiſſons eſtre le Chef & Souve-

rain Pasteur du Bercail de JESUS-CHRIST. *Nous sommes déja tous persuadez que vostre zele sera également satisfait, & de nostre resolution, & de nôtre conduite; & nous esperons de la justice du saint Siege, & de la bonté de nostre saint Pere, qu'il loüera luy même & approuvera nostre conduite, puisqu'elle est si conforme au zele & à l'ardeur que sa Sainteté fait continuellement paroistre pour le bien de l'Eglise universelle. Nostre Lettre d'humble remonstrance à sa Sainteté doit estre presentée à M. le Nonce, par Messieurs l'Evéque d'Agen & de Chanvalon Abbé de Iumieges, avec un Acte de protestation le plus respectueux que faire se pourra; declarant que l'Assemblée avec tout respect & soûmission, proteste de nullité contre les Brefs qui seront expediez pour des causes majeures contre les Evéques dans la forme de celuy de l'an 1632. & de tout ce qui sera fait ensuite, de crainte que ledit Bref ne puisse estre tiré à consequence. Mais dautant que d'ordinaire nous nous blessons nous mêmes de nos propres mains, qu'on n'auroit nulle puissance de nous nuire, si nous estions tous unis pour nostre legitime conservation; nous avons encore deliberé & resolu, vous envoyant cette Lettre d'instruction, de vous prier comme nous faisons, de jamais ne recevoir de Brefs pareils à celuy de l'an 1632. Et en cas que l'industrie de quelques-uns, ou la mauvaise foy des Officiers, comme il peut arriver en toutes les grandes Cours, vous en envoye quelqu'un de cette sorte; nous vous prions & conjurons vostre zele, parce que vous estes dans ce premier Corps de l'Eglise & de l'Etat,*

non seulement de ne le pas accepter ; mais d'avertir au plustot Messieurs les Archevêques & Evêques de la Province de l'Evêque accusé, afin qu'ils se saisissent de la cause, & qu'ils la iugent selon les Conciles & la pratique de la sainte Eglise, reservant toûjours les appellations au saint Siege, comme les saints Canons l'ordonnent. Surquoy nous les prions tous de faire un Decret dans le premier Concile qui sera tenu en chaque Province. Voila, MONSIEUR, *les choses dont nous avons crû à present devoir vous donner avis, afin que ce qui appartient à tous ne soit ignoré de personne, & que comme Dieu, à qui nous devons rendre compte d'une charge si importante comme est la nostre, vous a doüé particulierement de beaucoup de pieté, de zele & de generosité pour le bien de l'Eglise, & pour le salut des fidéles, nous cooperions tous ensemble, n'ayans qu'un cœur & qu'une ame, comme nous ne faisons qu'un Corps, pour faire reussir de si saints, de si illustres, & de si necessaires desseins. Comme estant.*

MONSIEUR,

Paris le 24. Octobre 1650.

Vos tres-humbles & tres-affectionnez serviteurs & Confreres les Archevêques, Evêques & autres Ecclesiastiques deputez en l'Assemblée generale du Clergé. L. DESTAMPES, Archevêque Duc de Rheims, President.

Par Nosseigneurs de l'Assemblée, M. TUBEUF, *Secretaire.*

Ex. 18. Novembris ejusdem anni 1650. pag. 496.

MONSEIGNEUR d'Agen a rapporté, Que suivant l'ordre de la Compagnie luy & Monsieur l'Abbé de Chanvalon avoient veu Monseigneur le Nonce, sur l'acte de protestation qu'il a esté resolu de luy faire signifier, & l'envoy de la Lettre à sa Sainteté, & a dit que mondit Seigneur le Nonce les avoit parfaitement bien accueillis. Qu'ils luy avoient dit que l'Assemblée ayant desiré de pourvoir à la seureté des Evêques, & empêcher qu'à l'avenir on ne pût pas proceder à l'encontre d'eux en vertu des Brefs que l'on pourroit obtenir de sa Sainteté, comme on avoit fait en consequence de ceux qui avoient esté envoyez l'an 1632. avoit resolu deux choses; L'une d'en écrire au Pape, & de supplier sa Sainteté de ne plus délivrer de semblables Brefs contr'eux; L'autre de faire un acte par lequel il soit declaré à sa Sainteté au nom de l'Assemblée qu'elle proteste de nullité contre les Brefs qu'elle expediera pour des Causes Majeures, dans la forme de celuy de l'année 1632. & de tout ce qui sera fait ensuite. Qu'ils venoient luy presenter la Lettre qu'ils avoient écrite sur ce sujet. Qu'ils luy en donnoient une copie, afin qu'il fut informé de ce qu'elle contenoit, & qu'ils le prioient de la faire tenir au Pape. Que l'Assemblée les avoit chargez de le prier de trouver bon qu'on luy signifiast l'acte de protestation qu'elle avoit resolu de faire; ayant voulu l'en avertir, pour y proceder avec le plus de deference qu'il luy sera possible.

Que

Que Monſeigneur le Nonce avoit approuvé le deſſein qu'avoit la Compagnie de pourvoir à la ſeureté des perſonnes de Meſſeigneurs les Evéques. Qu'il leur avoit promis de faire tenir à ſa Sainteté la Lettre qu'ils luy avoient écrite pour cet effet : mais qu'il leur avoit dit, Qu'ils ne pouvoit recevoir aucun Acte de proteſtation contre ce qui avoit eſté fait, & que la Lettre eſtoit ſuffiſante pour pourvoir à tout ce que l'Aſſemblée pouvoit deſirer. Qu'ils luy avoient reparti, que cet Acte pouvoit ſervir à ſa Sainteté pour s'excuſer ſur les inſtances qui luy ſeroient faites de délivrer de ſemblables Brefs. Qu'ils eſperoient que quand elle ſçauroit le motif de l'Aſſemblée, & la maniere avec laquelle ils y procedent, qui eſt pleine de reſpect, qu'elle ne le trouveroit point mauvais, & qu'ils le prioient de ſe vouloir employer prés de ſa Sainteté pour le luy faire agréer. Que Monſeigneur le Nonce leur avoit repliqué, Que cet Acte de proteſtation leur ſeroit plus de prejudice qu'ils n'en tireroient d'avantage, & que s'ils vouloient, il leur donneroit Acte par lequel il reconnoiſtroit que la Lettre luy a eſté miſe entre les mains, & certifieroit l'avoir envoyée à ſa Sainteté ; & qu'il leur promettoit de leur en faire avoir réponſe au plûtot. Qu'ils luy avoient dit, qu'ils ne ſe pouvoient contenter de cela, & qu'ils l'avoient prié de trouver bon qu'ils s'acquitaſſent de la charge qu'ils avoient ; & que ceux de Rome, qui ſçavent les formes de proceder de la France, ne trouveroient point à redire à un Acte de cette qualité. Que les appels comme d'abus qui s'interjettent des Brefs du Pape, eſtoient bien plus conſi-

derables, & cependant, qu'on les souffroit. Que Monseigneur le Nonce les avoit priez de ne point envoyer de Notaires pour la signification qu'ils pretendoient faire, & qu'il seroit obligé de les chasser. Qu'ils luy avoient dit, qu'ils rapporteroient à la Compagnie tout ce qu'il leur avoit dit, & qu'elle y feroit la consideration qu'elle jugeroit à propos. La Compagnie, aprés avoir discuté la difficulté que faisoit Monseigneur le Nonce de recevoir cet acte de protestation; elle a jugé à propos, pour bonnes considerations de ne s'y pas arrêter; & a ordonné au sieur Procureur de faire signifier ledit Acte de protestation à son Hostel.

Protestatio Cleri Gallicani facta apud Nuntium Summi Pontificis Lutetiæ tum agentem pag. 521.

EPISCOPORUM judicia, congregatis in Synodo Provinciæ Patribus, salvo jure appellationum ad Romanam Sedem, antiquæ Canonum auctoritas reservavit, Ecclesia præcipuè Gallicana his legibus gubernata est. Reos habuit Saphoracos, Pratextatos, Ebbones, aliosque superioris ordinis Sacerdotes, accusantibus etiam plerumque Regibus Christianissimis. Illos prout æquum visum est in Synodis audivit, absolvit, condemnavit, omninò judicavit. Factum tamen, proh dolor! ut anno Christi trigesimo secundo & sexcentesimo supra millesimum, aliqui Regni hujus Episcopi delati sint ob crimen impositum læsæ Majestatis. Rege postu-

lante vocati sunt super litteras Apostolicas ex dissitis Galliarum partibus, Reverendissimi Archiepiscopi Arelatensis & Turonensis Coadjutor; necnon Sancti Flori & Maclovien sis Episcopi, quibus causæ cognitio commissa est. His inflictum vulnus Episcopali Ordini, perturbata Provinciarum jura, violatas leges Ecclesiasticæ disciplinæ, sensit Clerus Gallicanus & doluit, sentitque adeò ac dolet etiamnum maximè, ut reum se fore arbitretur capitalis silentii, ni obloquatur & provideat in futurum. Confugit ad Petri Sedem, in qua qui præest Innocentius beatissimus Papa ore Gelasii decessoris sui jamdudum profiteri visus est, nullum veraciter Christianum ignorare uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probarit assensus, nullam magis exequi Sedem oportere quam primam. Itaque cum eâ omni reverentiâ & obedientiâ quam ipsi Ecclesiæque Romanæ, quæ omnium Ecclesiarum caput est & magistra, debere se agnoscit, æternúmque redditurum pollicetur Clerus idem Gallicanus, Illustrissimum ac Reverendissimum Sanctæ hujus & Apostolicæ Sedis Nuntium enixè rogatum velit, æqui bonique consulat, quòd coram ipso protestetur, sicuti de facto protestatur per præsentes, ne dictis litteris, quibus quatuor illi Antistites ad causam Episcoporum finiendam judices nominati sunt, vel aliis illarum virtute actis & inde secutis quibuscumque, ullum sibi præjudicium fieri possit, neve trahantur eadem in exemplum, quo sibi quisquam putet contrà salutarium reverentiam Regularum temerè quid licere. Quin potius integro semper & minimè interpolato Ecclesiæ usu permanente, graviores Episcoporum

causæ quæ meritò inter majores positæ sunt, nonnisi ab Episcopis Provinciarum pro more congregatis, vocatis etiam sic ubi opus fuerit ad numerum Canonicum adimplendum vicinioribus, juxta Sardicensis œcumenicæ Synodi, atque aliorum, seu Conciliorum, seu Pontificum Canones & Decreta tractentur, examinentur, judicentur: salva semper ad Romanam Sedem appellandi facultate. Ita Clerus Gallicanus, ne sibi non consulat, nève ignorantiæ causam quis prætexat. Datum in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Lutetiæ habitis, anno Domini 1650. die verò decimâ sextâ Novembris.

L. DESTAMPES, Arch. Dux Remensis, Præses.

De Mandato Illustrissimorum & Reverendissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, totiusque Cœtus Cleri Gallicani in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati. M. TUBEUF, *à Secretis.*

IN nomine Domini, Amen. Tenore hujus præsentis publici instrumenti, cunctis pateat evidenter & sit notum, quòd anno ejusdem Domini 1650. die verò 23. mensis Novembris, in mei Iacobi de Blois publici, auctoritate Apostolicâ, venerabilisque Curiæ Archiepiscopalis Parisiensis Notarii Iurati, Parisiis in utroque foro immatriculati, ibidemque & in vico novo Beatæ Mariæ Virginis commorantis, subscripti, ac testium infrascriptorum præsentia, Clarissimus Dominus ac Magister Franciscus de Beauregard Presbyter, Abbas beatæ Mariæ d'Aulne, Regis Christianissimi in Senatu Tholosano Consiliarius, & in Comitiis generalibus Cleri Gallicani nunc Lutetiæ congregati Promotor, tanquam Procurator

specialiter commissus in hac parte, Illustrissimorum ac Reverendissimorum Dominorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Deputatorum ejusdem Cleri Gallicani, nominéque ipsius, in vim litterarum procurationis, seu deliberationis & conclusionis ejusdem Cleri Gallicani, de datâ die decimæ octavæ præsentium mensis & anni; ad Palatium Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Domini Nicolai, ex Comitibus Guidis à Balneo, Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Archiepiscopi Athenarum, & Sanctissimi Domini Domini nostri Innocentii divinâ providentiâ Papæ decimi apud Regem Christianissimum totúmque Regnum Galliæ Nuntii Apostolici se contulit, eidémque Illustrissimo & Reverendissimo, alloquendo personam hostiarii hospitii sui Magistri Stephani, &c. appellati, actum protestationis suprascriptæ intimavit, significavit, atque ipsius acti copiam ei reliquit, ac de præsenti intimatione. Acta fuerunt hæc Parisiis, & in dicto Palatio præfati Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici, præsentibus ibidem Maturino Rouvelin & Iacobo Nicolas Curiæ Archiepiscopalis Parisiensis Apparitoribus, in dicto vico Beatæ Mariæ Virginis Parisiis respectivè commorantibus testibus, in præsentium Minuta originali cum præfato Domino Promotore, & me Notario antedicto & subsignato debitè signatis.

DE BLOYS *Notarius Apostolicus Parisiensis.*

Quoniam generosi isti conatus Gallicani Cleri militant adversùs breves Litteras Urbani VIII. datas an. 1632. eas hic juvat reponere ; maximè quia non extant in Commentariis Cleri Gallicani collectis à Clarissimo Viro D. le Gentil, quòd, ut ipse testatur, nullibi eas reperire potuerit, sicut nec patentes Litteras à Ludovico XIII. ad illarum executionem emissas. Ego verò utrasque fœliciter nactus fui beneficio Clarissimi Mellonii, Regii apud Tutelenses Advocati qui eas ad me inde perhumaniter transmisit : utrasque igitur juris publici facio, tùm ut unusquisque per se dignoscere possit quàm justæ fuerint Gallicani Cleri querelæ, tùm ut ansa mihi fiat observandi in eis aliqua, quæ ad meum institutum nonnihil faciunt.

BREVES LITTERÆ URBANI VIII. PAPÆ.

URBANUS Papa octavus. Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Exposuit nobis Charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum & Navarræ Rex Christianissimus, quod personæ diversæ Ecclesiasticæ etiam in Abbatiali & Episcopali, & aliâ dignitate constitutæ diversimodè contrà ipsius Ludovici Regis personam & statum machinatæ fuerunt, & machinantibus auxilium, consilium & favorem, tàm verbo, quàm reipsa dederunt, crimina gravissima & enormissima incurrendo ; quare

intendens, dictus Ludovicus contra Machinatores, Auxiliatores, Consultores, & Fautores, & alios in præmissis quomodolibet delinquentes ad condignas pœnas procedi facere, nobis humiliter supplicavit, ut in præmissis opportunè providere & benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur eundem Ludovicum Regem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris Ecclesiasticis, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causâ, latis; si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ, fratres Archiepiscopi & Episcopi, per præsentes committimus & mandamus, quatenùs vos conjunctim procedentes (vocatis ad id, qui fuerint evocandi) de præmissis diligenter inquiratis, & contra omnes & singulas Personas Ecclesiasticas, etiamsi Abbatiali, Episcopali seu Archiepiscopali præfulgeant dignitate, via juris procedatis, & culpabiles repertos per sententiam diffinitivam, seu sententias diffinitivas, quatenùs privari si sit locus, omnibus & singulis Ecclesiis quovis modo nuncupatis, etiamsi Monasteria, Prioratus Conventuales, Ecclesiæ Cathedrales & Metropolitanæ, aut etiam majores fuerint, authoritate nostrâ, prout juris fuerit, privetis, & privatos declaretis, ac aliàs juxta juris ordinem, tam contra eorum omnium & singulorum bona, quàm contra personas animadvertatis: Nos vobis etiam per Edictum publicum citandi & inhibendi, aliaque circa præ-

quæ circa præmissa necessaria, & liberam Apostolicâ authoritate tenore præsentium concedimus facultatem, nonobstantibus præmissis Apostolicis ac universalibus, generalibus vel specialibus constitutionibus ac ordinationibus, & Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum Conventualium, & Ordinum, & Hospitalium sancti Ioannis Hierosolymitani & aliorum piorum locorum quorumcumque, etiam confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis piis locis quibuscumque, eorum Præsulibus, Abbatibus, Prioribus & personis, etiam magno Magistro, Conventui & Fratribus militibus dicti Hospitalis Sancti Ioannis in contrarium quomodolibet per Sedem Apostolicam aut aliàs concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis; quibus omnibus & singulis etiamsi de illis eorumque tenoribus specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servandum foret (illis aliàs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expressè derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem & Apostolicâ anthoritate decernimus quòd tu frater Archiepiscope in eventum absentiæ unius seu plurium ex prædictis Venerabilibus Fratribus nostris Episcopis quibus præsentes directæ reperiuntur, aut illis legitimè impeditis, procedere renuentibus seu differentibus, alium vel alios Episcopum

seu

eu Episcopos illarum partium, absentium vel impeditorum, aut procedere recusantium seu differentium loco eligere possis, cum quibus conjunctim, ut præfertur, circa præmissa omnia & singula, etiam usque ad diffinitivas sententias inclusivè procedere possis.

Datum in Arce Gandulphi Albancnsis Diœcesis sub annulo piscatoris, die octavá mensis Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, Pontificatús nostri anno decimo. Signat. M. & MARALDUS.

Et in superscriptione sic legitur. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Arelatensi, & Bolonienſi, ac Sancti Flori, necnon Maclovienſi Episcopis.

PATENTES LITTERÆ LUDOVICI XIII.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre. A nos Amez & Feaux Conseillers en nostre Conseil d'Etat, les Sieurs Archevêque d'Arles, Evêques de Boulongne, S. Flour, & de S. Malo, SALUT. *Chacun peut assez connoistre par tant d'exemples des siecles passez, l'extremité des desordres que les rebellions des Sujets envers leurs Princes apportent à l'Etat, & que les peines les plus severes n'en ont point encore arrêté le cours; & comme nostre bût principal est de maintenir la paix en nostre Royaume, pour le bien & le soulagement de nos Sujets: aussi avons nous jusqu'icy tenté toutes sortes de moyens pour ranger à leur devoir ceux qui n'avoient autre intention que de troubler & profiter de la ruine publique. Et encore que tous nos Subjets soient obligez par les loix divines & humaines de nous rendre une parfaite &*

entiere obeïſſance comme à leur Prince Souverain ; ceux neanmoins qui ont eſté honorez de graces ſignalées, qui par leur dignité doivent ſervir de lumiere aux autres, & qui ſe ſont liez à Nous par ſerment particulier, ſont d'autant plus coupables par leurs manquemens, qu'ils ſont plus étroitement obligez de demeurer inviolables dans la fidelité & devotion qu'ils nous doivent. Et dautant que pluſieurs Evêques & autres Eccleſiaſtiques nos Sujets ſe ſont tant oubliez du devoir auquel ils eſtoient tenus par leur naiſſance, que d'avoir ſuivi le parti de ceux qui ſont entrez en armes, & qui ſe ſont élevez contre noſtre authorité en noſtre Royaume ; même d'avoir entretenu des pratiques & intelligences au dehors avec les Etrangers. Nous avons jugé pour le bien & ſeureté de noſtre Etat de leur faire reſſentir les peines qu'ils meritent ; pour cet effet Nous aurions fait obtenir le Bref de noſtre Saint Pere le Pape cy-attaché ſous le contreſeel de noſtre Chancellerie à vous adreſſant pour leur faire faire leur procés.

A ces cauſes de l'avis de noſtre Conſeil Nous avons declaré & declarons par ces preſentes ſignées de noſtre main, Voulons & Nous plaiſt que ledit Bref ſoit promptement executé ſelon ſa forme & teneur, ſans prejudice toutesfois de nos Droits, Libertés, Franchiſes & Immunitez de l'Egliſe Gallicane ; car tel eſt noſtre plaiſir. Données à Chantilly le ſeiziéme jour du mois de Mars mil ſix cens trente-trois, & de noſtre Regne le vingt-troiſiéme. Signé, LOUIS.

Et plus bas par le Roy, DE LOMENIE, *& ſcellées ſur ſimple queuë.*

Multa in brevibus Urbani VIII. Litteris ab Illustrissimis Ecclesiæ Gallicanæ Antistitibus observata sunt, quæ tum antiquis Canonibus, tum acceptis in Gallia moribus adversa videbantur. Unum ego observo quòd hactenùs inobservatum est, scilicet Urbanum VIII. quâ parte potestatem ipse delegatis facit accusatos Episcopos insequendi *ad usque sententias definitivas*, eâ insuper habuisse Constitutionem Concilii Tridentini de Causis Criminalibus Episcoporum: siquidem Tridentina Constitutio non plus concedi vult à Summo Pontifice Episcopis ad istiusmodi causas delegandis, quàm *ut solam facti institutionem summam, processumque conficiant: quem statim ad Romanum Pontificem transmittant; reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ:* à qua quidem lege non aliam ob causam recessisse Urbanum crediderim, quàm quòd eam reipsa Gallis minimè positam fuisse intelligeret, ut infrà demonstrabitur.

Alterum est etiam quod in Patentibus Ludovici XIII. Litteris observatum velim, nimirùm sic Urbani mandatum acceptum esse Regi Christianissimo, ut salvas alioqui velit libertates Ecclesiæ Gallicanæ: *le tout sans prejudice de nos Droits, Libertez, Franchises, & Immunitez de l'Eglise Gallicane.* Quibus quidem verbis veluti protestatur Rex Christianissimus adversùs formam illam Judicii, quam novam in Regno suo, Ecclesiæque Gallicanæ libertatibus adversam intelligebat: quamque tùm ferre modò cogebatur ob genus criminis,

quod cùm præsentem Imperio suo ruinam intentaret, longiorem tametsi Canonicam judicii formam non sinebat usurpari.

ARTICULUS XII.

An Concilium Tridentinum Gallicos mores immutaverit circa Episcoporum judicia?

SYNOPSIS.

I. REFERTUR *lex lata à Concilio Tridentino cap.* Causæ Criminales : *quæ quidem contraria est antiquo juri.*

II. *Sed an lata Gallis, dubium.*

III. *Cardinali enim à Lotharingia in ipso Concilio capiti huic intercessit, si forte Regis Regnique Galliarum libertatibus ac privilegiis obesset.*

IV. *Improbatum quoque nominatim est ab Oratoribus Regis Christianissimi.*

V. *Ipsummet Concilium Libertates Gallicanas reservavit, Cardinali Lotharingo teste.*

VI. *Deinde verò disciplina Concilii Tridentini generatim accepta non est à Gallis; atque adeò nec eos ligat.*

VII. *Reipsa Senatus Parisiensis anno 1569. Tridentinæ legis rationem non habuit in causa Cardinalis Castellonii Episcopi Bellovacensis.*

VIII. *Malè argumentatur qui objicit Episcopos Gallicanos Regem Christianissimo postulasse sæpiùs ut Concilii Tridentini disciplinam recipi juberet, immò & ipsos huic disciplinæ Sacramento se subjecisse.*

IX. *Adjunguntur & ea quæ in Belgio contigêre, ubi deliberatum fuit de Tridentino recipiendo.*

I. CONCILIUM Tridentinum sessione 24. de reformatione cap. 5. de gravioribus Episcoporum judicandis causis sic edicit : *Causæ Criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt ; ab ipso tantum Summo Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsùs ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quàm ut solam facti institutionem summam, processumque conficiant : quem statim ad Romanum Pontificem transmittant ; reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ.*

Nemo est qui non intelligat novâ illâ Constitutione mutatam esse antiquam judiciorum Episcopalium formam ; an autem Gallici prinde mores mutati sint, hîc ambigitur.

II. Primò quidem dubitare licet, an Galliam quóque hoc decreto comprehendere Synodus voluit, an Italiam tantùm & Hispanias : certum est enim in Concilio Tridentino statuta fuisse nonnulla quæ Concilii Patres minimè obtentura esse in Galliis prospexêre, ea nimirùm quæ libertates Gallicanas clarè opugnabant : unde Episcopus Bellovacensis

in Comitiis regni generalibus quæ anno 1614. Lutetiæ habita sunt, Cleri nomine de Concilii Tridentini acceptatione agens apud plebeium ordinem, asserere non dubitavit statuta Concilii quæ Gallarum juribus contraria videbantur, posita non fuisse Gallis, sed Italis & Hispanis, allatoque inquisitionis exemplo, non absimilem esse ait rationem cæterorum.

Habet autem singulare præ cæteris caput illud quod Episcoporum judicia spectat, quòd Eminentissimus Cardinalis à Lotharingia ei, dùm fieret, Ecclesiæ Gallicanæ nomine intercesserit: quòd improbatum sit nominatim ab Oratoribus Regis Christianissimi: quódque tandem à regni ordinibus, ac præsertim à Senatu Parisiensi fuerit impugnatum.

III. Eminentissimus Cardinalis à Lotharingia postquam generatim professus est utcumque probare se reformationis articulos, dùm Ecclesiæ disciplina revocari posset in meliorem formam, quam quidem ipse à quatuor maximè prioribus Conciliis Oecumenicis petendam optabat: caput quod incipit, *Causæ Criminales*, placere quoque sibi ait, modò, ut Patres consenserant, præjudicii nihil afferret juribus Regni Sacrisque Constitutionibus, quibus nempe Gallia utebatur. En ipsa Cardinalis verba subjicio: *cùm nudiùs tertiùs meam de reformationis articulis dicerem sententiam, Præfatus sum etiam me valdè cupere, ut prisca illa Ecclesiastica restitueretur disciplina; sed cùm his corru-*

ptissimis temporibus & moribus intelligam non posse ea quibus maximè opus est, protinùs adhiberi remedia, interim assentiri, & probare ea quæ nunc sunt decreta: Non quòd judicem satis esse ad integram ægrotantis Reipublicæ Christianæ curationem, sed quòd sperem his priùs lenioribus fomentis adhibitis cùm graviora medicamenta pati potuerit Ecclesia, Pontifices Maximos, & maximè Sanctissimum D. N. Pium pro sua insigni pietate & prudentia diligenter curaturum, ut ea quæ desunt implens, & efficaciora inveniens remedia, in usum veteribus jamdiù abolitis revocatis Canonibus, & maximè quatuor veterum illorum Conciliorum, quæ quantùm fieri poterit, observanda esse censeo; vel si expedire videbitur, frequentiori Oecumenicorum Conciliorum celebratione, morbum ab Ecclesia propulsans eum suæ pristinæ restituat sanitati. Hanc autem meam mentem, & sententiam tùm meo, tùm omnium Galliæ Episcoporum nomine in acta referri volo, & ut id fiat à Notariis peto & postulo.

AD CANONEM V. INCIP. CAUSÆ CRIMINALES.

Si habitâ ratione temporum hoc Decretum placet Patribus, id mihi quoque hoc nomine magis placet, quòd cùm eis in congregatione heri habita visum sit privilegiis Principum non esse derogandum: hoc ita est conceptum, ut Christianissimi Franciæ Regni privilegiis, juribus, & Sacris Constitutionibus nihil præjudicii adferat: Quod quidem mihi placere lubens pro-

fiteor ; & tùm meo , tùm Episcoporum Franciæ nomine à Notariis peto & postulo , ut id in acta referatur.

IV. Oratores Regis Christianissimi observatis quibusdam circa reformationis capita, quæ à Legatis proposita erant, ita in caput quod incipit, *Causæ Criminales* , animadvertunt : *Caput quòd incipit, Causæ Criminales , non placet : adversatur enim antiquissimo juri Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis , quibus cavetur , ne quis etiam volens extra Regnum à quoquam ex quacunque causa in jus vocari , nedùm condemnari possit.*

V. Postquam autem Cardinalis Lotharingus finito Concilio redux fuit in Gallias , exprobratum ei fuit à Senatus Parisiensis proceribus , quòd multa in reformationis Decretis inseri passus esset quæ Ecclesiæ Gallicanæ juribus contraria videbantur. *Cardinalis autem uno solo verbo causam suam tuebatur* , inquit Polanus : *in congregatione diei* 10. *Novembris , cùm legerentur Decreta publicanda in sessione diei* 11. *reservata fuisse jura & authoritatem Regis Galliæ & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ :* quæ quidem consentiunt cum intercessione Illustrissimi Cardinalis quæ modò relata est : in qua nempe testatur Decretum de Causis Criminalibus Episcoporum ita conceptam fuisse in congregatione diei superioris , *ut Christianissimi Franciæ Regni privilegiis, juribus , & Sacris Constitutionibus nihil præjudicii afferat.*

VI. Non hæc quidem protuli, ut ab hac Triden-

tini

tini Concilii singulari lege eximantur Galli, cùm ne ulla quidem alia, acceptationis defectu, eos liget, sed ut omnes intelligant quàm altè Gallorum animis prisca insidebat disciplina de Episcoporum judiciis illa ætate: quod quanquam ex eis jam innotuerat, quæ de Caroli IX. intercessione supra relata sunt, attamen Gallorum Constantia eo etiam facta est illustrior; quòd mores suos etiam contra Concilii Decreta nova fortiter deffenderint.

VII. Senatus Parisiensis, vix benè finito Concilio, anno scilicet 1569. intactas illius legibus Galliarum libertates ostendit æquissimo in Cardinalem Castellonium judicio. Insimulabatur Cardinalis tùm læsæ majestatis, tùm hæreseos: ob delictum commune, ut aiunt, remissus est à Senatu ad superiorem suum Ecclesiasticum: at ne posteri fortè superiorem illum Papam esse interpretarentur, altero Senatusconsulto declaratum est, superiorem illum, à quo judicandus erat Cardinalis, alium non esse ab Archiepiscopo Remensi, ipsius nempe, ut potè Episcopi Bellovacensis, Metropolitano. Sic habet Senatusconsultum: *la Cour, pour maintenir la liberté de l'Eglise Gallicane, qui a esté toûjours defenduë par le Roy & ses predecesseurs Roys tres-Chrétiens, au vû & scû des Saints Peres Papes de Rome qui pour le temps ont esté, a arrêté qu'elle a entendu & entend que le Superieur auquel Messire Odet de Coligny Cardinal de Châtillon Evêque de Beauvais est rendu pour luy faire son procès sur le dé-*

liét commun, par Arreſt de ladite Cour conclu & donné le 11. de ce mois, eſt l'Archevéque de Reims Superieur Metropolitain, duquel l'Evéque de Beauvais eſt ſuffragant, pour par ledit Archevéque de Reims appeller les autres ſuffragans Evéques, s'ils ſe trouvent en nombre, ſinon par les Evéques circonvoiſins eſtre fait le procés audit Cardinal Evéque de Beauvais ſur le delict commun ſelon les Decrets & Conſtitutions Canoniques, ſans que ledit Cardinal de Châtillon Evéque de Beauvais puiſſe eſtre trait, & tiré hors de ce Royaume; Et a ordonné & ordonne la Cour, que de ce en ſera fait un Regiſtre, afin qu'il ſoit connû & entendu par tous; méme par la poſterité, que la Cour a voulu toûjours garder & conſerver la liberté de l'Egliſe Gallicane, & ſauf en toutes choſes l'honneur & la reverence deuë à noſtre Saint Pere le Pape & au Saint Siege Apoſtolique.

VIII. Nuperus Scriptor Epiſcoporum judicia ex Tridentinæ Synodi lege in Galliis nilminùs ordinanda contendebat hoc argumento, quia ſcilicet Epiſcopi ipſi Gallicani non modò Regem Chriſtianiſſimum rogarunt ſæpiùs, ut Concilii diſciplinam in ditione ſuâ recipi ac publicari juberet, ſed & anno 1615. Sacramento ſe ſolemni adſtrinxerunt coram Cardinale Rupefocaldio ad eam deinceps in Diœceſibus obſervandam; inde enim concludit iſte Epiſcopos Galliarum ſubjeciſſe ſe diſciplinæ Concilii Tridentini, atque adeò & huic illius legi quæ Epiſcoporum Criminales Cauſas ab Apoſtolica una Sede cognoſci jubet.

Verùm si valeat hæc consequentia, ergo & pariter concludi poterit Clerum Gallicanum teneri jam omnibus planè legibus quæ in Concilio Tridentino de moribus edita sunt: at ne id quidem facilè credat Gallo-Romanensis. Nescio enim an ipse, cùm è Regularium grege feratur, Tridentinæ illi legi ultrò se submittat, quæ, cessantibus exemptionibus ac privilegiis, Regulares cogit ad obsequium Episcopis exhibendum.

Ipsi verò Episcopi Gallicani, exceptiones addidêre quæ à Gallo-Romanensi omitti non debuerant: quoties enim in Comitiis generalibus seu Regni seu Cleri statutum est agendum esse apud Regem de receptione ac publicatione Concilii Tridentini, toties exceptiones adhibitæ sunt quæ salvas præstarent Ecclesiæ Gallicanæ libertates: atque adeò & Episcoporum judicandorum ratio, quæ ad libertates Gallicanas attinet, utique etiam excepta est.

In Comitiis Regni generalibus quæ anno 1614. Lutetiæ habita sunt, offerendus Regi Christianissimo Articulus de Synodi Tridentinæ receptione ita à Cleri Camera, ut aiunt, compositus est, *Le Roy sera tres-humblement supplié d'ordonner que le Saint Concile de Trente soit publié & gardé en son Royaume, sitost & aprés qu'il aura plû à sa Sainteté d'agreer que ladite publication soit faite sans prejudice des droits de sa Majesté & de sa Couronne, paix, repos, & tranquillité de son Etat, des franchises, libertez & immunitez de l'Eglise Gallicane, &c.*

Quæcunque deinceps à Clero Gallicano de receptione Concilii Tridentini agitata sunt, easdem semper cautiones exceptionesque adjunctas habuêre; immo & formula jurisjurandi quod objicit Antigallus cum iisdem cautionibus concepta est; ita ut etiam antequam ad jurandum accesserint qui è Clero in Comitiis aderant, Articulus ille ipse lectus sit qui cum ejusmodi clausulis conditus ante erat, Regique communicatus.

IX. Adjungenda hic mihi videntur quæ in Belgio contigêre, ubi de recipiendo ibi Concilio Tridentino deliberatum est. Margareta Gubernatrix Regios singularum Provinciarum Magistratus annotare jussit, si quæ fortè in Concilii Decretis, vel Regis Catholici juribus, vel patriis avitisque moribus contraria essent. Varia itaque à variis animadversa sunt in plura Concilii capita; speciatim verò circa caput 5. sessionis 24. quod incipit Causæ Criminales, Flandri, Brabantini, aliique monuerunt caput illud sapere novitatem, *posseque Regem inhærere veteri juri ad conservandam securitatem, & tranquillitatem Reipublicæ & subditorum.* Sanè vetus illud jus, quod laudant Belgæ aliud non est ab eo quod defendimus: quod scilicet ipsi, utpote vicini Galliarum, etiam retinuerant.

At vel ipso confitente Summo Pontifice ejusmodi Decretum Tridentinum Gallos non ligat: cùm enim Commissariis istud plùs non tribuat, quàm ut solam facti instructionem summam processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pon-

officem transmittant, reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ; vidimus in brevibus litteris Urbani VIII. an. 1632. datam fuisse potestatem Commissariis non inquirendi modò, sed ferendi sententiam finitivam: quod quidem argumento est Urbanum VIII. non existimasse Decretum ejusmodi Tridentinum pertinere ad Gallos, ut jam prænotavi.

ARTICULUS XIII.

Quæ sit etiamnùm Gallorum mens de Episcoporum judiciis ac depositionibus?

SYNOPSIS.

I. *MENS Gallorum explorari melius non potest quàm ex sententia tum Episcoporum Gallicorum tum Sorbonicæ Facultatis.*

II. *Anno 1663. Doctores Parisienses quid ea de re sentirent professi sunt apud Regem Christianissimum, duce ac perorante Archiepiscopo Parisiensi.*

III. *Eorum declaratio Regiâ & publicâ authoritate comprobata est.*

IV. *Referuntur Articuli Sorbonici, Senatusconsultum & Sanctio Regia.*

V. *Qui sit Episcoporum Gallicanorum ea de re sensus ex iis colligitur quæ in negotio quatuor Episcoporum contigêre.*

VI. *Referuntur Epistolæ plurimorum Episcoporum ad Summum Pontificem & ad Regem Christianissimum.*

I. QUI sit etiamnùm Gallorum sensus de Episcoporum judiciis ac depositionibus non aliunde quis didicerit meliùs, quàm ab eis qui apud Gallos Magistri præ cæteris ac Doctores prædicantur. Quales sunt quidem Episcopi ante omnes, quos scilicet Christus ipse in Ecclesia Doctores posuit: tum verò, inter eos qui scientiæ laude commendantur, Parisiensis Facultatis Theologi. At vix à paucis annis utrique publicis argumentis significarunt, quæ de Episcoporum judicandorum ratione à majoribus acceperant, quæque ipsi constanter sentirent.

II. Anno quidem 1663. Doctores Parisienses apud Regem invictum nescio quo fato insimulati sunt, quasi doctrinæ avitæ obliti, curialium Romanorum novitates sequerentur. Hi verò, ut ejusmodi labem ab ordine suo propulsarent, sex Articulos edidêre, quibus Parisiensis Facultatis doctrina, de Romanorum Pontificum potestate, veluti compendiosè tradebatur: quorum quidem Articulorum sextus ita habet, *Doctrinam Facultatis esse non probare nec unquam probasse propositiones ullas Regis Christianissimi authoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias; v.g.* QUOD SUMMUS PONTIFEX POSSIT DEPONERE EPISCOPOS ADVERSÙS EOSDEM CANONES. Ubi quidem annotari velim in exemplum certissimum atque indubitatum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ illud ipsum adduci, quod hucusque propugnavimus: scilicet Episcoporum

depositiones non ex jure novo Pontificio, sed ex antiquis Ecclesiæ Canonibus esse celebrandas: ita ut contrariam propositionem declaret Sacra Facultas neque probasse se unquam, neque etiam nunc approbare.

III. Hæc verò Sorbonicorum declaratio Regiâ & publicâ authoritate statim comprobata est; cùm enim Facultas Parisiensis Articulos illos suos Christianissimo Regi, duce ac perorante Illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi, obtulisset, Regia Majestas eos sic gratos habuit & acceptos, ut vim legum ipsis in tota ditione sua inesse voluerit: nam edicto solemni inscribi illos jussit in Curiis omnibus Supremis Regni, seu Parlamentis, ut aiunt: quâ quidem in re Senatus Parisiensis (quod est amplissimi illius ordinis studium in publicam utilitatem) etiam Christianissimi Regis jussa anteverterat: statim enim Facultatis Parisiensis declarationes amplexus erat ille, suáque authoritate muniendas procuraverat.

IV. Recentia isthæc instrumenta exscribo hîc cùm ad futuram rei memoriam, tum quia causæ nostræ patrocinium validius ac luculentius contingere aliunde non poterat.

EXTRAIT DES REGISTRES de Parlement.

CE jour les Gens du Roy, Maistre Denys Talon Avocat dudit Seigneur portant la parole, ont dit

à la Cour, que le Syndic de la Faculté de Theologie avec sept autres anciens Docteurs en la Faculté de Theologie, mandez suivant l'Arrest du jour d'hier estoient au Parquet des Huissiers. Eux entrez, Monsieur le President leur a dit que la Cour les avoit mandez pour apporter la Declaration faite par la Faculté de Theologie de ses sentimens touchant l'authorité du Pape. Le Doyen de ladite Faculté a dit que pour obeïr aux ordres de la Cour ils avoient apporté ladite Declaration extraite des Registres de ladite Faculté, & signée par le Bedeau d'icelle, contenant

Primò, non esse doctrinam Facultatis, Summum Pontificem aliquam in temporalia Regis Christianissimi auctoritatem habere; imò obstitisse Facultatem iis, qui indirectam tantummodò voluerunt esse illam auctoritatem.

Secundò, esse doctrinam Facultatis, quòd Rex Christianissimus nullum omninò agnoscit, nec habet in temporalibus superiorem præter Deum, eamque esse antiquam doctrinam, à qua nunquam recessura est.

Tertiò, doctrinam Facultatis esse quòd subditi fidem & obedientiam Regi Christianissimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu dispensari possint.

Quartò, eandem Facultatem non probare, nec probasse unquam propositiones ullas Christianissimi Regis auctoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: verbi gratiâ, quòd Summus Pontifex

tifex deponere possit Episcopos adversùs eosdem Canones.

Quintò, doctrinam Facultatis non esse quòd Summus Pontifex sit supra Concilium Oecumenicum.

Sextò, non esse doctrinam, nec dogma Facultatis, quòd Summus Pontifex nullo accedente Ecclesiæ consensu sit infallibilis. *Icelle Declaration leuë en presence des Gens du Roy, & desdits Docteurs. Lesdits Docteurs retirez, les Gens du Roy par la bouche de Maistre Denys Talon, ont dit que la verité des anciennes maximes se soutient assez par son propre poids, & n'a pas besoin de mandier des suffrages ny des approbateurs : que c'est pourtant un grand avantage lors que tout le monde concourt dans un méme sentiment, & qu'il ne paroist point de division dans les esprits. Personne n'ignore les efforts & les artifices pratiquez par les partisans de la Cour de Rome depuis trente ans, pour élever la puissance du Pape, par de fausses prerogatives, & pour introduire les opinions nouvelles des Ultramontains. Et enfin les choses ont passé jusques à tel excez, qu'après avoir insinué en secret ces propositions fausses & dangereuses dans les écrits, ils ont eu la hardiesse de les publier & de les mettre dans des Theses pour estre publiquement disputées. Cette temerité n'est pas demeurée impunie ; car cette Auguste Compagnie également jalouse de maintenir l'autorité Royale, les droits de la Couronne, les Libertez de l'Eglise Gallicane, & l'ancienne doctrine, ausquels ces opinions de l'infaillibilité, & de la supe-*

riorité du Pape au Concile sont directement opposées, n'a pas manqué de reprimer ces entreprises par la severité de ses Arrests, & même d'en punir les auteurs: de sorte que l'on peut dire que ces monstres ont esté étouffez dans leur naissance, & que ces tentatives, bien loin d'avoir aucun succez, n'ont servy qu'à confirmer plus puissamment la verité, & à couvrir de honte & de confusion les emissaires de la Cour de Rome. Cependant la Faculté de Theologie occupée par une cabale puissantes de Moines, & de quelques Seculiers, liez avec eux par interest & par faction, a eu de la peine à se démeler de ses liens injustes, & à suivre les traces des Gersons, & de ces autres personnages illustres, qui ont esté dans tous les siecles les principaux defenseurs de la verité: mais enfin par un genereux effort ayant fait reflexion sur ce qu'elle doit au Roy, au public, & à sa propre reputation, elle a expliqué ses sentimens, & condamné toutes ces nouveautez comme des erreurs qui ne peuvent éviter la censure. Et comme les six Propositions qui viennent d'estre leuës & expliquées par l'organe du Doyen, contiennent non seulement la condamnation de tout ce qui pouvoit établir quelque superiorité de Pape sur le temporel, mais aussi de cette chimere d'infaillibilité, & de cette dépendance imaginaire du Concile au Pape; il est inutile d'examiner si toutes ces Propositions sont conceuës en termes affirmatifs, estant certain qu'il n'y a point de milieu entre deux propositions contradictoires, & que si la Faculté ne croit pas que le Pape soit infaillible, il faut par une consequence necessaire qu'elle juge

qu'il peut tomber, ou estre induit en erreur, & corrigé par une Puissance superieure, qui ne peut estre autre que celle du Concile, & de l'Eglise universelle. Et tout le monde demeurant d'accord qu'il faut qu'il y ait une subordination; dés que l'on avoüe que le Pape n'est point au dessus du Concile, il faut qu'il soit au dessous & soumis à ses decisions, & à l'observation des Canons. De sorte que comme le public est pleinement satisfait par cette Declaration de la Faculté, d'autant plus que si elle estoit susceptible d'ambiguité, on ne la pourroit interpreter que par ce qui paroist de la doctrine de la même Faculté dans la censure de Sarazain, dans les réponses aux demandes du Roy Charles VIII. & dans les condamnations des erreurs de Luther: ils estiment qu'il y a lieu d'ordonner que les Articles contenus en la Declaration de la Faculté soient registrez au Greffe de la Cour, & copies d'iceux envoyées dans tous les Bailliages & Universitez du ressort du Parlement, pour y estre leuës, publiées & registrées: défenses soient faites de soûtenir aucune doctrine contraire ausdits Articles: que les Arrests des vingt-deux Ianvier, & quatre Avril derniers soient executez: faire iteratives défenses & inhibitions à tous Bacheliers, Licentiez, Docteurs & à toutes autres personnes de soûtenir & disputer, lire & enseigner directement ou indirectement és Echoles publiques ny ailleurs aucunes propositions contraires à l'ancienne doctrine de l'Eglise, aux Canons des Conciles generaux, aux Libertez de l'Eglise Gallicane, & aux anciens Decrets de la Faculté de Theologie,

trentiéme jour de May mil six cens soixante-trois. Signé, ROBERT.

DECLARATION DU ROY

envoyée à tous les Parlemens du Royaume, portant que les six Propositions presentées à Sa Majesté par la Faculté de Theologie de Paris, & qui ont esté registrées au Parlement, y seront pareillement leuës, publiées & registrées, & envoyées à tous les Bailliages, Senéchaussées, Jurisdictions & Universitez de leur ressort, pour y estre aussi leuës, publiées & registrées.

LOUYS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A tous ceux qui ces presentes Lettres verront, Salut. La Faculté de Theologie de nôtre bonne Ville de Paris, qui depuis son établissement a esté le plus ferme appuy de la Religion, & de la saine doctrine dans nostre Royaume, & qui a toûjours fait profession de s'opposer fortement à ceux qui ont voulu en alterer la pureté, ayant reconnu que depuis plusieurs années, plusieurs personnes se seroient efforcées d'introduire dans nostre Etat certaines maximes des Ultramontains, contraires à celles qui ont esté receuës de tous temps, & directement opposées à nos droits, aux immunitez du Royaume, franchises & libertez de l'Eglise Gallicane. Cette celebre Compagnie auroit estimé qu'il estoit de son devoir de faire tout ce qui dépendoit d'elle, pour arrêter le cours d'une si dan-

gereuſe doctrine, & à cette fin elle nous auroit fait une declaration authentique & ſolemnelle de ſes dogmes & de ſa doctrine en cette matiere, qu'elle a renfermée en ſix Propoſitions, dont l'acte eſt cy-attaché ſous le contreſcel de noſtre Chancellerie : laquelle declaration auroit eſté leuë & regiſtrée en noſtre Cour de Parlement de Paris. Et parce que nous avons jugé qu'il eſtoit important de la faire auſſi regiſtrer dans les autres Cours de Parlement de noſtre Royaume, afin de la rendre publique, & que les ſentimens de nos Sujets ſoient uniformes ſur ces Articles, en ſorte qu'il ne ſoit rien dit, écrit, enſeigné, ny profeſſé qui ſoit contraire à la declaration de ladite Faculté. SCAVOIR faiſons, que Nous, pour ces cauſes & autres bonnes conſiderations à ce Nous mouvans, avons par ces preſentes ſignées de noſtre main, dit & ordonné, diſons & ordonnons, voulons & nous plaiſt, que leſdites ſix Propoſitions contenuës en la Declaration de ladite Faculté de Theologie ſoient leuës, publiées & enregiſtrées en toutes nos Cours de Parlement, Juſtices, Baillages, Senéchauſſées, Juriſdictions & Univerſitez de noſtre Royaume, pays & terres de noſtre obeïſſance, faiſans tres-expreſſes inhibitions & défenſes à tous Bacheliers, Licentiez, Docteurs, & autres perſonnes de quelque qualité & conditions qu'elles ſoient, de ſoûtenir & défendre, lire & enſeigner directement ny indirectement és Echoles publiques, ny ailleurs, aucunes propoſitions contraires à celles de la Declaration de ladite Faculté de Theologie, ny d'en faire aucun écrit, à peine de punition exemplaires ; & aux Syndics des

Universitez, & aux Docteurs qui presideront aux Actes, de souffrir qu'il soit rien inseré de contraire dans aucunes Theses, à peine d'en répondre en leur noms, & d'estre procedé contr'eux extraordinairement. Si donnons en mandement à nos amez & feaux les Gens tenans nostre Cour de Parlement de.... que ces presentes, ensemble la Declaration de ladite Faculté contenuë esdites six propositions, ils ayent à faire lire, publier & enregistrer au Greffe de nostredite Cour; & en toutes les Senéchaussées, Baillages & Universitez du ressort d'icelle, & à tenir soigneusement la main à l'exacte observation d'icelle, sans y contrevenir, ny permettre qu'il y soit contrevenu en aucune maniere: Car tel est nostre plaisir, en témoin dequoy Nous avons fait mettre nostre scel à cesdites presentes. Donné à Paris le quatriéme jour d'Aoust, l'an de grace mil six cens soixante trois. Et de nostre regne le vingt-uniéme.

Quæ hæc usque retuli ad patefaciendam Sorbonicorum sententiam de Episcoporum depositionibus; monstrant illa simul, & quæ sit Regia etiamnum de illis voluntas, & quæ supremarum Curiarum placita & decreta.

V. Qui verò Episcoporum Gallicanorum ea de re sit sensus, etiam è recentioribus monumentis intelligere est. Cùm enim anno 1667. quatuor Episcopi Gallicani, (meritò an immeritò dicere non ausim) accusati essent quasi minùs obsequentes Constitutionibus quibusdam Innocentii X. & Alexandri VII. Clemens verò IX. eorum successor

à Curialibus suis dubio procul incitatus Episcopos è Galliis Commissarios designasset qui accusatorum causam cognoscerent, Episcopi Galliarum non juris modò antiqui, sed & recentis illius intercessionis quæ paulò ante à Clero Gallicano facta erat, haud immemores, inusitatam judicii rationem omnes improbarunt, plures de illa, scriptis ad Summum Pontificem & Regem Christianissimum litteris, ut cunque expostularunt: quatuor verò Episcopi accusati encyclicam direxerunt ad omnes Franciæ Episcopos & Archiepiscopos, quâ quidem eos ad opitulandum non tam sibi, quàm Canonibus, ordinisque sui libertati advocabant.

VI. Equidem omittam hîc encyclicam Epistolam accusatorum quatuor Episcoporum: cùm enim improbarit illam Rex Christianissimus, non ratione materiæ quidem, sed quòd citra conscientiam suam, atque adeò & contra disciplinam publicam scripta esset, hanc mihi usurpare nefas. Verùm quoad alias spectat Epistolas, nempe quæ à plurimis Galliæ Episcopis cùm Summo Pontifici, tùm Regi Christianissimo scriptæ sunt, eas appono integras, ne quid sanctissimis Præsulibus videar imposuisse.

PLURIMO

PLURIMORUM GALLIÆ ANTITISTUM ad Summum Pontificem Clementem IX. de quatuor Episcopis litteræ.

BEATISSIME PATER,

Cùm exordia vestri Pontificatûs, quibuscumque possunt præsentis lætitiæ signis, & faustis in futurum votis prosequi certatim omnes allaborent; Nos, quibus satis perspectum est, BEATITUDINEM VESTRAM *fastigii sui amplitudinem non fluxis honoribus, sed salutaribus pro commissæ sibi Ecclesiæ utilitate, curis, laboribusque metiri, faciendum duximus, ut præter solemnia gratulationis officia, & sinceram venerationis nostræ significationem, Sanctitati Vestræ uberem statim laudum & meritorum materiam ostenderemus. Notissimæ illæ Decessorum vestrorum de quinque Propositionibus Constitutiones, perinde ab omnibus Galliæ Episcopis acceptæ, pari ab ipsis reverentia promulgatæ sunt, nec ullis unquam Gallicani Præsules concedent, ut in Apostolicam Sedem religiosiores, quàm ipsi sint, & ejus decretorum servantiores. Quòd si qui ex ordine nostro in invidiam vocati sunt, quòd eas minimè reverenter habuerint, id facilè* SANCTITAS VESTRA *postquam totam hanc causam penitùs cognoverit, præter verum & æquum in illos conferri perspiciet. Impetrabit vel ab inimicis excellens horum quatuor Episcoporum virtus hoc testimonium, non alios*

esse qui ordinem nostrum magis exornent & Ecclesiam magis ædificent, qui populorum saluti & commissi sibi gregis curæ vigilantiùs incumbant, & qui omnes denique Episcoporum partes cumulatiùs expleant. At nos illud prætereà, & spondere & confirmare possumus, non minimam ab eis pietatis suæ partem in eo poni, & Apostolicæ Sedi eâ qua par est demissione subsint, ejusque dignitatem debitâ veneratione prosequantur. Quod ergo ab ea quidam ipsos in suis de subscriptione mandatis discessisse criminantur, alienissima ab ipsis, Beatissime Pater, *& inanis suspicio est. Quid enim in illis mandatis quod vel à Catholicæ doctrinæ norma, vel à Romanæ Sedis reverentia tantillum deflectat? Novum & inauditum apud Nos nonnulli dogma protulerunt: Ecclesiæ nempe decretis, quibus quotidiana, nec revelata divinitùs facta deciduntur, certam & infallibilem constare veritatem, adeoque ipsa non minùs quàm revelata in Scripturis & traditione dogmata, fide esse tenenda. Hoc verò dogma,* Beatissime Pater, *quod ab omnibus antiquis recentibusque Theologis, peræque damnatum est, ex Decessoris vestri Constitutionibus, iidem qui illud invexerunt temerè stabilire nitebantur. Huic malo ut occurrerent prædicti Episcopi, simul ut quorumdam scrupulis mederentur, oppositam huic manifestissimo errori doctrinam, communissimam simul ac certissimam in mandatis suis exposuerunt, humana nimirùm nec divinitùs revelata facta non omnimoda & infallibili certitudine ab Ecclesia definiri, adeoque in ejusmodi rebus nihil aliud ipsam à fidelibus exigere, quàm ut sua de-*

creta reverenter, ut par est, habeant. Quid in hac doctrina, BEATISSIME PATER, *in Romanam Sedem irreligiosum & injurium? imò quid non religiosum & pium? cùm non modò à Summis Apostolicæ Sedis Venératoribus ejusque acerrimis vindicibus Baronio, Bellarmino, Palavicino asserta & tradita sit; sed eo nomine potissimùm constabilita, quòd eam ad vindicandam Ecclesiæ authoritatem in sanciendis Fidei dogmatibus & ad hæreticorum criminationes repellendas, pernecessáriam judicarint. Ita sentire si criminosum existimetur, non hoc proprium ipsorum, sed omnium nostrúm, imò totius Ecclesiæ crimen fuerit. Quinimo non defuerunt nec pauci, nec postremi nominis Episcopi qui idem prorsùs quod illi præstiterunt, vel publicis mandatis tametsi non prælo excusis; vel quòd non minùs ponderis habet, in publicis actis, sive tabulis in quibus eamdem latè doctrinam explicarunt: Plerique alii faciles se Clericis præbuerunt, si quibus fortasse aliquid addere in subscriptione libuit, dummodò rectum & orthodoxum: Absit igitur,* BEATISSIME PATER, *ut credamus, Sanctitatem Vestram ab Episcopis tanta morum integritate, & tam illibata fide conspicuis, alienam esse: absit ut eis fides adhibeatur qui minùs cautè disseminant Sanctitatem Vestram* NOVO ET INUSITATO MODO IN EOS ACTURAM; REMOTA EST HÆC SUSPICIO AB EPISCOPIS GALLICANIS, QUIBUS SOLEMNE EST NONNISI CANONICE JUDICARI, ET A SUMMIS PONTIFICIBUS SEMPER BENIGNIÙS EXCIPI. *Nec dubium nobis est quin ea-*

teri Fratres nostri idem nobiscum à Sanctitate Vestra cum omni reverentia & fiducia postulassent, nisi id ipsum ab illa sapienti, quam in te omnes mirantur, providentia expectarent. Hoc illud est, BEATISSIME PATER, *quod Ecclesia Gallicana, tanquam Apostolatui Vestro servatum sperat; hanc perfectam concordiam à Vestra Sapientia omnes deprecantur: ipsa sua sponte coalescere potest: sine labore, sine cujusquam offensione rixæ conticescent: Constitutionum honos apud omnes vigebit; & sub Summo Pastore omnia Ecclesiæ membra idem sapere, idem prædicare conspicies. Hoc verò cùm nec utilius quicquam Ecclesiæ, nec Sanctitati Vestræ gloriosius esse possit, non desistemus, & id ab ejus prudentia sperare, & supplicibus à Deo votis deposcere, ut ad tantum opus perficiendum longam Sanctitati Vestræ supremi Pontificatûs usuram largiatur, ipsamque diutissimè ad Ecclesiæ commoda servet incolumem.*

Sanctitatis Vestræ,

BEATISSIME PATER,

Datum die 1. Decemb.
Anno 1667.

Humillimi & obsequentissimi filii,

✠ LUDOVICUS HENRICUS DE GONDRIN
Archiepiscopus Senonensis.

✠ FELIX *Episcopus & Comes Cathalaunensis.*
✠ FRANCISCUS *Episcopus Bellonensis.*
✠ DOMINICUS *Episcopus Meldensis.*
✠ FRANCISCUS *Episcopus Engolismensis.*
✠ HENRICUS DE LAVAL *Episcopus Rupellensis.*
✠ GILBERTUS *Episcopus Convenarum.*
✠ BERNARDUS *Episcopus Conseranensis.*
✠ PETRUS JOANNES FRANCISCUS *Episcopus sanctæ Pontii Tomeriarum.*
✠ ROGERIUS *Episcopus Lodovensis.*
✠ ANTONIUS *Episcopus Vencensis.*
✠ LUDOVICUS *Episcopus Mirapicensis.*
✠ CLAUDIUS *Episcopus & Comes Aginnensis.*
✠ LUDOVICUS *Episcopus Santonensis.*
✠ CAROLUS FRANCISCUS *Episcopus Rhedonensis.*
✠ CAROLUS *Episcopus Suessionensis.*
✠ FRANCISCUS *Episcopus Ambianensis.*
✠ LUDOVICUS *Episcopus Tutellensis.*
✠ FRANCISCUS *Episcopus Trecensis.*

LETTRE DE PLUSIEURS PRELATS de France au Roy.

SIRE,

Comme les Evêques ont un droit particulier de prendre part à l'Election de celuy que JESUS-CHRIST

vient d'établir pour chef de son Eglise, nous avons crû qu'en luy rendant nos tres-humbles respects à l'entrée de son ministere Apostolique, le plus grand témoignage que nous luy pouvions donner de nostre zele pour sa veritable grandeur, estoit de luy representer ce que nous croyons necessaire qu'il sçache sur une affaire tres-importante au bien & à la paix de l'Eglise; Et nous avons jugé, SIRE, en même temps qu'il est de nostre devoir d'en informer Vostre Majesté, comme y ayant un égal interest pour le bien de son Etat & la gloire de son nom. Ce sont, SIRE, ces veritables motifs qui nous obligent de recourir à Vostre Majesté, quelques peines que nous ayons d'ailleurs d'interrompre ses grandes occupations; & nous luy pouvons protester, selon le témoignage sincere de nostre conscience, que comme nous avons esté toûjours tres-éloignez dans toute nostre conduite d'intrigue & de partialité, nous agissons dans cette importante occasion par le seul mouvement de nostre devoir. On ne peut, SIRE, trop loüer le zele que vostre Majesté témoigne pour défendre les interests de la Religion, & pour éloigner les erreurs, qui alterans la pureté de la foy, pourroient troubler la tranquillité de ses peuples, & c'est ce qui nous porte à representer avec toute sorte de respect à vostre Majesté, que dans les affaires des quatre Evêques que l'on luy a voulu rendre suspects, il ne s'agit pas de la foy, estant asseuré qu'il n'y a personne qui le puisse montrer, qu'il ne s'agit point aussi des Constitutions des Souverains Pontifes, qu'ils ont fait recevoir tres-religieusement dans leurs Dioceses,

ny par conſequent des Declarations qui en ont autoriſé la publication, & que nous pouvons aſſeurer vôtre Majeſté avoir eſté reccuës avec tout le reſpect poſſible : Car nous ne craignons pas, SIRE, d'avancer devant voſtre Majeſté, que tout ce qu'ont dit ces Evéques dans leurs Mandemens n'affoiblit en aucune maniere la condamnation des Propoſitions que tous les Catholiques rejettent, mais eſt ſeulement oppoſé à une nouvelle & pernicieuſe doctrine contraire à tous les principes de la Religion, aux intereſts de voſtre Majeſté & à la ſainteté de voſtre Etat, par laquelle on veut attribuer à Sa Sainteté ce qui n'appartient qu'à Dieu ſeul, en le rendant infaillible dans les faits mêmes. C'eſt, SIRE, tout leur crime d'avoir parlé comme l'Egliſe s'eſt expliquée dans tous les ſiecles, & comme ont fait même dans les derniers temps les Docteurs les plus zelez pour l'autorité du S. Siege : Et il n'y a perſonne qui ne reconnoiſſe que ce qu'ils ont dit ſur ce ſujet eſt incomparablement moins fort que ce qui eſt porté par les concluſions de Sorbonne, que voſtre Majeſté a fait publier dans tous les Parlemens de ſon Royaume : C'eſt pourquoy, SIRE, il eſt viſible qu'on ne peut entreprendre d'ôter aux Evéques la liberté de parler ſur cette matiere, comme ont fait ces quatre Prelats, ſans avoir un deſſein formé de renverſer tout ce que voſtre Majeſté a crû ſi neceſſaire pour la conſervation de ſa Couronne & de ſes droits. Mais il y a, SIRE, dans l'affaire des quatre Evéques un fait particulier, dont nous devons principalement informer voſtre Majeſté, parce qu'il nous regarde, &

que c'est à nous d'en rendre témoignage. Un des principaux moyens dont on s'est servi pour les rendre odieux, a esté de faire croire qu'ils avoient eu une conduite singuliere, & qu'ils estoient seuls dans le Royaume qui en eussent usé ainsi; Mais la verité, SIRE, nous oblige à declarer à vostre Majesté, que leur conduite n'a rien de particulier non plus que leurs sentimens; & qu'elle n'est point differente dans le fond de celles d'un grand nombre d'autres Evêques. Il y en a eu, SIRE, qui se sont expliquez aussi clairement dans les Mandemens qu'ils se sont contentez de publier dans leurs Dioceses; d'autres l'ont fait par leurs procez verbaux qui sont demeurez dans leurs Greffes, & qu'ils ne desavoüent point; d'autres ont témoigné ouvertement par leurs paroles qu'ils avoient la même pensée; & la plus grande partie l'ont fait en recevant des restrictions aux signatures, ce qui revient presqu'à la même chose. Ainsi nous sommes persuadez que vostre Majesté, SIRE, voyant le peu de sujet qu'on a eu de décrier ces Prelats, comme s'ils estoient separez de leurs Confreres, Elle n'improuvera point leur conduite, & sera tres-éloignée de souffrir qu'on entreprenne de les condamner, en violant toutes les formes, dont on ne pouvoit pas legitimement se dispenser envers les plus coupables: Car il n'y a rien, SIRE, de plus constamment établi par les Canons des Conciles & par les Decrets des Papes, que l'ordre que l'on doit observer, quand il s'agit de faire le procez à des Evêques. Ils ne peuvent estre jugez en premiere instance que par douze de leurs Confreres, non choisis

à la

à la volonté de ceux qui les voudroient faire condamner ; mais pris de leurs Provinces & presidez par leur Metropolitain : & ce nombre est tellement determiné, que lorsqu'il ne se trouve pas dans leurs Provinces, l'on est obligé de le suppléer par ceux des Provinces voisines. C'est ce Privilege Canonique dans lequel vostre Majesté nous promet à son Sacre avec un serment solemnel de nous maintenir. Quand les Papes ont voulu y donner quelque atteinte & se dispenser des regles ordinaires, vos Predecesseurs, SIRE, & vôtre Parlement, s'y sont opposez, & c'est en cela qu'ils ont mis une des principales parties des Privileges de l'Eglise Gallicane, comme le Clergé l'a aussi solemnellement declaré dans l'Assemblée de 1650. ayant fait une protestation qui fut signifiée au Nonce du Pape, de ne point souffrir que les Evêques de France fussent jugés autrement que selon les formes Canoniques. C'est pourquoi, SIRE, nous ne pouvons croire que vostre Majesté qui a témoigné tant de zele pour la conservation de cette même liberté, voulût permettre qu'on les violât en un point si important. Mais ce seroit encore un plus étrange avilissement des Evêques, si on entreprenoit de les condamner sans les entendre, & sans que leur cause soit examinée & jugée par des Evêques qui fassent la fonction de Iuges, & non pas de Commissaires nommez par le Pape, sans autre pouvoir que de les declarer interdits. C'est une entreprise, SIRE, que nous sommes persuadez que vostre Majesté ne souffrira jamais, quand Elle fera reflexion que ce seroit renverser visiblement le Concordat ; puis-

qu'il faudroit que les Evêques qui sont les Iuges naturels de leurs Confreres ne devinſſent que de ſimples executeurs des jugemens & des condamnations renduës à Rome. Voſtre Majeſté eſt trop équitable pour ne juger pas auſſi, qu'agir de la ſorte, ce ne ſeroit pas ſeulement renverſer les Canons, mais renoncer aux premiers principes de l'équité naturelle reconnuë par les Payens mêmes, comme nous apprend dans les Actes des Apôtres ce Gouverneur de Iudée, qui refuſa de conſentir à l'injuſtice que les Iuifs vouloient exercer contre Saint Paul, par la ſeule conſideration que ce n'eſtoit pas la couſtume des Romains de condamner un homme avant que l'accuſé euſt eu ſes accuſateurs preſens devant luy, & qu'on luy euſt donné la liberté de ſe juſtifier du crime dont on l'accuſoit. Mais pourroit-on alleguer, pour colorer un ſi étrange deſſein, cette pernicieuſe raiſon, que le crime de ces quatre Evéques, eſtant manifeſte, il n'eſt beſoin ny de diſcution ny de jugement, mais ſeulement de punition? Cette maxime, SIRE, eſt nouvelle, puiſque ceux mêmes qu'on ſurprend dans les plus grands crimes, ne ſont punis qu'aprés avoir eſté ouys devant leurs veritables Iuges, & qu'on a rendu ſentence contre eux ſelon les formes ordinaires. Ce n'eſt pas, SIRE, à quoy nous nous arrêtons, il s'agit de ſçavoir ſi le crime de ces excellens Evéques eſt ſi manifeſte, qu'ils n'ayent pas beſoin pour eſtre condamnez & interdits de leurs miniſteres, d'eſtre ouys devant leurs Iuges, & d'eſtre receus à ſe juſtifier des reproches qu'on leur fait. Et c'eſt ce que nous ne craignons pas de dire à voſtre

Majesté, ne se pouvoir soûtenir, sans détruire l'Episcopat : car il faudroit pour cela supposer, qu'aussitost que le Pape aura fait une Ordonnance, c'est un crime manifeste à un Evêque, & qui luy fait encourir sans autre examen les plus grandes peines de l'Eglise, que de ne la pas executer à la lettre, sans adjouter quoy que ce soit, bien que tres-constant & tres-orthodoxe : Or vostre Majesté, SIRE, voit assez de quelle consequence seroit l'établissement d'une si étrange maxime, & qu'il ne faudroit plus considerer les Evêques comme tenans de JESUS-CHRIST *même leur authorité sacrée, selon que l'Ecriture nous l'apprend, mais comme des simples Vicaires de celuy dont ils n'auroient droit que de suivre & executer aveuglément toutes les volontez, sans pouvoir même les expliquer selon la doctrine commune de l'Eglise, pour l'édification des ames dont Dieu leur demandera compte : Car parler & s'expliquer de la sorte, ce n'est point, SIRE, contredire & resister au saint Siege : c'est une liberté naturelle aux Evêques & aussi ancienne que l'Eglise ; & il a esté souvent necessaire pour le service de nos Rois & de l'Etat que ceux qui ont precedé n'ayent pas eu une obeyssance si aveugle pour toutes les choses qui viennent de Rome. Que si vostre Majesté est trop éclairée, pour souffrir qu'on vouluſt authoriser en son Royaume une si méchante doctrine & si prejudiciable au bien de son service, il faut demeurer d'accord qu'on ne peut imposer aucune peine pour avoir usé d'explication & de distinctions, qu'aprés avoir examiné par un Iugement Canonique,*

où ils seroient presens & entendus, s'ils ont bien ou mal fait d'user de cette explication. Et nous osons avancer, SIRE, qu'en cela tous les Evêques generalement ont un grand interest d'empêcher tant qu'ils pourront qu'on agisse d'une autre maniere; car quand il y en auroit qui trouveroient à redire à ce qu'ont fait ces quatre Evêques, il faudroit neanmoins qu'ils fussent insensibles à leur propre honneur & ennemis de leur caractere, s'ils approuvoient qu'on les jugeât autrement que selon les formes Canoniques, & encore plus s'ils trouvoient bon que sans autre examen on les condamnât sur cette maxime generale, que les Evêques n'estant que les executeurs des Bulles des Papes, ils se rendent criminels s'ils y adjoutent le moindre éclaircissement, quoyque tres-Catholique. Que si on passoit outre malgré tant de raisons invincibles, quels scandales ne seroit-il point à craindre dans l'Eglise de France? & ne seroit-il pas à presumer que la plusparr des Evêques & des Fidelles ne pourroient pas considerer & traiter comme interdits des Prelats condamnez de la sorte, avec un violement si absolu de toutes les regles Ecclesiastiques, ny se separer de leur Communion? Mais, SIRE, nous sommes trop persuadez de la justice de vostre Majesté pour rien apprehender de tel sous son regne, amoins qu'on essayât de noircir auprés d'Elle les bonnes intentions de ces dignes Prelats; & c'est ce qui nous porte à la supplier tres-humblement de les vouloir oüir, & de ne leur refuser pas en cela ce qu'Elle accorde au moindre de ses Sujets, & de s'informer par eux-mêmes de la sincerité & de

la pureté de leurs sentimens ; & cependant d'avoir pour agreable de faire suspendre à Rome toutes les poursuites jusques à tant qu'Elle soit informée. Nous nous tenons assurez, SIRE, que s'il plaist à vostre Majesté de leur faire cette grace, Elle en sera satisfaite, qu'Elle regardera comme une singuliere benediction du Ciel, d'avoir dans son Royaume de si dignes successeurs de ces grands Saints, dont ils font revivre en nos jours les exemples de pieté par une charité aussi ardente que pure & desinteressée, & par une vigilance infatigable dans les travaux de leur ministere ; & c'est aussi ce qui nous fait esperer de vostre Majesté, qu'ayant vû par Elle-même qu'il luy est également facile & avantageux de donner la paix à l'Eglise, Elle s'estimera plus heureuse de s'acquiter d'une si bonne œuvre, & qui luy peut estre d'un si grand merite devant Dieu, que d'étendre, comme Elle fait, les bornes de son Empire par ses glorieuses Conquêtes qui le font considerer aujourd'huy par toute l'Europe comme le plus grand Prince du monde. Tant de gloire humaine, SIRE, sera comblée d'une gloire plus divine, s'il plaist à vostre Majesté d'écouter favorablement les tres-humbles supplications que nous luy faisons, non seulement pour nos Confreres, mais aussi pour les droits communs de l'Episcopat que l'on veut détruire en leurs personnes, & pour le repos de toute l'Eglise Gallicane, & nous aurons une nouvelle & pressante obligation de continuer avec encore plus de ferveur les prieres que nous faisons sans cesse à Dieu pour la conservation de sa personne Sacrée, pour l'heu-

reux succez de ſes Armes, & pour la tranquillité de ſon Etat, comme eſtant avec un profond reſpect, & une parfaite ſoumiſſion,

SIRE,

DE VOSTRE MAIESTE',

Les tres-humbles, tres-obeïſſans & tres-fideles Sujets & Serviteurs

✠ LOÜIS HENRY DE GONDRIN *Archevéque de Sens.*
✠ FELIX *Evéque & Comte de Châlon.*
✠ FRANCOIS *Evéque de Boulogne.*
✠ DOMINIQUE *Evéque de Meaux.*
✠ FRANÇOIS *Evéque d'Angouleſme.*
✠ HENRY DE LAVAL *Evéque de la Rochelle.*
✠ GILBERT *Evéque de Cominges.*
✠ BERNARD *Evéque de Conſerans.*
✠ PIERRE JEAN FRANÇOIS *Evéque de Saint Pons.*
✠ ROGER *Evéque de Lodéve.*
✠ ANTOINE *Evéque de Vence.*
✠ LOÜIS *Evéque de Mirepoix.*
✠ CLAUDE *Evéque & Comte d'Agen.*
✠ LOÜIS *Evéque de Xaintes.*
✠ CHARLES FRANÇOIS *Evéque de Rennes.*

✠ CHARLES *Evêque de Soissons.*
✠ FRANÇOIS *Evêque d'Amiens.*
✠ LOÜIS *Evêques de Tulles.*
✠ FRANCOIS *Evêque de Troye.*

Post scriptas vulgatasque ejusmodi Epistolas, mutati subitò visi sunt & ad pacem conversi omnium animi. Ipseque Rex Christianissimus pro sua pietate ac prudentia sic egit cum Clemente IX. Pontifice, ut judiciali omni formâ omissâ, Episcopis quatuor Clemens IX. amicus valde, ipsi verò Clementi IX. devoti planè & obsequentes evaserint. Sic nempe Canonum antiquorum, morumque Gallicanorum vis explicata apud omnes prævaluit.

DISSERTATIONIS EPILOGUS,

AN

Divisio juris in antiquum & novum ferenda sit in Galliis quoad Episcoporum deponendorum rationem?

JAM Lector intelligit ejusmodi divisioni locum nullum superesse in Galliis: siquidem jus antiquum ibi semper prævaluit. Hoc verò è præmissis concludi facilè sic potest.

Jus novum, si quod est, circa Episcoporum depositiones & judicia.

Vel petitur ex Concilio Tridentino.

Vel ex Concordatis.

Vel ex Collectionibus Decretalium.

Vel ex Apocryphis illis Decretalibus quæ ab Isidoro vulgatæ sunt.

Vel demum ex præscripta aliqua consuetudine.

Atqui nihil horum in Galliis aut prævalet, aut usquam prævaluit, ut in progressu dissertationis ostensum est. Itaque planè ruit divisio illa juris in antiquum & novum apud Gallos ea in specie quam tractamus: atque adeò perfugium est hæc malè fidum semi-Gallis nescio quibus, qui antiquos Canones in Episcoporum judiciis valuisse fatentur quidem apud Gallos sub prima Regum Francorum stirpe, deinceps verò novum jus obtinuisse contendunt. Sed & istos in antecedentibus confutavi abundè: quòd si ne post hæc quidem resipiscant, valere eos sic jubet Gregorius Magnus: *Si Canones non custoditis, & majorum vultis statuta convellere, non cognosco qui estis, lib. 2. ep. 52.*

FINIS.

APPENDIX

Insignia quatuor monumenta, quibus Ecclesiæ Gallicanæ libertas, in retinenda antiqua Episcopalium judiciorum forma, confirmatur.

Monumenta illa sunt :

I. EPISTOLA Caroli Calvi ad Hadrianum Pontificem, de causa Hincmari Laudunensis.

II. Rescriptum Concilii Duziacensis ad eundem Pontificem, de eodem negotio.

III. Epistola Caroli Calvi ad Joannem VIII. de Judiciis & Appellationibus Episcoporum ac Presbyterorum Ecclesiæ Gallicanæ ad Sedem Apostolicam.

IV. Apologia Concilii Remensis à Gerberto conscripta.

De hisce monumentis injecta est mentio in contextu dissertationis.

De Epistola quidem Caroli Calvi ad Hadrianum, & de Rescripto Concilii Duziacensis ad eundum Pontificem, agendo de causa Hincmari Laudunensis. pag. 243.

De Epistola Caroli Calvi ad Joannem VIII. occasione judiciorum à Joanne audaciùs paulò usurpatorum in Gallis. pag. 245.

De Apologia autem Concilii Remensis, ubi de causa Arnulphi Remensis. pag. 257.

Exscribenda verò hæc duxi integra instar appendicis, tum quia non sic obvia sunt alibi omnibus, tum quia ad confirmationem eorum, quæ de Episcoporum judiciis scripsi, aptissima visa sunt atque utilissima.

Imo verò tametsi hactenùs planè siluissem, loquerenturque solummodò quatuor istæc monumenta egregia, vinceret profectò Ecclesiæ Gallicanæ libertas, qua parte, vetustis innixa Canonibus, antiquam judiciorum Episcopalium normam tuetur ac propugnat. Habes enim in istis veluti armamentaria quatuor, in

quibus vis omnis continetur, sive Canonum ipsorum quibus disciplina antiqua sancita est, sive morum consuetudinumque laudabilium quibus in Gallis roborata.

Iuvabunt illa insuper ad eorum confutandam opinionem qui Provincialium Synodorum in Episcoporum judiciis authoritatem floruisse quidem aiunt sub prima Regum nostrorum stirpe, emarcuisse verò fabulantur sub secunda ac tertia. Nam Epistola utraque Caroli Calvi, cui Concilii Duziacensis rescriptum veluti surculus adhæresci, ab ipsa secunda Regum Francorum stirpe oriunda est; Apologiam verò Concilii Remensis sub umbra florescentis tertiæ Gerbertus concinnavit.

Quod si verò cum illis quatuor, & ea jungantur posteriorum temporum instrumenta, quæ sub finem dissertationis meæ collecta sunt; fiet profectò exurgetque ex omnibus veluti arx inexpugnabilis, ubi tuta inviolataque Episcoporum Gallicanorum dignitas æternùm conquiesceret.

EPISTOLA CAROLI CALVI ad Hadrianum Papam.

Sanctissimo ac Reverendissimo Patri Hadriano Summo Pontifici & universali Papæ, Carolus Dei gratiâ Rex & spiritalis filius vester.

LEGIMUS in Libro Paralipomenon filios Israël mente pacifica iviſſe ad prælium, quia non livoris vindictâ, sed obtinendæ pacis gratiâ dimicaverunt. Quod rursùm dicimus, quia cogitis nos indecentibus potestati regiæ literis vestris inhonoratum, inconvenientibus Episcopali modestiæ vestræ mandatis gravatum, contumeliis & opprobriis dehonestatum, aliter quàm vellemus mente pacifica vobis rescribere, ut tandem animadvertatis, quanquam perturbationibus hominis obnoxium, in imagine tamen Dei ambulantem esse nos hominem, habere sensum paterna & avita successione, Dei gratiâ, regio nomine ac culmine sublimatum: & quod his majus est, Christianum, Catholicum, fidei orthodoxæ cultorem, sacris literis ac legibus

tam ecclesiasticis quàm sæcularibus ab infantia eruditum, nullo crimine publico in audientia episcopali legaliter ac regulariter accusatum, minimè autem convictum. Et ut, quæ superaddere poteramus, alia taceamus, ne nos potiùs jactare quàm vera dicere videamur, licèt legamus Apostolum plura de se dixisse, ob aliorum salutem necessitate compulsum. Quoniam sæpe humiliter vobis locuti, benigna & pacifica atque honorabilia nobis scripta impetrare nequivimus, ut quietem pacis & venerationem, quam apud antecessores vestros nostri decessores & nos habuimus, quoquomodo obtinere possemus. Scripsimus vobis per Actardum Episcopum & mansuetudinis nostræ legatum, singillatim ac viritim quàm inconvenientia pro Hincmaro quondam Laudunensi Episcopo ex nomine vestro nobis scripta fuerunt, quæ nos à vobis processisse non credebamus, putantes nos ratione comperta ab incompetentibus, quæ aliorum instinctu nobis eatenus scripta fuerunt, calamum revocare: sed spe vana frustratis, aliter nobis quàm sperabamus evenit. In capite quippe literarum quas per præfatum Actardum Episcopum nobis vestra direxit paternitas, auditam laudabilem caritatis & sapientiæ nostræ magnitudinem vos prætulisse invenimus, & mox de comperto murmure & tumultuoso clamore, indebitæ reprehensionis adversùs paternitatem vestram nos denotatos reperimus: sicque auditam nostram sapientiam collaudastis, ut quasi honestiùs & reverâ onustiùs, nos solitis contumeliis afficere volueritis, quem non per insipientiam, sed per industriam in murmuratione & clamore contra debitam caritatem delinquere demonstrabitis, & quasi ad ora vasculi melle illiti, & de eodem fonte quo & antè missæ literæ istæ posteriores nobis pernicioſum poculum propinaverunt, fatentes illa, quæ aliorum instinctu & non à vobis processisse credebamus, vestra fuisse.

Nam in præcedentibus literis, nos perjurum, tyrannum ac perfidum, & distractorem rerum ecclesiasticarum non confessum, nec ordine judiciario legaliter ac regulariter convictum vocastis: in istis autem murmurationis crimen

nobis impegistis, & tumultuosi clamoris nævum imposuistis, arguente Domino carnalem Israël per Prophetam, unde nos coarguitis: *Quia non fecerit judicium sed clamorem* Et Apostolus, *Omnis*, inquit, *clamor & indignatio tollatur à vobis.* Et non levius est malum murmuratio his, quibus nos antea denotastis, dicente Apostolo, *Neque murmuraveritis, sicut quidam illorum murmuraverunt, & à serpentibus perierunt.* Et ut beatus dicit Gregorius, Nullus murmurans regnum Dei intrare permittitur. Hinc colligendum est quantum peccatum sit murmuratio, quæ regnum Dei intercludit. Sicut & illa peccata gravia, post quorum enumerationem dicit Apostolus, *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et non, ut scripsistis, tumultuoso clamore paternitatem vestram indebitè reprehendimus, sed quæ nobis ex vestro nomine scripta fuerunt, non multorum vocibus, quibus tumultus fieri solet, sed nostra tantùm voce rescripsimus. Et quoniam talia vos misisse, & à sancta Romana Ecclesia, in omnibus semper discretissima atque cautissima, dictata fuisse, nequaquam credidimus: quia ipsa sancta Sedes cum modestia & discretione semper corripere, & salubriter corrigere secundùm uniuscujusque personam & ordinem solita fuit, suggessimus. Igitur si malè locuti sumus, testimonium perhibete de malo; si autem benè, quid nobis succensetis? Scriptum est Abraham licèt sanctum, ut à Deo sanctificatum hominem, tamen eidem Deo dixisse: *Num perdes justum cum impio? Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram:* Et non ingratè hoc Dominum suscepisse. Et nos arguitis, quoniam humili placatione vobis suggessimus, non esse vestrum, non confesso, nec legaliter ac regulariter convicto, regia etiam potestate gratiâ Dei prædito, talia sicut plebeïo, & de criminibus confutato, scribendo impingere, scientes quàm grave sit fratri, quod nobis impactis minus est, dicere fatue, nullique detrahendum, vel contra fas maledicendum: minimè autem Regi, ut Apostolica doctrina, atque sancti David in Saülis jam à Domino reprobati reverentia, & Salomonis sapientia, ac Nabuthæ prodit historia.

Invenimus etiam in eisdem literis nobis datum consilium, si fortè dici potest consilium, quod est exemplo Domini contrarium, & decretis Sanctorum invenitur adversum; scilicet, ut verbis vestris dicamus, omnia quæ à Sede Apostolica, cui per Dei gratiam præsidetis, directa sunt, alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere. Scriptum est enim nobis ex vestro nomine, Nos perjurum, tyrannum, ac perfidum, & distractorem esse rerum ecclesiasticarum, Et hæc alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere? Nisi scriptor fortè velit nos cum vulgo Æthiopes vocare argenteos, & ideo quis nobis pulcher videatur, quia nomine bellus vocatur, & sibi cantare cum Persio: Quicquid calcaveris rosa fiat; illudque propheticum incurrere, *Væ his qui ponunt amarum in dulce*, cùm Dominus dicentibus ad se Judæis, *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* quod recognovit, tacendo consensit, & patienter repulit, quod dictum fallaciter audivit dicens, *Ego dæmonium non habeo.* Cujus pro modulo nostro in hoc exemplum secuti, qui non dedignatus est ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare; de his patienter apud paternitatem vestram nos excusavimus, ne si penitus taceremus, tales quales denotabamur, tacendo & consentiendo esse nos fateremur, & quasi confessi, nostra confessione convicti judicaremur.

Et hoc hortamentum quod in literis ex nomine vestro ab Actardo Episcopo nobis delatis invenimus, scilicet ut omnia quæ à Sede Apostolica nobis veniunt, humili debeamus semper intentione recipere, non solùm ut præmissimus, evangelicæ veritati, sed etiam decretis Sanctorum invenitur adversum. In quorum decretis legimus, eum absolvi non posse, qui in seipsum dixerit mortis causam, quâ edictâ in alium puniretur, falsum videlicet testimonium: cum omnis, qui sibi fuerit mortis causa, major homicida sit. Et hinc decreverunt, Ut quicumque sub ordinatione vel

Diaconatus, vel Presbyterii, vel Episcopatus, mortali crimine dixerint se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submovendos. Et nos, si ad talia nobis impacta tacendo consentiremus, non solùm à regimine regio, verùm & à Catholicæ Ecclesiæ communione nos ipsos sequestraremus. Non igitur talia nobis ex parte Sedis Apostolicæ, nomine vestro scripta, mente alacri percipere, & animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere, quæ sicut in eisdem literis ex sententia sapientis Salomonis subjungitur: *Quasi stimuli & sicut clavi in altum defixi esse viderentur*, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Cui sententiæ item sapientis verba referimus; quibus dixit, *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris*, id est probaveris, *corripe juste*, sicut Nathan David Regem priùs intrrrogavit, & interrogatione probatum corripuit, & cùm causa correptionis defuit, humiliter adoravit, veluti in sacra historia legimus. Mandate & scribite quæ vestro & nostro ministerio congruunt, vel decessores vestri nobis & nostris decessoribus mandaverunt atque scripserunt, & alacri mente, animoque grato recipiemus.

Literæ autem ex nomine vestro semper sine interrogatione, id est, sine probatione nos pungunt, & peccata, pro quibus invitum pungunt, sponte confessa, vel ordine judiciario legaliter ac regulariter comprobata non ostendunt: & cùm peccata manifesta & probata desint, fomentis benignæ adhortationis & allocutionis non refovent: reprehendente hinc Domino populorum rectores asperos, atque dicente: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Quibus Apostolus regulam dedit commonitionis, singulis dicens: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Misceas temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris affectum ostendentes, id est, indisciplinatos & inquietos debent duriùs arguere, obedientes autem atque patientes, ut in melius proficiant, obsecrare; negligentes autem & contemnentes debent utique increpare atque corripere, & de criminalibus pecca-

tis aut ultrò confessos, aut ordine judiciario convictos atque comprobatos, secundùm modum culpæ legaliter ac regulariter judicare. [Noluit Apostolus, inquit beatus Augustinus, hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potiùs ex lege Dei secundùm ordinem Ecclesiæ, sive ultrò confessum, sive accusatum & convictum : alioquin illud cur dixit : *Si quis cùm frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, &c.* nisi quia eam nominationem intelligi volunt, quæ fit in quenquam, cùm sententia ordine judiciario atque integritate profertur : nam si nominatio sola sufficit : multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falsò in quenquam crimina nominantur : plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, ut ea quæ sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possint : quamvis enim sint vera quædam, non tamen judici facilé credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur, nisi ordine judiciario comprobentur, ut si per judicium mali ab Ecclesiæ communione auferri non possunt, tolerentur potiùs, ne perversè malos evitando quisque ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.]

Quod scriptum est in eisdem ex nomine vestro literis, quia sanè non patienter Pontificii vestri monita & correctiones nos audiisse comperistis, liquidò patet adhuc perfectæ aliquid caritatis minùs dumtaxat habere, de qua dicit Apostolus ; *Charitas patiens est, benigna est, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, omnia suffert, omnia sustinet.* Cujus caritatis modum & perfectionem in benignitate atque patientia, in humilitate & sufferentia, exemplo sanctæ paternitatis vestræ, in literis vestris discere admodùm cuperemus, si Deus nos inde honorare dignaretur. Quod & in hoc possemus addiscere, si in his ad quæ ex nomine vestro nobis scripta, sanctitati vestræ rescripsimus ; sustineretis modicum quid insipientiæ nostræ, & supportaretis nos, sicut magnus Petrus Apostolicæ & primæ Sedis primus Episcopus, non solùm patienter, sed & gaudenter ad-

eò suscepit reprehensionem suam à Coapostolo suo Paulo sibi ostensam, ut ejus epistolas in quibus se reprehensum legerat, cum maximo favore laudaverit. Non enim ita supputatè eas laudare poterat, nisi legisset: & quia legit scriptum, reprehensum se in eis invenit: & quoniam eas tam granditer laudavit, quàm gratanter justam reprehensionem suam accepto tulerit patienter, ostendit: & cum à minoribus suis reprehensus fuit, cur ad gentiles intraverit, non eis nudo & tumido sermone respondit, ut omnia quæ egerat patientissimè sustinerent, nec aliquid in eorum querela de sua potestate dixit, sed humili ejus ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit. Quia si in querela fidelium, ut beatus dicit Gregorius, aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset. Si igitur pastor Ecclesiæ, Apostolorum Princeps signa & miracula singulariter faciens; non dedignatus est in causa reprehensionis suæ, rationem humiliter reddere; quantò magis, inquit beatus Gregorius Apostolicæ Sedis Pontifex, nos peccatores cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare deberemus? Litteræ autem ex nomine vestro nobis directæ, non humili nos ratione placarunt, nec contra rationem nos ea ratione & auctoritate quæsiisse monstrarunt, sed indebitâ increpatione os nostrum oppilare studuerunt, cùm Deo gratias, liberâ adhuc fronte, de his quæ nobis per literas ex nomine vestro directas impacta sunt, loqui possimus.

Scriptum est etiam in præfatis literis nobis ex nomine vestro directis, de Hincmaro hoc modo. [Volumus & auctoritate apostolica jubemus ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum, vestrâ fretum potentiâ, ad limina Sanctorum, nostramque venire clementiam: quo sanè veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nullâ possit auctoritate legitimâ respui. Et tunc in præsentia nostra & totius Sedis Romanæ synodali Collegio, causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita secundùm Deum & sacrorum Canonum constitutiones Spiritu Dei prolatas sine protelatione aliquâ definietur.] Quæ relegentes licèt con-

tra

tra morem decessorum ac prædecessorum vestrorum hoc dictum invenerimus, id est umbrosum sæculi typhum inducere in Ecclesiam suam, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem Domini videre desiderantibus præfert; tamen de voluntate non dubitavimus: quia humano animo facilè potest subripi quod ex deliberatione conveniat immutari. Sed valdè mirati sumus, ubi hoc dictator epistolæ, nobis per Actardum Episcopum delatæ, scriptum invenerit esse apostolica auctoritate præcipiendum, ut Rex corrector iniquorum & districtor reorum, ac secundùm leges ecclesiasticas atque mundanas ultor criminum, reum legaliter atque regulariter pro excessibus suis damnatum, suâ fretum potentiâ Romam dirigat: maximè autem illum qui & ante depositionem contra custodiam publicam, & contra quietem moliri, in tribus Synodis extitit deprehensus, sicut in gestis episcopalibus paternitati vestræ directis continetur, & post depositionem suam, & per se, & per quoscumque potuit, à sua pervicacia non quievit. Sed non miramur si in posterioribus literis, ex nomine vestro nobis directis est infulcitum, ut regulariter ac legaliter damnatus qui nullis legibus decernitur, à quoquam, gradu, seu rebus ac facultatibus redonandus, antequam si contrà custodiam & quietem publicam moliri non fuerit deprehensus, renovato Apostolicæ Sedis auctoritate judicio in provincia, qua fuerit judicatus, fortè inveniatur innoxius, regiâ nostrâ potentiâ ad vestram veniat fretus, cùm se auctore, damnato debeatur zelus rectitudinis, non clementia resolutionis: quæ si non de eodem foramine, de eodem tamen conamine manarunt; de quo & anteriores fluxerunt, in quibus continetur, ut rés omnes Hincmaro commissæ Ecclesiæ, donec ad propria reverteretur, nobis committeretis ut indemnes consisterent, & aliquod dispendium non incurrerent.

Unde sicut vobis rescripsimus, & nunc iterum vobis scribere non piguit, sed exigente causa necessarium est, quia Reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum vice-domini, sed terræ domini hactenus fumus com-

putati, & ut Leo ac Biturícensis Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præcepit præesse, jus distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt. Et sanctus Augustinus dicit, per jura regum possidentur possessiones, non autem per episcopale imperium Reges villici fiunt, actoresque Episcoporum. Et Dominus, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo reddi præcipit*, qui etiam censum Regi reddidit, & Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari & non calcari Reges, *Regem*, inquit, *honorificate*. Et iterum, *Omnis*, inquiens, *animæ potestatibus sublimioribus subdita sit, reddite ergo omnibus debita*, Et paulò superiùs: *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam*. Et si revolveritis regesta decessorum ac prædecessorum vestrorum, talia mandata sicut habentur in literis ex nomine vestro nobis directis per Actardum Episcopum, decessores nostros à decessoribus vestris accepisse nullatenus invenietis; unde pauca de pluribus vobis scribere necessarium duximus.

Sanctus Gregorius merito vitæ & sapientiæ doctrinâ Apostolicæ Sedis Pontifex, & toti orbi colendus ac imitandus, Francorum Regibus Theodorico & Theodeberto prædecessoribus nostris de præjudicio cujusdam Episcopi, non ita ut vos nobis scripsistis, pro eo qui pro meritis suis legaliter ac regulariter justè depositus est: scripsit hoc modo: [Frater & Coëpiscopus noster Ursinus Taurinæ civitatis Antistes, in parochiis suis quæ intra regni vestri sunt terminos constitutæ, grave omninò dicitur præjudicium sustinere, adeò ut contra ecclesiasticam observantiam, contraque sacerdotalem gravitatem, & contra sactorum Canonum definita, nullo ejus exigente crimine, alter illic nunc meruerit Episcopus ordinari. Et quia parum visum est, si illicitis non jungerentur illicita, etiam res Ecclesiæ suæ, ut fertur, ablatæ sunt. Quòd si ita se veritas habet, quoniam nimis intolerabile est, ut virtute opprimeretur, cui culpa non nocuit, præmisso paternæ salutationis alloquio petimus, ut quod excellentia vestra amore ecclesiasti-

cæ reverentiæ & æquitatis contemplatione ſponte poteſt impendere, noſtræ ſtudeat benigniùs interceſſioni concedere; & juſtitiam illi, ſicut de æquitatis ejus bono confidimus, faciat in omnibus cuſtodiri, atque patefacta veritate quod illicitè actum eſt, corrigi. Pro utilitate ergo animæ veſtræ, hæc apud vos noſtra exhortatio locum inveniat, &c.] Sed & ad Romanum Exarchum minoris dignitatis quam ſimus Dei gratiâ, regiæ poteſtatis, de quodam Epiſcopo ſcripſit hoc modo. [Pervenit ad nos Blandum Ottonenſis civitatis Epiſcopum, longo jam tempore in civitate Ravennati à veſtra excellentia detineri, & fit ut Eccleſia ſine rectore, & populus quaſi ſine paſtore grex fuit, & ibidem infantes pro peccatis abſque baptiſmate moriantur. Et rurſus: Quia non credimus quòd eum excellentia veſtra, niſi ex aliqua probabilis exceſſus cauſa tenuerit, oportet ut habita Synodo palam fiat, ſi quod in eum crimen intenditur: & ſi talis in eo culpa reperitur, quæ ad uſque degradationem ſacerdotii deducatur, aliam neceſſe eſt ordinationem inquiramus; ne Eccleſia Dei in his ſine quibus eam Chriſtiana non patitur eſſe religio, inculta ac deſtituta maneat: ſin autem excellentia veſtra aliter ſe habere quàm de eo quod dicitur eſſe perſpexerit, eum ad Eccleſiam ſuam reverti concedat, ut officium ſuum in commiſſis ſibi animabus adimpleat.] Quibus mandatis beati Gregorii prædeceſſoris veſtri, de his qui necdum judicio Synodali legaliter ac regulariter pro criminibus ſuis fuêre depoſiti, collatis cum ſcriptis ex nomine veſtro nobis directis, ex eo qui legaliter ac regulariter pro ſuis exceſſibus judicio ſynodali habetur depoſitus, ut eum noſtrâ fretum potentiâ, Romam mittamus, quæ potiùs ſequenda ſint, judicare. Nos autem auctoritatem veſtram judicaturam potiùs credimus, ut ea ſequamur quæ deceſſores ac prædeceſſores veſtri ſecundùm ſcripturarum tramitem, prædicationemque majorum ſcripſerunt, quàm illa quæ ſcriptor ſæpedictæ epiſtolæ ex nomine veſtro nobis directæ confinxit. Ait enim beatus Auguſtinus libro ad Januarium: Omnia talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritati-

bus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, reseccanda existimo. Et Sanctus Leo, de his quæ à sacris Canonibus habentur ita præfixa, & eisdem Apostolicæ Sedis sunt promulgata decretis, ut nulla possint ratione convelli, constituit; ut omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Ac si cum Paulo diceret, Quia sibi ipsi Apostolica Sedes in suis constitutionibus esse non potest contraria, *Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Sed ut in controversia Quintiliani legitur, Floribus vafriciâ nebulonum veneficatis apes mortuas esse, quibus mellificandum fuerat; de Scripturis sacris beatus Petrus agi demonstrat, loquens de Pauli epistolis, *Quæ indocti & instabiles*, inquit, *depravant sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Et de traditionibus ecclesiasticis sanctus Innocentius: Dum, inquiens, unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut ecclesiis non convenire, aut ab Apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. Contra quem morbum sanctus Cælestinus salubre cunctis celebravit antidotum, dicens: Nulli Sacerdoti liceat suos Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum regulis possit obviare. Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentiâ populis permissâ frangatur? Et sanctus Gelasius in decretis suis: Patres nostri, Catholici videlicet & docti Pontifices, in unaquaque secta quolibet tempore susceitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica, secundùm scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, factâ semel congregatione, sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuò quæ præfixa fuerant retractari, qua-

libet recenti præsumptione permiserunt.

Videndum est igitur quid hic trames sanctarum Scripturarum, & prædicatio majorum definiant. Scriptum quippe legimus in sacra historia, dixisse Dominum per Prophetam Josaphat Regi: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris, & idcirco iram quidem Domini mereberis, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda.* Et in Evangelio semel & secundò ac tertiò monitum & non obedientem ad correctionem debitam, Dominus sicut ethnicum & publicanum jubet haberi. Et beatus Gregorius in decretis suis, sicut in gestis Synodi invenire potestis, pervasorem non solùm rerum alienarum, sed etiam Ecclesiæ sibi commissæ anathematisatum definit: verùm & si alius hoc egerit, is qui præest Ecclesiæ, si hoc vel ipse fieri præcipit, vel sine sua præceptione factum digna punire animadversione neglexerit, eum anathematisat: Satis ergo mirari non possumus, unde scriptor epistolæ nobis ex nomine vestro delatæ, hanc legem apud se auro sculptam produxit, quam Dominus digito suo non scripsit, nec scribendam cuiquam inspiravit, neque ordinatam per Angelos in manu Mediatoris illius dedit; quam non paganus indixit, non Christianus induxit, non ecclesiasticus vir decrevit, quæ de se sub isto cælo, sicut non atramento manu justitiæ, ita nec Spiritu Dei vivi scripta personuit: qua me Regem à Deo constitutum, & gladio ex utraque parte acuto, ultore scilicet nocentium & defensore innocentium insignitum, ad malefactorum vindictam, ut exponit Apostolus, laudem verò bonorum, rei atque damnati, atque anathematizati fautorem esse præcipit: jubens ut Hincmarum sacrarum legum prævaricatorem, sancti sacerdotii vituperatorem, regiæ dignitatis contra regulam apostolicam dehortatorem, regni perturbatorem, perjurum, & seditionum auctorem, Ecclesiæ sibi commissæ afflictorem, facultatum ecclesiasticarum sacrilegum, fraudatorem ac extirpatorem Episcoporum, ac totius populi nostrarum partium scandalisatorem, alienarum rerum pervasorem, & veniendo contra subscriptio-

nes & professiones suas à se ipso damnatum, potentiâ Regiâ fretum, Romam venire faciamus.

Quis igitur hanc universam legem infernus evomuit? quis tartarus de suis abditis & tenebrosis cuniculis eructavit? contra quam litteris sacris ostensa nobis est via, quam sequamur, appositâ forma, cui imprimamur. *Clamavit*, inquit, *Propheta ad Regem Israël, & ait, servus tuus egressus est ad præliandum cominus, cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, & dixit: custodi virum istum, qui si fuerit lapsus, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum agenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subitò non comparuit. Et ait Rex Israël ad eum: hoc est judicium tuum quod ipse decrevisti. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, & cognovit eum rex Israël, quod esset de Prophetis: Qui ait ad eum; hæc dicit tibi Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. Reversus est igitur Rex Israël in domum suam audire contemnens, & furibundus venit in Samariam.* Quænam vos dementia cepit scientes dixisse Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, *Per me Reges regnant, & conditores legum justa decernunt.* Et sacri Canones (sicut credimus & in Apostolicis literis sæpius legimus) Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentiâ sunt consecrati: propterea videamus quid de hujusmodi sancti Canones & sacræ leges decernant. Ait enim sanctum Africanum Concilium: Et illud petendum, quin apud terræ principes, statuere dignentur: ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum, quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interpositâ pœnâ damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipiant. Et tunc Valens, Gratianus & Valentinianus constituerunt, ut quicumque residentibus sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus, & nomine si aliquid contra custodiam publicam, vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursumque sacerdotium petere, à quo videtur expulsus, procul ab urbe quam infecit, secundùm legem

divæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat: sit ab eorum cœtibus separatus, à quorum societate est discretus: sitque hujusmodi personis illicitum tenore hujus legis sacra nostra adire secreta, & impetrare scripta, omnibus abjectis per culpam sacerdotio personis, quæ impetrata sunt, infecta permaneant, scituris his quorum defensione nituntur, absque sui prehensione non futurum, si hoc eis pollicentur suffragium, qui divinum videntur non meruisse judicium. Unde & Leo Papa apud principalem potestatem petiit de Euthyche scandali, & pravitatis authore, ut ab eo loco, qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus erat, longiùs transferretur, ne frequentioribus solatiis eorum, quos ad impietatem suam traxit, uteretur. Et Gregorius Paulum Dyadinæ civitatis quondam Episcopum, quo usque omne quod dilapidavit, vel de substantia tulit Ecclesiæ, restitueret, in monasterium mittendum esse decrevit. Et si fortè post depositionem suam inverecunde, ac mente perversa aliquando de Episcopatu loqui, aut rursus ad hoc qualibet adspirare præsumptione tentaverit, dominici corporis & sanguinis communione privatum, in Monasterio eum usque ad diem obitus sui ad agendam pœnitentiam retrudi, studio Joannis primæ Justinianæ Episcopi jussit, ut perpetrati sceleris maculas dignis discereat fletibus emendare, juxta legem Justiniani Imperatoris, qui libro constitutionum decrevit, ut si quis Episcopus explosus, ausus fuerit ingredi civitatem, de qua repulsus est, vel exire de loco, in quo degere jussus est, jubemus eum in Monasterio in alia provincia constituto tradi, ut quæ in sacerdotio peccavit, degens in Monasterio corrigat. Quas leges ab Imperatoribus & Regibus, nostris videlicet prædecessoribus, promulgatas atque decretas, nos immuti latè & inrefragabiliter convenit conservare, sicut Apostolicæ Sedis antistites ad dominos & terræ Principes scripserunt. Ait enim Leo ad Leonem Augustum: Debes, inquiens, incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ be-

ne ſtatuta ſunt defendas, & veram pacem his quæ ſunt turbata reſtituas. Et Gelaſius ad Anaſtaſium : Etenim Imperator Auguſte, ſi aliquid contra leges publicas, quod abſit, quiſpiam fortaſſe tentaret, nulla id ratione potuiſſet admitti. Quas etiam leges principali auctoritate promulgatas, non ſolùm à quibuſcumque Epiſcopis, ſed etiam ab ipſis Apoſtolicæ Sedis Pontificibus, ipſius primæ Sedis Antiſtites obſervari debere ſcripſerunt, ſicut beatus Leo ad Leonem Auguſtum ſcribens demonſtrat, dicens non ſe refragari debere edicta Imperialia, vel ea quæ ſui deceſſores ſecundùm tramitem ſcripturarum, prædicationemque majorum ſtatuerant : ſi quæ, inquiens, deſtruxi, ego ædifico, prævaricatorem me conſtituo, & eis me ultionum conditionibus ſubdo, quas non ſolùm auctoritas beatæ memoriæ principis Marciani, ſed etiam ego mea conſenſione firmavi. Et ſanctus Gelaſius ad Anaſtaſium Imperatorem : Si, inquit, quantùm ad ordinem publicæ pertinet diſciplinæ cognoſcentes imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoque parent religionis Antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obviare ſententiæ, quo, oro te, affectu eis convenit obedire, qui pro erogandis venerabilibus ſunt attributi myſteriis? Quod & nos juxta hortamentum beati Gelaſii incunctanter atque libenter exequi cupimus, in his, quæ ad ſuum miniſterium pertinent, cunctis generaliter ſacerdotibus rectè divina tractantibus, & potiſſimè Sedis illius Præſule, quem cunctis ſacerdotibus, divinitas ſumma voluit præeminere, & ſubſequens Eccleſiæ jugiter pietas celebravit, ſicut noſtri deceſſores ac progenitores orthodoxi Imperatores & Reges egerunt, ut & Apoſtolicæ Sedis Pontifex, & reliqui Domini Sacerdotes nobis, quæ ſunt à Deo conſtituta, exhibeant : Scientes, ſicut idem beatus Gelaſius dicit, quoniam Chriſtus memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperavit, ſic actionibus propriis, dignitatibuſque diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, ſuoſque volens medicinali humilitate ſalvari, non humana ſuperbia rurſus intercipi, ut & Chriſtiani

principes

principes pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distare incursibus, & ideo militans Deo minimè se negotiis secularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus, ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Omnis Pontifex, inquit Apostolus, ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: videlicet non solùm pro populo, sed quia & ipse circumdatus est infirmitate, pro suis. Et Regis est, regni negotiâ dispensare, sicut inculcant literæ divinitùs inspiratæ. Quia ergo sanctarum Scripturarum tramite, & prædicatione majorum ostenditur, sancto etiam attestante Gelasio, quia duo sunt quibus mundus principaliter hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. Et per Regem Regum ac Summum Pontificem cunctorum Pontificum, qui solus Rex & Sacerdos fieri potuit, conditores legum justa decernunt, quas leges principales potestates appellarunt æternas, & sacri Canones Spiritu Dei sunt conditi, & totius mundi reverentiâ consecrati. Et ut beatus Ambrosius ad Valentinianum dicit, leges Imperator fert, quas primus ipse custodiat, quia quod præscripsit aliis, præscripsit sibi, ne cui esset liberum, aliud judicare. Et beatus Augustinus dicit, quia postquam leges subscriptæ fuerint & firmatæ, non licet judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas. Quia secundùm Pontificale ministerium vestrum Regio ministerio nostro monita vestræ paternitatis obedienter ac libenter cupimus obaudire, patimini nos omnia servare, quæ prædecessores vestri ac nostri de hujusmodi, unde agitur, constituerunt, & roborantes servando, quæ gesta sunt, rata doceamus esse debere quæ gerimus. Nam quomodò leges principum ritè vocabuntur æternæ, si transeuntibus principibus unà cum eis constitutio legis transibit? Et Papa Symmachus ad Eonium: [Dum,

inquit, ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites sacerdotium, quomodo priorum statuta à sequentibus convenit violari? Huc accedit, quod si eveniat hæc sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam Religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ à Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint: quid aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt faciat rata esse, quæ gesserit? Quanta enim Vicariis beati Petri Apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in Sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur. Universa, inquit, perpetua sunt quæ à sacerdotibus Domini statuuntur, qui, ut Moyses, ea quæ statuunt ab oraculo divino suscipiunt, non quæ ab his statuuntur, de quibus per Prophetam dicitur: *Væ his qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt.* Ea nihilominùs, quæ à Vicariis beati Petri constituuntur, maneant inconvulsa, quia, ut Leo dicit, nec nimia est severitas vel remissio, ubi nihil constituitur, nisi quod ex B. Petri æquitate profertur.] Hæc enim scimus esse canonicè, scimus esse Apostolica auctoritate roborata, & Apostolicæ Sedis decreta, quæ, ut Gelasius dicit, unamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominùs subsequente, & tenuit semper & retinet. Et Paulò superiùs: Confidimus, quod jam nullus veraciter Christianus ignorat, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam. Et item idem: Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus nihil temerè licere, & cùm Sedes Apostolica super his omnibus favente Domino, quæ paternis Canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito; satis indignum est, quemquam, vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri Sedem & sequi videat

& docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. Et de sacris legibus, quas unà cum sanctis Canonibus Catholica observat Ecclesia, idem Gelasius, ut præmissimus, dicit in Epistola ad Anastasium Imperatorem: Quantùm, inquiens, ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ.

Et cùm ita sacræ leges tam Ecclesiasticæ quàm mundanæ de damnato Episcopali, & Synodali Concilio decernant, non est nostri regii ministerii reum, & sacrorum Canonum judicio condemnatum, atque Apostolicæ Sedis definitione, sicut in gestis Synodi invenire potestis, anathematisatum, nostrâ potentiâ fretum quoquàm dirigere: cùm apertissimè sacri Canones definiant, & leges Justiniani, ac cæterorum Imperatorum Catholicorum edicta; qualiter, & pro quibus, & à quibus debeat Episcopus judicari, & post judicium, quid & qualiter, & per quos sit inde Apostolicæ Sedi agendum, quæ non abnuimus, sed incunctanter atque competenter annuimus. A quibus definitionibus nulli est licitum deviare, quia ut sanctus Hilarus Papa dicit: Non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur.

Quocirca, quia Dominus dicit per Prophetam, *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus, id est, nuntius Domini exercituum est*, Nolite permittere nobis scribi ex vestræ authoritatis nomine, quæ in legibus sacris Dei sapientiâ conditis, & in sanctis regulis ejusdem Spiritu promulgatis non continentur, dicente item Prophetâ, id est, Sacerdoti præcipiente: *Audiens nuntiabis eis ex me, ex me, inquit, & non ex te: & redarguuntur, qui de corde suo loquuntur, quoniam qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Nolite igitur, ut præmissimus, ex vestro nomine, vel Apostolicæ Sedis auctoritate,

jussiones vel excommunicationum intentationes, contrà sacrarum scripturarum tramitem, prædicationemque majorum ac sacrarum legum, sanctorumque Canonum constitutiones nobis de cæterò scribi, cujuscumque instinctu permittere precamur: quia scitis & scimus totum esse irritum, quicquid fuerit ab eorum constitutione diversum. Dicitur, inquit sanctus Leo, à Domino, beatissimo Petro, *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis:* Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus istius potestatis, & ad omnes principes Ecclesiæ decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustrà uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergò Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate fertur judicium. Quâ sententiâ constat, quia non manet Privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium; cum enim ubicumque dicitur, sicuti nullus locus, ita nemo rector Ecclesiæ ex Petri æquitate judicium ferens excipitur, vel contrà illius æquitatem judicium proferens commendatur. Et quia ubicumque sine exceptione non manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium, prolatum obaudiemus jussum, vel recipiemus judicium, quod non ex Petri æquitate fuerit prolatum, ac per hoc ipsius privilegio fuerit destitutum? De quo Episcopali judicio, quid cunctis Episcopis sequendum, & quid Ecclesiæ filiis tenendum sit atque servandum, beatus Gregorius sufficienter inculcat. Ergò jubete, & judicate privilegio Magni Petri juxta æquitatis ejus judicium, quæ jubenda & judicanda sunt, ne ut dicit ejus Coapostolus, *Vituperetur ministerium vestrum.* Quia & nos secundùm Regium ministerium nostrum, quantùm ex nobis est, cupimus servare, quod scriptum est, *Filii, obedite parentibus vestris in Domino:* videlicet quod fuerit jussum vel indicatum à Domino dicente illo singulis, quia pro Patribus, Apostolis Ecclesiæ, nati sunt filii, Apostolici viri: Tu autem audiens, nuntiabis eis ex me. Divina quippe nos lectio docet, quia nec etiam Balaam satis superque à Rege

Balac petitus, licet medicamento avaritiæ delinitus in consilio dando corruptus ostenderit; ullo tamen, aut ullius instinctu in judicio justitiæ aliud loqui adversùs Israël persuaderi, vel extorqueri potuit, quàm quod à Domino audivit.

De eo, quod in literis ex nomine vestro nobis directis habetur, ut veniente Hincmaro Romam, veniat accusator idoneus, qui nullâ possit auctoritate legitima respui; rescribimus, quia licet hæc commendatio nullâ sit ratione atque auctoritate suffulta, si fortè apud vos exlex solus Hincmarus, novâ lege priscis tam publicis quàm Ecclesiasticis contraria, imò ordine novoque more habetur, ut nonnisi à vobis, & Romæ valeat judicari pro his excessibus, de quibus habentur certa sacrorum Canonum ac legum decreta, quæ, ut Leo dicit, nullâ possunt ratione convelli; cùm etiam de causâ fidei, ut dicit Gelasius, cuicumque Pontifici licet, secundùm regulam erroris ante damnati quemlibet à Catholica communione discernere: Et ego ita exors ab omnibus accusationibus non solùm ab his quibus legaliter ac regulariter accusandi adversùs seipsum denegatur licentia, verùm & ab his quibus in propriis causis accusatio non negatur, ut sicut leges & regulæ jubent, in provincia, in quâ orta sunt negotia, terminari non valeant, & secudùm Antiochenos Canones, Provincialium Synodorum non debeant experiri examen, si nobis vias cum voluntate & consensu dilectissimi nepotis nostri Imperatoris vestri, contrà cujus dilectionem & debitum honorem, si tamen mutuam dilectionem & congruum honorem vobis exhibere studuerit, illuc ire non volumus, obtinueritis, cooperante Domino, pace in regno nostro contrà paganos virtute vel quacumque dispositione Dei obtentâ, Romam venire congruo tempore non differemus. Et quia illum legaliter ac regulariter in Synodo Episcoporum plurimarum provinciarum de certis causis accusavimus, idoneum nos accusatorem illius ostendemus, & tantos testes idoneos diversi ordinis ac dignitatis nobiscum ducemus, cum quibus eum legaliter ac regulariter nos accusasse & comprobasse, sufficientissimè comprobabimus. *[Non tantùm de his ex quibus eum

ante depositionem suam legaliter ac regulariter præsentes, præsentem in Synodo Episcoporum plurimarum provinciarum accusavimus; verùm & quia post legalem ac regularem depositionem suam, contra honorem regium secundùm Apostolicam regulam nobis exhibendum, contraque juramenta nobis suprà sacrosancta præstita, & contra professiones & subscriptiones suas adversùs publicæ rei custodiam & grâvitatem Episcopalem, ac quietem Ecclesiasticam moliens, contrà leges & regulas non solùm quosdam propinquos suos, & etiam alios, quos adhuc seducere ac pertrahere potuit perjuros, & publicis legibus condemnatos, sed etiam & quos locando conducere & sibi conciliare valuit in Regnum fratris nostri Ludovici cum thesauro, & facultatibus Ecclesiasticis furtim direxit, qui usque hodie contrà custodiam publicam, & contrà quietem Ecclesiasticam ad vicem ipsius Hincmari moliuntur, & sub quorumdam Episcoporum regni prædicti fratris nostri protectione ac patrocinio contrà leges & Canones degunt, & ab ipso, initio fugæ suæ foventur. Qui Episcopi quando cum præfato fratre nostro proximè loquuti fuimus, & eosdem fures & perjuros atque sacrilegos ab illo repetivimus, *damnationi prædicti Hincmari subscribere voluerunt*, & ad hoc se obtulerunt, *ea conditione ut Episcopi qui in Synodo residentes eumdem Hincmarum regulariter judicaverunt, ordinatione Wilcberti, quem ipsi in Agrippinensi Colonia ordinaverunt, subscriberent.* Cùm in propatulo sit, quid leges mundanæ tam veteres, quàm novæ, quid etiam sacri Canones & regulæ à sede Apostolica ex his promulgatæ, necnon quid Catholica & Apostolica Ecclesia secundùm tramitem scripturarum, traditionemque majorum de præfatis hominibus, perjuris scilicet, furibus & sacrilegis, qui cum facultatibus & thesauro Ecclesiastico à regno nostro effugerunt, & à quibusdam eorum jussione fratris nostri Ludovici susceptí dicuntur; verùm & de susceptoribus eorum definiant. Ait enim Paulus tuba cœlestis: Avaritia quæ est idolorum servitus. Et item: Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus. Nunc autem scripsi vobis, non com-

miſceri. Si quis frater nominatur, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut rapax, cùm hujuſmodi nec cibum ſumere. Et item: Vos injuriam facitis & fraudatis & hoc fratribus, an neſcitis quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Unde & quidam Patrum ſcriptis ſuis inſeruit congruentem ſententiam, dicens: amico quippiam rapere furtum eſt, Eccleſiæ fraudare ſacrilegium eſt. Et hinc ſanctus Auguſtinus in ſermone Evangelii Joannis: Ecce inter ſanctos eſt Judas & ne contemnas, fur, ſacrilegus: non qualiſcumque fur, loculorum ſed dominicorum, loculorum ſed ſacrorum: ſi crimina diſſeruntur in foro, non qualiſcumque fur, ſed peculatus, peculatus enim dicitur furtum de re publica, & non ſic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ; quantò vehementiùs judicandus eſt ſacrilegus fur non undecumque tollere, hoc eſt, de Eccleſia tollere: qui aliquid de Eccleſia furatur, Judæ perdito comparatur. Et hinc Africæ provinciæ Canones, de quibus inquiunt, apertiſſimè divina Scriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potiùs exequenda: Proinde quod in laicis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari. Univerſi dixerunt: nemo contrà Prophetas, nemo contrà Evangelia facit ſine periculo. Si quis verò ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, ſi laïcus eſt, communione; ſi Clericus eſt, honore privetur. Univerſi dixerunt: placet, placet. Et talium ſuſceptores ſanctus Gelaſius in decretali Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem redarguit, inquiens: dicit Apoſtolus, qui non ſolùm non facienda faciunt, reos videri, ſed etiam qui conſentiunt facientibus: proinde ſicut non poteſt perverſitatis communicatore ſuſcepto non pariter perverſitas approbari, ſic non poteſt refutari perverſitas, complice ſectatore perverſitatis admiſſo: legibus certè veſtris criminum conſcios, ſuſceptoreſque latrocinantium par judiciorum pœna conſtringit, nec expers facinoris æſtimatur, qui licet ipſe non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœduſque receperit.]

Tandem quia vos non legiſſe vel audiſſe collegimus ex literis ab Actardo Epiſcopo nobis delatis, quæ anteà per

illum paternitati vestræ direximus, iterato scribimus ea quæ tunc scripseramus, deprecantes vos in omnipotentis Dei honore & sanctorum Apostolorum veneratione, ut tales inhonorationis nostræ Epistolas, taliaque mandata, sicut hactenùs ex nomine vestro susceperimus, nobis & regni nostri Episcopis ac primoribus de cæterò non mandetis, & non compellatis nos mandata, & Epistolas vestras inhonorandas contemnere, & missos vestros dehonorare, qui vobis in his quæ ad vestrum ministerium petinent, si tamen ministerium vestrum, cupimus obtemperare. Quæ pro vestri honore privilegii vobis dicimus, quia vobis sicut revera Vicario B. Petri Apostolorum principis in omnibus debitè ac competenter obedire desideramus, & ne aliter eveniat cavere per omnia cupimus, ac vestram sanctitatem idipsum cavere, humili prece deposcimus, ne nos & nostros satis invitos ad id cogatis convertere, quod in quintâ universali Synodo, à Sede Apostolicâ, ut in Apostolicis literis, præcipuè autem in Synodica B. Gregorii ad quatuor Patriarchas, & in aliis ejus Epistolis unâ cum quatuor præcedentibus legimus collaudatum atque susceptum, invenitur nobis tenendum. Quod adhuc nostris literis ad exemplum inserere noluimus, donec sciamus si duritiam mandatorum vestrorum erga nos aliter ad benignitatem inflectere poterimus. Quia quod ex Apostolicæ Sedis nomine secundùm sanctarum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, & Orthodoxorum decreta scribitur, sequendum & tenendum non ignoravimus, & quod secùs à quoquam fuerit compilatum sive confictum, non solùm respuendum, sed & redarguendum esse cognoscimus. Si denique aliter quàm nos & vos decuerat reverendissimæ paternitati vestræ rescribendo factus sum insipiens, vos me coëgistis. Petimus autem omnipotentem Dominum, ut inspiret cordi vestro, sic nos benignè tractare, quatenùs ulteriùs nobis non sit necesse vobis ita rescribere; sed ut cupimus in veneratione Apostolorum, Apostolico Pontificio vestro humiliter ac devote colla & corda submittere. Deus omnipotens ad honorem & salvationem atque exaltationem

sanctæ

sanctæ suæ Ecclesiæ, vos per multa annorum curricula conservare dignetur, Domine sanctissime, & reverendissime Pater in Domino.

EMBOLUM.

QUia literis ex nomine sanctæ paternitatis vestræ, ab Actardo venerabili Archiepiscopo nobis delatis, necessitate cogente prolixiùs respondere compulsi fuimus, contra morem nostrum in quaterniunculo annulo nostro signato, responsionem nostram scribere necessarium duximus, quatenus legi planiùs valeat; & quæ vobis ratio respondere coëgit, legenti pleniùs innotescant. Quam responsionem sancta paternitas vestra non aspernanter, sed benignè suscipiat, quæ à nobis non est contumaciter, sed mente pacifica, ut in eodem quaterniunculo invenietis, contexta. Deprecamur autem vos in omnipotentis Dei honore, & Sanctorum Apostolorum veneratione, ut tales inhonorationis nostræ Epistolas taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & regni nostri Episcopis ac primoribus de cætero non mandetis, sed liceat nobis Apostolico Pontificio vestro in veneratione Dei & Sanctorum Apostolorum humiliter ac devotè, ut cupimus, colla & corda submittere. Deus omnipotens ad honorem & salvationem atque exaltationem suæ sanctæ Ecclesiæ vos per annorum curricula conservare dignetur, Domine sanctissime atque reverendissime Pater in Domino.

RESCRIPTUM EPISCOPORUM Concilii Duziacensis ad Hadrianum II. Papam.

DOMINO sanctissimo ac reverendissimo Patri Hadriano sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ, primæ Sedis Papæ. Episcopi diversarum provinciarum, qui in Synodo apud Duziacum Provinciæ Remensis, in nomine Christi convenimus, quorum nomina & subscriptiones in gesto-

rum ejusdem Synodi serie continentur, quam per venerabilem consacerdotem nostrum Actardum vobis direximus, & quibus per eum paternitatis vestræ literas remisistis.

Veniens ad nos prædictus venerabilis frater & Consacerdos noster Actardus tradidit nobis Epistolam à vestra paternitate filiolitati nostræ directam, quam cùm in conventu nostro fecimus recenseri, quædam in ea invenimus, quæ stuporem mentibus nostris non mediocriter induxerunt, feceruntque nos non modicùm dubitare, utrùm aliter putaremus, an illa ita essent posita, quemadmodùm personabant. Quæ cùm sæpiùs repeti jussimus, ac præfati fratris & Coepiscopi nostri relatione impedimenta vestræ Sanctitatis, & occupationes ministrorum Sedis Apostolicæ pro diversis & maximis negotiis audivimus, gesta Synodi ab exiguitate nostra sublimitati vestræ per eundem fratrem nostrum secundùm Canones sacros directa, ab eo, cui nobis inde jussistis, sicut ipsæ literæ monstrant, rescribere, ex integro relecta non fuisse advertimus. Sed & Epistolam nostram, de eisdem actionibus, auctoritati vestræ transmissam, studio necessario eum non relegisse comperimus. Scriptum est enim in Epistola Sanctitatis vestræ nobis directa hoc modo. [Igitur de Hincmari Laudunensis Ecclesiæ Episcopi depositione Pontificio nostro scripsistis, quatenùs de eo, secundùm quod Canonicum est, vobis rescribere juberemus. Primò denique vestræ respondemus charitati, quia cùm clamaret in Synodo se ad Sedem Apostolicam velle incunctanter venire, atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia. Tamen sicut in ipsius Concilii actionibus legitur, quoniam salvo in omnibus judicio Sedis Apostolicæ, illum ab Episcopis fuisse judicatum asseritis, Nos autem non aliquâ contra quoslibet commoti invidiâ, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & auctoritate Apostolica, quia nullius partis favorem aut obsequium, sed rei gestæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum ad limina Sanctorum Apostolorum, nostramque venire præ-

sentiam. Quo sanè veniente veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui : & tunc in præsentia nostra, & totius Sedis Romanæ Synodali Collegio, causâ illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundùm Deum & sacrorum Canonum constitutiones Spiritu Dei prolatas sine protelatione aliqua finietur.] A quâ reprehensione nostra, quod accusemur, quia cùm clamaret in Synodo se ad Sedem Apostolicam velle incunctanter venire, atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia, B. Petri Apostolorum primi pro modulo nostro imitantes exemplum, per quem sumpsimus Religionis exordium, nos minores apud vos potiores humiliter excusare satagimus : quia ille, ut in sacra historia legimus, reprehensus à minoribus suis, cur ad Gentiles intrasset, & comedisset cum eis, & cur eos in baptismate recepisset, querelam minorum suorum humili ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ testes adhibuit, dicens : *Venerunt autem mecum sex fratres isti.* Quam excusationis nostræ satisfactionem tantò vos placabiliùs acceptare confidimus, quantò nos in ea ipsius exemplum sequi velle cognoscetis, cujus Sedi divino consilio præsidetis. Unde nunc nobis non esset necessarium excusare, si is quem nobis jussistis rescribere, ad locum in gestorum Synodalium serie legisset, quod ibi, antequam damnationis in Hincmarum proferretur sententia, scriptum est ita. [Tunc lectæ sunt in Synodo ab Adalgario Diacono sententiæ Canonum, ita eo dicente : Sardicenses Canones decreverunt, ut si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterùm Concilium renovetur : si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinaverunt, Julio Romano Episcopo ; & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices : si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decrevit, confirmata erunt.] Et Innocentius Papa decrevit, ut si majores causæ in medio fuerint devo-

lutæ ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur. Et Bonifacius Papa dicit: Nos per omnes provincias literas dirigemus, ne excuſationem ſibi ignorationis Maximus obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, & illic ſe conſtituto præſentare judicio. Quicquid autem veſtra charitas de hac cauſa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, noſtra, ut condecet, neceſſe eſt, auctoritate firmetur. Et ſanctus Leo Papa decrevit: Si quæ, inquiens, aliæ emerſerint cauſæ, quæ ad ſtatum Eccleſiarum, & ad concordiam pertineant Sacerdotum, illic ſub timore Domini volumina ventilentur, & de componendis atque compoſitis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea, quæ juxtà Eccleſiaſticum morem juſtè, & rationabiliter fuerint definita, noſtrâ quoque ſententiâ roborentur.

Sed quia illa non ſuffecerunt, quoniam à ſcriptore Epiſtolæ nobis delatæ aut non lecta, aut neglecta fuerunt; in via veteri, ut dicitur, nobis quærenda eſt ſemita, & ut ad id quò perveniendum eſt, ſolidiùs perducamur, neceſſe eſt ut compendiis innitendis utamur. In libro Theodoſianæ legis conſona de appellatione diffinitioni Sardicenſis Concilii continentur hoc modo: Conſtantinus Auguſtus ad Catulinum. Moratorias delationes, fruſtratoriaſque non tam appellationes quam ludificationes admitti non convenit: nam ſicut benè appellantibus negari auxilium non oportet, ita, his contrà quos meritò judicatum eſt, inaniter provocantibus, differri bene geſta non decet. Interpretatio: In civilibus cauſis vel levioribus criminibus, quæ legibus non tenentur inſerta, appellationibus conſtituta legibus dilatio præſtanda eſt, per appellationem ſententiæ judicantis; At verò homicidis, adulteris, & reliquis, quos lex iſta comprehendit, ſi convicti, confeſſique fuerint, & appellare voluerunt, appellatio denegetur; ſed ſtatim in manifeſtis criminibus convictos, judicis eſt ſententia proferenda. Et item ex interpretatione legis Valentiniani, Valentis & Gratiani Imperat. ad Claudium, lex iſta hoc dicit: Cronopium Epiſcopum à multis Epiſcopis fuiſſe damnatum, & ſtuduiſſe eum

ante judicum sententiam, quæ proferebatur, appellatione suspendere; à quâ sententia, quia justè prolata fuerat, appellare minimè debuisset; in qua eum gravi mulcta id est L. libras argenti addictum fuisse dicit, quæ tamen summa ipsius mulctæ non fisco prodesse visa est, sed pauperibus erogari.

Et hinc Sardicense Concilium posuit, ut à majoribus nostris est traditum: si Episcopus judicatus in aliqua causa, bonam se causam habere putaverit, ut Romani Pontificis appellet judicium, & ipsius discernatur arbitrio, utrùm bonam causam habeat appellans Episcopus, ut debeat inde necne renovari judicium, quia sæpe quidam se bonam dicunt causam habere, qui bonam causam diligenti examinis judicio non habere probantur, sicut & tramite sacræ Scripturæ, & traditione majorum ostenditur, ut de pluribus quædam in medium devocemus. Paulus Apostolus præsens in judicio Festi, secundùm fidem sacræ historiæ, ad objecta respondit; & ne innocens damnaretur, Cæsarem appellavit. Unde Bonifacius Papa ad septem Provincias de Maximo scripsit, quod Hincmarus obedire contempsit: Præsens si confidit, ad objecta respondeat, quia sicut dicit Gelasius, ideò vocatur ad judicium certa quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Utrumque Bonifacius & Gelasius scripserunt, monstrantes quòd in Romanis legibus manifestè legitur; scilicet, ut in judcio præsens ad objecta priùs respondeat, & si se viderit prægravari, & necessitas ei fuerit, tunc demùm appellet. Et quia putat, confidit, hîc intelligi debet, quoniam confidentia de pura est conscientia, cui subest apertæ veritatis defensio. Sicut sanctus Augustinus de hoc, quod dicit Apostolus, puto quia & ego Spiritum Dei habeam, luculenter explanat, dicens: Non quòd, inquit, ipse hinc dubitet, sed quia non hinc dubitandum esse demonstret. Et si fortè sunt de manifesta causa, dubitantes redarguat, & humilitate verbi, alto sensu, ut dicit Ambrosius, judicium suum ratum & providum esse demonstret. Videte, inquit Augustinus, quàm bonam causam habeat vox justorum, quæ di-

cit Domino, propter te morte afficimur tota die; videte amatores auri quanta patiantur, dicant & ipsi auro, propter te morte afficimur tota die: Vox similis, sed causa dissimili. Apostolica verò Sedes vocem similem, sed causam dissimilem secundùm Capitulum septimum Sardicensis Concilii, auctoritate sua, ejusdem Concilii regulari decreto, Innocentio decernente, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, præjudicium Episcopale ad se relatum, non vocis sed meriti pondere vel probabit, vel improbabit; sicque sua jura non minuet, & aliis debita, & à sacris Canonibus decreta jura servabit.

Nam de quibus, exceptâ disputatione de causa fidei, & de his, de quibus decreta non habemus judicia, sub gestorum justificatione ante Episcopale judicium Sedes sit Apostolica consulenda, in decretis Leonis & cæterorum Romanæ Sedis Pontificum ad Thessalonicenses & Arelatenses manifestè monstratur. De quibus autem in sacris Canonibus & in decretis Apostolicæ Sedis Pontificum certa expressè decreta, & prædecessoribus nostris habemus directa judicia, ante executionem eorumdem judiciorum quasi tentantes Apostolicam Sedem, aut dubias illius tenentes sententias, non debemus inquietare: Sicut Innocentius ad Rufum & Eusebium, & ad Felicem Episcopum Nucerianum, & Cælestinus ac Leo, Gelasius quoque atque Gregorius in decretis suis manifestè demonstrant. Unde Leo ea conditione secundùm sanctorum Patrum Canones Spiritus Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, jus traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decrevit, ut à regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione discedant: videlicet quæ signantur statuta, & de quibus certa sunt præfixa judicia non negligant exequi, & quæ specialiter sunt interdicta, per contemptum præsumptio non admittat. Verùm quia, sicut beatus Augustinus dicit, in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cùm eas instituunt: tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed se-

cundùm ipsas: multò minùs autem cuiquam licebit arbitrio suo aliter judicare de his, unde sacri Canones Spiritu Dei conditi certa præfixêre judicia; & de quibus ex eorum auctoritate Apostolica Sedes inrefragabilia promulgavit decreta. Sicut sanctus Gelasius in decretis suis patenter ostendit; Patres, inquit, nostri, Catholici videlicet, doctique Pontifices, in unaquaque secta quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica secundùm scripturarum tramitem prædicationemque majorum factâ semel congregatione sanxerût, inconvulsum voluerunt deinceps, firmumque constare; nec in eadem causa, hæc quæ præfixa fuerunt, denuò retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt; & reliqua. Et item idem. Quicquid pro fide, communione & veritate Catholica atque Apostolica majores nostri promulgaverunt, non siverunt novis post hæc retractionibus mutilari ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter statuta fuerunt pulsandi; sed generaliter auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet vel professione sua, vel communione possit agnosci. Dicente namque B. Gelasio, auctore cujuslibet insaniæ cum errore damnato generaliter, quemque aliquando hujus erroris communicatorem principali sententia damnationis esse obstrictum: quia sanctus Cælestinus decrevit, ut nulli Sacerdoti quicquam facere liceat, quod Patrum regulis possit obviare. Et Leo, ut Episcopi à regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione discedant. Et Hieronymus: Discessio, inquit, Græcè Apostasia dicitur. Et Hilarius, atque Ambrosius ex Psalmi versu: Spreviſti omnes discedentes à justitiis tuis: discedentes vocant Apostatas. Et sanctus Gregorius dicit, quod duobus modis quisque apostatat, vel fide, vel operatione. Et Africæ Provinciæ Canones diffinierunt, ut si quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, videlicet si ab eis pertinaciter & per contemptum discesserit, si Clemens

est, honore privetur, & sacræ regulæ secundùm tramitem scripturarum, prædicationemque majorum, ut hæreticum & schismaticum, ita & Apostatam principali constitutionis sententiâ damnatum esse decernunt. Juxa præstitutas regularum sententias confessus, vel convictus de pernicioſis contra regulas erroribus, sine retractione debet utique judicari. Sicut item sanctus demonstrat Gelasius dicens, Decessorem meum, inquit, executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem. Quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed & cuicumque Pontifici. Unde colligendum est, si cuicumque Pontifici licitum est secundùm sacras regulas, canonica in excedentem proferre judicia, multò magis licitum est tot Episcopis tantarum Provinciarum in manifestissimum contemptorem regularum à SS. Patribus præfixa judicia jaculare. Alioquin Genetlianorum, qui deffinierunt omnia in incertum, error stultissimus olim ab Ecclesia Catholica condemnatus, non solùm Ecclesiasticis, verùm & publicis legibus superinduci videbitur. Quia verò, ut sanctus Augustinus dixit, nova morborum genera, nova quærunt medicamentorum experimenta: de quibus certa & expressa sacrarum regularum non habemus judicia, si emerserint, ante judicium est à nobis Sedes Apostolica consulenda, & ejus diffinitio præstolanda; & quoniam quilibet scripturâ, aut testibus legaliter ac regulariter potest convinci, sicut Hincmarus suis scriptis ac subscriptionibus, & idoneis testibus est in Synodo coram nobis convictus ac comprobatus secundùm sacros Canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum, & juxta sacras Imperatorum leges, quibus unà cum sacris Canonibus sancta moderatur Ecclesia, legaliter ac regulariter à nobis est in Synodo judicatus, & secundùm sacras regulas à nobis qui causam examinavimus, vestræ paternitati admissa illius, & judicia nostra sub gestorum serie per consacerdotem nostrũ, qui eidem Synodo interfuit, nostris subscriptionibus roborata direximus. Et quia beatus Apostolus Paulus regulam nobis præfixit, ut adversùs Presbyterum accusationem non recipiamus, nisi sub duobus & tribus testibus, sicut & Dominus

minus in lege & in Evangelio anteà demonstravit, & sacrum Nicænum Concilium à duobus & tribus testibus redargutum à Clero præcipit abstinere; contra sacras regulas nos fecisse adhuc non recognoscimus, quia Hincmarum in multis ac multipliciter suis scriptis ac subscriptionibus convictum, & in Synodo, quæ negare non potuit, apertè confessum judicavimus, judicii nostri diffinitionem Sedis Apostolicæ privilegio reservantes; qui secundùm sacras leges & regulas sententiam contumacis in se proferri frequenter promeruit, sicut in gestorum serie, quam vobis direximus, evidentissimè potestis cognoscere. Et quia Dominus in lege dicit, & in Evangelio confirmavit, Quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: rogamus prolatis tot testibus idoneis nobiscum facientibus, scilicet Sardicense Concilium, Innocentii, Bonifacii, & Leonis decreta patent, Sanctissime, habetote nos excusatos ab hac reprehensione, quia nihil egimus, nisi ut in sacris Canonibus & in Apostolicæ Sedis Pontificum decretis legimus. Quæ quoniam debent ab omnibus observari, ita apertè sunt dicta, ut ab omnibus possint intelligi. Et hæc est secundùm Prophetam directa via, ita ut nec stulti errent per eam: apertissimè namque jubent sacri Canones Sardicenses, ut Episcopi in Provincia qualibet regulariter judicantes Episcopũ, post judicium scribant Romano Pontifici, qualiter causam examinarunt judicati Episcopi, dicentes ut si aliquis Episcopus judicatus fuerit, & paulò pòst, scribatur ab his qui causam examinarunt Julio Romano Episcopo. Et ne quilibet in hoc interpendere posset, in quarto & septimo capitulo idipsum consequenter repetendo, ac si apertiùs inculcando, explanant dicentes: Cùm aliquis Episcopus depositus fuerit; & si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint, & de gradu suo eum dejecerint regionis Episcopi, & appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri; si justum putaverit ut renovetur examen, det judices, id est, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omninò requirant, & juxtà fidem verita-

tis diffiniant, & reliqua, ſicut ibidem Canon proſequitur, & ſancti Innocentius, Bonifacius ac Leo conſonanter ex eiſdem ſacris Canonibus promulgaverunt, quæ Canonibus ipſis conveniunt, ut in promptu eſſe legentibus conſtat.

Et quia metropolitanus Hincmari, quoniam ſæpiſſime verbis & multiplicibus ſcriptis ſecundùm ſanctarum tramitem Scripturarum, traditionemque majorum eum corripuit, & ad correctionem perducere non prævaluit, apud legatos Apoſtolicæ Sedis Joannem & Petrum, itemque Joannem Epiſcopos, & Petrum Cardinalem Eccleſiæ Romanæ Preſbyterum coram Odone Coëpiſcopo ſuo, & Anſegiſo venerabili tunc Abbate, nunc autem Archiepiſcopo, ſe de illius contumacia & variis exceſſibus reclamavit, & quibuſdam eorum ſcripto illius exceſſus oſtendit, & per præfatum Anſegiſum, qualiter eum tandem de ſpecialibus ejus exceſſibus caſtigaverit, ſcriptis Romam direxit, & ut verbis apud auctoritatem veſtram obtineret, quatenùs apoſtolicis eum literis caſtigaretis, ut ſecundùm ſacras regulas ſe epiſcopaliter gereret, & auctoritati ſuæ Metropolis obediret, ſicut & veſtra paternitas egit, ſuo Metropolitano & eidem Hincmaro apoſtolicas literas veſtræ auctoritatis per Anſegiſum dirigentes. Sed quia monitis veſtris iſdem protervus Hincmarus obedire non voluit, Metropilitanus ejus, & nos unà cum eo de illo ſic egimus, ſicut in epiſtola paternitatis veſtræ in conventu noſtro relecta nobis præcepit, quæ ita ſe habet. Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimo confratri noſtro Hincmaro Archiepiſcopo. Fidelium relatione comperimus, quòd tua fraternitas debitum vigorem in provincia Remenſi non agitans, multa reprehenſione digniſſima à tuis comprovincialibus convaleſcant. Cujus rei gratiâ, negligentiam veſtram his apoſtolicis affatibus excitamus, ut ſecundùm venerandorum Canonum regulas, ita omnium omninò comprovincialium tuorum ſynodicè, ſalvo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ privilegio, reſeces vitia, ut privilegii tui coram Deo noſtroque judicio non merearis ſuſtinere jacturam. Et nos unà cum eodem Hincmaro metropolitano Hincmarum multa repre-

hensione dignissima perpetrantem, salvo sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegio, resecando illius vitia judicavimus, sicut epistolam vestræ paternitatis præcepisse relegimus. Post judicium autem, ut in epistola fratris & Coëpiscopi nostri Hincmari Remorum Metropolitani vobis directa continetur, quoniam Franci homines de Episcopo Laudunensi, qui Regi hostem de capite suo debent, ad defensionem patriæ contra Normannos fuerant deputati, unà cum eo apud domnum Regem in eadem Synodo obtinuimus, ut quicumque vellent de clero & familia Laudunensis Ecclesiæ Romam cum illo ire, haberent licentiam, quem postea vidimus, quemque è vestigio post fratrem & Coëpiscopum nostrum Actardum Romam iturum putavimus, qui non nostra jussione, vel factione, non nostro hortatu vel consensu, non nostro consilio, neque auxilio quoquam aliorsum modo quolibet declinavit, sive abstinere se illo retraxit: pergat igitur secundùm mandatum vestrum Romam, non abnuimus, non contradicimus, non resultamus, & sententia Sedis Apostolicæ secundùm sacros Canones & decreta ipsius Sedis Pontificum de illo exequatur, & ea, ut Leo decrevit, quæ juxta ecclesiasticum morem justè & rationabiliter à nobis sunt diffinita, vestrâ quoque sententiâ roborentur.

Quod autem Nobis scripsistis, ut eo veniente veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui, & tunc in præsentia nostra, & totius Sedis Romanæ synodali collegio causa illius prudenti ventilata examine ac diligenter inquisita secundùm Deum, & sacrorum Canonum constitutiones Spiritu Dei prolatas sine protelatione aliqua firmetur, quoniam gesta synodalia, quæ nobis mandastis, & illius indicant damnationem, nobis idoneè satisfacere non videntur: in nullis Canonibus auctoritate confirmatis Apostolicæ Sedis, quæ, ut dicit Gelasius, unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominùs subsequente & tenuit semper & retinet; Ne-

que in ullis Apostolicæ Sedis Pontificum decretis, quæ, ut Leo dicit, de Canonum promulgata sunt disciplinis, legimus, verùm nec in legibus, quibus unà cum sacris ecclesiasticis regulis sancta moderatur Ecclesia, ecclesiastica terminari jubentur judicia, sicut beatus Gregorius multoties in suis demonstrat epistolis, invenimus, ut pro his & hujusmodi de quibus Hincmarus in nostra est Synodo accusatus, accusator Episcopi cum appellante Apostolicam Sedem Episcopo Romam veniat, & ibi in præsentia Pontificis Apostolicæ Sedis causa accusationis ejus ventilata, & inquisita sine protelatione aliqua finiatur, decessoribus nostris usque ad nostra tempora à vestris decessoribus hoc præjudicium inlatum non audivimus. Et si vel nostris temporibus nobis, vel quodcumque in aliis partibus fuit inlatum, quod patienter à sollicitis servare unitatem spiritus in vinculo pacis est supportatum, non præjudicat generali sacrarum regularum observantiæ, sicut sanctus Ambrosius in epistola ad Paternum ostendit. Unde edicta Imperatorum: perpensas, inquiunt, serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones, nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus. Et hinc sanctus Cælestinus: Nulli Sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare; quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentiâ populis permissâ, frangatur?

Et quia hic de quo agitur, insolens ac contumax sacrorum Canonum conculcator Hincmarus, sicut apud multos aperta voce jactabat se obtinere posse, ut non ab alio, vel alibi judicari posset, nisi à Romano Pontifice, & in Apostolica Sede securitatem delinquendi assumpsit, ut de eo legitur, qui est Rex super universos filios superbiæ, qui factus est, ut nullum timeret, in tantam excrevit vecordiam, ut nec Deum timeret, nec hominem revereretur, & ideo seductus mendacio suo cecidit, quia in veritate stare non voluit, quæ discipulis suis jussit, *Discite*, inquiens, *à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Qualiter autem causa judicati Episcopi in Synodo provinciali regulariter debeat

diffiniri, & vestra sapientia sufficientissimè novit, & nos in septimo capitulo Sardicensis Concilii decretum legimus ita: Placuit, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradú suo eum dejecerint: si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si justum fuerit, renovetur examen, scribere his Episcopis, dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxtà fidem veritatis diffiniant. Quod si is, qui rogat causam suam audiri, iterùm deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, vt è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet, & si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio: si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo consilio judicaverit. Meminerat quippe hoc Sardicense Concilium mysticam Nicænam Synodum definiisse, ut antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteraſque provincias suis privilegia serventur ecclesiis. Et ideo de Episcopo Sedem Apostolicam appellante, si justum putaverit renovari debere examen, eo modo decrevit, ut à finitimis & propinquis Episcopis, vel à latere suo directo cum Episcopis provinciæ, à quibus judicatus fuerat, in eadem provincia ejus auctoritate, causa diligenter inquiratur, & juxtà fidem veritatis diffiniatur: vel si sapientissimo suo consilio judicaverit, credat Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant. Unde beatus Innocentius statuit, ut si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quàm, etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundùm Synodum Nycænam congregatis ejusdem provinciæ Episcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custo-

diri, relictis his Sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis fortè præsumpserit, & ab officio cleri summotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Quæ autem debeat reverentia in hac causa specialiter Romanæ Ecclesiæ custodiri, idem ibidem subsequitur, dicens: Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, pòst judicium episcopale referatur. Et hac de causa, ut secundùm sacri Nicæni Concilii diffinitionem, singularum provinciarum suis privilegia servarentur ecclesiis, & Sardicenses Canones conservarentur, idem beatus Innocentius Macedonianis Episcopis, blando excusationis suæ alloquio, & paternæ consolationis exhortatione rescripsit de Bubalio & Tauriano, quorum causam refricato judcio in provincia in qua judicati fuerant, audiri præcepit, ut eorum piissimus mentibus grave non videretur retractari judicium. Meminerat enim Antiochenum Concilium diffiniisse, ut si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem provinciæ, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum manere sententiam. Si quis autem Episcopus de certis criminibus judicatur, & contingat de eo provinciales Episcopos dissidere, cùm judicatus, ab aliis innocens creditur, reus ab aliis æstimatur; pro totius ambiguitatis absolutione, sanctæ Synodo placuit, ut Metropolitanus Episcopus à vicina provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant, & per eos simul & provinciales Episcopos, quod justum visum fuerit, adprobetur; ut videlicet, sicut Nicæni Canones diffinierunt, si duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum, quod jus uniuscujusque Metropolitani, quem Antiocheni Canones pro totius ambiguitatis absolutione ad controversiam tollendam de vicina provincia voluerunt judices convocare; Sardicensis Concilii Patres, salvo Nicæni Concilii decreto, sicut in gestis ejusdem Concilii demonstratur, ad privilegiũ beati Petri Apostoli transferri viderunt: Constituentes, ut

si in aliqua provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum litem habuerit, ne unus è duobus ex alia provincia advocet Episcopum cognitorem: quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt Julio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices: si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt, sicut explanatiùs in septimo ejusdem Concilii capitulo continetur. Et Carthaginense Concilium constituit, ut quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator, & reliqua que ibi sequuntur. Et si quis Episcopus quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis, Presbyter & à sex Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, & Diaconus à tribus. Ut quid enim Episcopus apud Primatem provinciæ accusabitur, & ab Episcopis ipsius provinciæ audietur, si ab illis secundùm præstitutas regulas non poterit judicari, à quibus regulariter potuit ordinari: Unde Majores nostri nobis tradiderunt, idcirco Sardicense Concilium appellantem Apostolicam Sedem decrevisse remitti ad provinciam in qua fuerat judicatus cum auctoritate Romani Pontificis, ut si justum putaverit, renovetur examen, & plurimorum Episcoporum vel legati sui judicio, Episcoporum Provinciæ, qui eum judicaverunt, sententia vel probetur à plurimis, vel emendetur; quatenùs secundùm Antiochenum Concilium damnati à Synodo causa Episcopi, ne terræ principi sit molestus, ad majus convertatur Concilium, & quæ putaverit habere justa, plurimis Episcopis suggerat, eorumque discussiones ac judicia præstoletur, & rei veritate ostensa, quæ nonnisi in provincia, in qua judicatus Episcopus deguit, poterit edoceri, sicut Africanum Concilium ad Cælestinum Papam scribens, demonstrat, quod sacris regulis conveniens inven-

tum fuerit, Sedis Apostolicæ auctoritate firmetur, quatenùs, sicut Nicænum decrevit Concilium per singulas provincias suis privilegia serventur ecclesiis. Beatus quoque Gregorius de Episcopo Sedem Apostolicam appellante, in provincia, in qua causa ventilata fuerat audiendo, ita in epistola ad Columbum Numidiæ scripsit, dicens: Indicamus sanctitati vestræ venisse ad nos quendam Petrum nomine, qui se asserit fuisse Episcopum, atque causæ suæ à nobis remedium postulasse, & priùs quidem retulit, quæ digna esse miseratione potuissent; sed requirentes posteà, multò aliter quàm indicavit, invenimus, & vehementer nos ejus actio contristavit; sed quia causam ipsius interna subtilitate nequaquam addiscere tam longo itineris intervallo disjuncti potuimus, tam incerti quippe diffinire nequimus. Et paulò pòst: Quia ergo præsentes subtiliùs causam potestis scire, hortamur ut eidem Petro servare, quicquid justum canonicumque fuerit, debeatis, ut causa ipsius secundùm Dei timorem & Ecclesiæ regulas videatur judicata. Si quis verò conscius vel particeps, præfato Petro, in his quæ accusatur, dicitur extitisse, subtiliter requirendum est, & veritate cognita, similiter canonicè judicandum. Et idem in epistola ad Columbum de Episcopo, qui præmio corruptus permisit Donatitarum Episcopum ordinari: Ob hoc, inquit, fraternitatem tuam scriptis præsentibus necessariò duximus adhortandum, ut veniente ad se Hilaro Cartulario nostro, adunato Episcoporum universali Concilio, habito præ oculis terrore venturi judicii, causa eadem subtili ac solerti debeat indagine perquiri. Etsi hoc capitulum à præsentium latoribus, prædicto Episcopo, documentis idoneis fuerit adprobatum, à dignitate officioque quo fungitur, modis omnibus degradetur, ut & ille ad pœnitentiæ lucra per agnitionem delicti redeat, & cæteri tentare talia non præsumant. Et de quo Concilio universali dicat, in epistola ad Deodatum Episcopum Primatem provinciæ monstrat; Concilium, inquit, quod congregare disponitis, dum Deo fuerit solatiante peractum, de ejus nos unitate atque concordia ædificate, ac reddite per omnia certiores.

Et

Et in epistola ad Joannem Episcopum Corinthiacum: Æquitatem atque sollicitudinem secundùm fratris & Coepiscopi nostri, quæ olim benè nobis est cognita, etiam series judicati monstravit, in qua re valdè placatos, lætosque nos reddidit, quia in causa Anastasii quondam Episcopi, quam ei examinandam injunximus, vigilantiam suam & diligenter exercuit, & cognita crimina ut justitia poscebat & oportuit, vindicavit. Et in epistola ad Constantium Episcopum: quem à fraternitate vestra comperimus esse depositum, postquam sacri Canones, sicut nostis, ultra tres menses Ecclesiam præcipiant non vacare, si manifestum in eo crimen apparuit, Episcopum loco ejus studii vestri sit modis omnibus ordinare, quia diu sine proprio Rectore esse non debet Ecclesia. Et in epistola ad clerum & ordinem Neapolitanæ civitatis: Demetrius, inquit, qui nec antè Episcopus dici meruerat, tantis ac talibus negotiis inventus est involutus, ut si secundùm suorum qualitatem facinorum judicium sine misericordia suscepisset, dum mundanis legibus durissima procul dubiò fuerat morte plectendus; sed quia pœnitentiæ reservatus sacerdotali honore privatus est, Ecclesiam Dei sine doctore diu vacare non patimur, quia & canonicis est regulis constitutum, ut defuncto, vel sublato Pastore, diu Sacerdote privari non debeat.

De eo etiam quod in epistola vestræ paternitatis habetur, ut Hincmaro veniente Romam, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui. Suggerimus sacris legibus cautum esse, quia confiteri quis in judicio, non tantùm sua voce, sed & literis, & quocumque modo potest; convinci autem nonnisi scriptura, aut testibus potest: & Ecclesiæ leges non damnant, nisi aut sponte confessum, aut ordine judiciario apertè convictum. Et item leges decernunt, ut unius testimonium quamlibet persona sit splendida, non admittatur. Et juxta legem ac Evangelium, Apostolus præcipit non recipi testimonium adversùs Presbyterum, nisi sub duobus & tribus testibus. Et sanctus Gregorius in commonitorio ad Joannem defensorem ex legibus & regulis promulgavit, ut alii sint accu-

satores; & alii testes, & legaliter ac regulariter accusatores & testes adversùs majorem natu examinari jubentur. Quia igitur nobis ex nomine vestro scriptum est, ut Romam veniente Hincmaro, veniat pariter cum eo accusator idoneus, & in judicio vestro causa finiatur; quia non specialiter de fide insimulatur, unde quilibet, ut dicit Gelasius, manifestè vel professione sua, vel communione potest agnosci; si de aliis præter ea, de quibus in judicio nostro est legaliter ac regulariter accusatus, & suis scriptis ac professionibus atque subscriptionibus convictus, & idoneis testibus comprobatus, & judiciario ordine de singulis singillatim regulis, certa & expressa judicia decernentibus à nobis est judicatus, Romæ ab accusatore fuerit accusatus, & ille negaverit, quomodò accusator, qui illuc ire jubetur, eum sine scriptura vel testibus, quos secum non valet ducere, comprobabit? Et si fortè Hincmarus eundem accusatorem suum rejecerit, quomodò utrùm idoneus, an rejiciendus cognoscetur. Dicitur etiam accusatrix illius esse in Remensi provincia, sicut in gestis à clero & plebe Laudunensis Ecclesiæ vobis directis continetur: de qua nihil est nobis rescriptum, & unde propter imminentem necessitatem quam Paternitati vestræ innotuimus, nobis eatenùs inquirere non licuit quidquam. Et quo ordine vel modo ipsa accusatrix paupercula, quia luxuria, ut vulgò teritur, nec Regum purpuras pertimescit, nec pannos pauperum perhorrescit, Romam ad vestrum judicium rationabiliter pergere debeat, invenire non possumus. Et si, ut epistola nobis ex nomine vestro directa prodit, vobis dubia sunt gesta synodalia paternitati vestræ à nobis directa; quoniam sanctus Leo decrevit ad Rusticum, ut in dubiis vel obscuris id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctarum regularum inveniatur adversum: & Dominus in Evangelio, peccantem semel secretò corripere, secundò cum testibus, ut si quando incorrectus apud Ecclesiam fuerit denotandus, denotator, non criminator, sed correptor esse videatur; post correptionem autem Ecclesiasticam, si correptus se non correxerit, ut eth-

nicus & publicanus jubetur haberi, & ubi ac per quos veraciter cognoscetur, unde & qualiter fuerit peccans correptus & judicatus, nisi in provincia causa ventiletur, in qua fuit crimen admissum? Quapropter sicut & sacræ leges definierunt, in decretis Sanctorum legimus, ut in loco unde est ille qui accusatur, quò non sit difficile testes producere, causa finiatur. Et Sardicenses Canones non jubent Episcopos qui in provinciali vel generali Episcoporum plurimarum provinciarum Synodo Episcopum judicaverunt, accusatorem Romam cum appellante Episcopo mittere; sed ab his qui causam examinarunt, examinationem & diffinitionem Romano Pontifici scribere, & Romanum Pontificem, ut aut vicinis Episcopis scribat, ut cum Episcopis provinciæ auctoritate sua refricent judicium, aut destinatus à latere ipsius habens ejus auctoritatem cum Episcopis provinciæ judicet, aut credat sufficere posse, ut Episcopi negotio finem imponant; quatenus juxta Nicænos Canones per singulas provincias, suis privilegia serventur ecclesiis, & juxta beati Leonis decretum, in dubiis vel obscuris sequatur, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum inveniatur adversum. Et etiam, quia secundùm Africanum Concilium, sicut omnes, quos ad accusanda publica crimina, leges publicæ non admittunt, ad accusationem clericorum non debeant admitti; ita omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi non est licentia deneganda. Et quia sunt quamplurimi in nostris regionibus tam clerici, quàm laïci, qui in causis propriis de præjudiciis ab Hincmaro sibi inlatis, datis nobis in Synodo petitionibus questi sunt, qui omnes Romam ad accusationem illius ire, testesque secum ducere nullatenus possunt. Et quomodo Romæ valeant idoneæ ad accusandum vel ad testimonium personæ penitus incognitæ probari, vel rejiciendæ improbari, quæ in provinciis in quibus degunt, sæpe non sine difficultate probantur vel improbantur, videre non possumus: nec unquam hoc in nostris regionibus usque ad tempora nostra à Sede Apostolica nostris antecessoribus præceptum fuit. Et si domnus noster Rex idoneus illius ac-

cusator sumptus habet, quibus suffultus, si viam illi pacificam obtinueritis, Romam ire ad accusationem illius potest, tamen pauperes clerici & laïci ab eodem Hincmaro præjudicia multa passi illuc ire non possunt. Unde ex interpretatione sacræ legis Valentiniani & Valentis Imp. constitutum est, quia criminum discussio ibi agitanda est, nam alibi criminum reus prohibetur audiri. Erhinc sacrum Carthaginense Concilium statuit, ut accusatus vel accusator in eo loco unde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quò non sit difficilè testes producere, ubi causa finiatur. Et Afric. Concilium hinc scribens ad Cælestinum PP. dicit: Quomodo ipsum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt? Potest enim fieri ut illi qui in vicinis parochiis sunt sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique juxta sacras regulas ad manus impositionem, & ad Synodos illuc solent secundùm antiquam consuetudinem convenire, ad hujusmodi causarum diffinitionem illuc conveniant: in his autem & aliis qui in similiter longinquis regionibus commorantur, hoc impossibile præsidentes Apostolicæ Sedis, sacrorum Canonum promulgatores, loquente in eis sancto Spiritu, quæ sunt unicuique possibilia, & auctoritati convenientia, & paci ecclesiasticæ congruentia, tenenda & exequenda discretissimè præfixerunt.

Sed & quia, & legum & Canonum constituta non sibi servari viderunt sancti Patres nostri ex Africano Concilio scribentes ad Bonifacium Papam pro causa Urbani Episcopi & Apiarii provinciæ Africanæ Presbyteri excommunicati, secundùm diffinitionem Carthaginensium Canonum, ut Presbyteri, Diaconi vel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos diffiniant adhibiti ab eis Episcopi; quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad Primatem suarum provinciarum, sicut

& de Episcopis sæpe constitutũ est: ad Transmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communione susçipiatur. Contra quæ Papa Zozimus subreptione quadam præventus, sicut & sanctus Innocentius Apostolicæ Sedi subreptum per rumorem falsum de Photino Episcopo adsertione Episcoporum Macedonianorum ostendit, quoniam animus cum dividitur ad multa, fit minor ad singula, non sine molestia questi fuerunt; sicut in epistola ipsius Concilii sapientiæ vestræ notissima plenius recensere potestis, per Faustinum Episcopum, Philippum & Asellum Presbyteros Africano Concilio direxit Capitula Sardicensis Concilii, de appellatione Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & ne ad Comitatum Episcopi importunè navigent, & de tractandis Presbyterorum & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si à suis excommunicati perperam fuerint, & de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quod quartum capitulum ex eo mandatum est, quia Apiarius Presbyter excommunicatus ab Urbano Episcopo, non ad Primatem suæ provinciæ secundùm Africanos Canones, sed ad Transmarinum judicium provocavit. Quapropter idem Concilium ad Bonifacium successorem Zozimi post explicationem Sardicensis Capituli de Presbyteris & Diaconis scripsit, quia si ita quemadmodùm in ipso Capitulo continentur, scilicet finitimos interpellet Episcopos, & causa ejus audiatur, & diligentiùs tractetur, & ille Episcopus, qui aut justè, aut injustè eum deserit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, & ut aut probetur, aut emendetur ejus sententia, eo ordine in Italia custodirentur, nullo modo ipsi in Africa, talia qualia commemorare jam nolebant, tolerare cogerentur, subjungentes: Sed credimus, inquiunt, adjuvante misericordiâ Domini nostri Jesu Christi, quod à sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente non sumus jam istum typhum passuri, sed servabuntur erga nos quæ nobis etiam non differentibus, custodiri debent cum fraterna caritate, quæ sapientiam atque justitiam, quam tibi donavit altissimus,

etiam ipse prospicis esse servanda. Unde sanctus Bonifacius causa accidente, qua hinc scribis convenerat ad Hilarium Narbonensem Episcopum decrevit dicens: Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes: nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicenæ, quæ ita præcipit (ut eadem propriè verba ponamus) per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas, quod illi, quia aliter credendum non est, servandum, sancto Spiritu sibimet suggerente censuerunt. Et paulò pòst, quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua, adeò nos Canonum cautiùs præcepta servare, ut ita quoque constitutio nostra diffiniat, quatenùs Metropolitani sui provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.

Quod non solùm Apostolica Sedes secundùm sacros Canones singulis provinciis ex antiquo servavit, verùm & in epistola beati Gregorii ad Joannem Ravennantium Episcopum etiam de Episcopis specialiter secundùm Nicenos Canones Sedi Apostolicæ deputatis, cui in Primatu beati Petri commissa est sollicitudo omnium Ecclesiarum, atque Episcoporum, ita eis consulendo scriptum legimus: De Episcopis, inquit, ad nos pertinentibus, qui tamen huc pro interpositione hostium venire non possunt, curam vestra fraternitas gerat, ita tamen ut pro causis suis ad Ravennatem urbem nullatenus revocentur, ne eos hoc tempore vexare, aut fatigare in aliquo videamur: Sed si qua sunt, quæ in eis videantur reprehendi, debent fraternitati vestræ epistolis admoneri: Sin verò crimina, quod absit, graviora contigerint, hæc ad nos subtiliter referre vos volumus, ut inquisitionis testimonio roborati, quæ legibus canonibusque conveniunt, salubri, juvante Domino, consilio disponamus. Sed & Maximi Salonitani prævaricatoris Episcopi causa, qui prælato privilegio beati Domini voce præcepto, contra Nicena decreta, contraque antiquam cõsuetudinem sine conscientia responsalis Apostolicæ Sedis fuerat ordinatus, & propterea, ac pro aliis, de quibus insimulabatur, à beato Gregorio excommunicatus, & Romam venire jussus, ab

eodem beato Gregorio Mariniano Ravennati Episcopo ad inquirendum & diffiniendum est sine retractatione commissa. De sollicitudine autem omnium ecclesiarum atque Episcoporum, Apostolicæ Sedi in Primatu beati Petri collata, sanctus Leo dicit: Divinis præceptis & Apostolicis monitis incitamur, ut omnium Ecclesiarum statui impigro vigilemus affectu, ac si quid usquam reprehensione invenitur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantiæ imperitia, & à superbiæ usurpatione revocemus. Et sanctus Gregorius ad Joannem Episcopum Syracusanum dicit: Nam quod se Sedi Apostolicæ dicit subjici, quin Constantinopolitanus Episcopus, si qua culpa in eis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit; cum verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis, æquales sunt. Et item idem de contiguis Romanæ Ecclesiæ, ad Conlimitaneos Episcopos scripsit: Clerus, inquiens, Ecclesiæ Regitanæ contra reverendissimum fratrem nostrum Bonifacium Episcopum suum, data nobis impetitione, conquestus est, petens ut ad nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenùs causæ majores hîc subtiliter probarentur: sed quia noverim prædictum fratrem nostrum hoc modo, quo prævidimus deducendum, visum nobis est deputare causam eandem cognoscendam, & reliqua. Et ad Joannem Episcopum Syracusanum: Quæ, inquit, adversùs Lucillum Melitanæ civitatis Episcopum ex epistolarum vestrarum, & gestorum, quæ direxistis, pignâ declaratum est, & ideo, quia tanti facinoris ultio nullâ debet dilatione differri, Fraternitas vestra tres vel quatuor de fratribus ac Consacerdotibus sibi nostris adhibeat, ut ipsis quoque præsentibus prædicta, ac satisfacta veritate, prædictum Lucillum de Episcopatûs sui ordine, quem hujus sceleris contagium maculavit, studeat sine ambiguitate deponere: & hinc plura sunt alia, quæ causâ prolixitatis omisimus. Et beatus Leo vices Apostolicæ Sedis, & jam de Metropolitanis specialiter ad eam pertinentibus, & in longinquis regionibus ab urbe Roma existentibus, Thessalonicensi Episcopo commissas fuisse in epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem demon-

ſtrat. Plures quippe Metropolitani ſpecialiter authoritate Apoſtolicæ Sedis commiſſi habentur. Sicut & Alexandrinæ Eccleſiæ, ut in eccleſiaſticis hiſtoriis, & in geſtis Synodalibus legimus. Et de Antiochena Eccleſia Innocentius Papa ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum ſcribens demonſtrat, de quorum ordinatione idem Innocentius ad eudem Alexandrum ſcripſit. Et Leo non ſolùm de Metropolitanorum, ſed & de ſubjectorum ſibi Epiſcoporum conſecratione conſtituit, qui Metropolitani ſub primate ex delegatione Sedis Apoſtolicæ, relatione, ac conſenſu ipſius primatis, & ordinantur & ordinant: illi verò Archiepiſcopi, vel Metropolitani multotiens in ſacris Canonibus appellati primates inveniuntur, qui in loco defunctorum Archiepiſcoporum, ab Epiſcopis uniuſcujuſque provinciæ ſine interrogatione ipſius Primatis prævalent ordinari, & ex antiquæ conſuetudinis lege à Sede Apoſtolica Pallii ſolent genio inveſtiri, & in loco decedentium Epiſcoporum ſine conſultu vel licentiâ Primatis alterius, in ſua provincia quoque poteſt regulariter Epiſcopos ordinare, ſicut ſanctus Gregorius in Epiſtolis ſuis oſtendit, de quibus ad veſtram paternitatem hîc quædam ponere duximus. Ad Dominicum Carthaginis Archiepiſcopum: Intuentes omninò nos tetigit, ne per ea, quæ apud vos geſta ſunt, aliorum Conciliorum Primatibus, quod avertat Dominus, generetur ſcandalum. Et in Epiſtola ad Gennadium Patricium Africæ: De ſupradicto, inquit, Epiſcopo, quem communione privatum eſſe aſſeritis, valde mirati ſumus, cur nobis hoc, non Primati ejus, Excellentiæ veſtræ Epiſtola nunciavit.

Sed quia recidenda ſæpiùs pullulant, idem Africanum Concilium ad Cæleſtinum Papam cogente Fauſtini potiùs patrocinio, quàm judicio erga ſupradictum Apiarium circa medium Epiſtolæ ſcripſit hoc modo: Prælato debitæ ſalutationis officio impendiò deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non faciliùs admittatis nec à nobis excommunicatos in communionem ultra vehtis recipere, quia hoc etiam Niceno Concilio definitum, facilè advertit venerabilitas tua: Nam etſi de inferioribus Clericis vel laïcis

laïcis id jubet ibi præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, à tuâ sanctitate præpoperè, vel indebitè videantur communioni restitui: Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat Sanctitas tua, quia & nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive Episcopo. ipsos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt; prudentissimè enim, justissimèque viderunt quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissime teneatur. Et reliqua quæ ibi prosequitur de ratione veritatis deprehendendæ, & depositione testium, qui longiùs propter sexus, vel senectutis infirmitatem aut aliud impedimentum adduci non possunt. Et hinc idem sanctus Cælestinus Papa universis Episcopis per Viennensem & Narbonensem Provincias constitutis scripsit: ut juxta decreta Canonum, unaquæcumque Provincia suo Metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec usurpationis locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat. Et sanctus Leo de privilegiis Metropolitanorum ita ad Maximum Antiochenum Episcopum scripsit dicens: Tanta apud me est Nicænorum Canonum reverentia, ut ea quæ sunt à sanctis Patribus constituta nec permiserim, nec patiar aliquâ novitate violari. Quamvis enim diversa nonnunquam merita Præsulum, tamen jura permanent Sedium, quibus etsi possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Et ut hæc dignitas juxta decreta cuilibet Metropolitano provinciæ servaretur, sanctus Cælestinus Danielem Episcopum, de multis criminibus accusatum ad judicium Episcopale in piovincia sua, missâ Epistolâ ad Arelatensem Episcopum, destinari præcepit. Et Africani Patres decreverunt, ut quisquis Episcoporum accusatur, ad Pri-

matem provinciæ, ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statutâ literis evocatus minimè occurrerit, hoc est, infra spatium mensis, ex eâ die, quâ eum litteras accepisse constiterit. Quòd si aliquas veras necessitatis causas probaverit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem, integram habeat facultatem; verùm tandiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Tempore sanè, quo non communicat, nec in sua Ecclesia vel Parochia communicet, &c. Unde sanctus Augustinus doctor Ecclesiæ, ab Apostolica Sede receptissimus, qui Carthaginensi huic Concilio suâ auctoritate firmato interfuit. *Cætera desiderantur, quæ utinam suppleri possent è manuscripto integro & emendatiori.*

EPISTOLA CAROLI II. Imperatoris ad Joannem VIII. Papam.

De judiciis & appellationibus Episcoporum ac Presbyterorum Ecclesiæ Gallicanæ ad sedem Apostolicam.

Sanctissimo ac Reverendissimo Patri Ioanni Summo Pontifici, & universali Papæ, Carolus gratiâ Dei Imperator Augustus, & spiritalis filius vester.

ANTEQUAM Provinciæ Transalpinæ, propter seditiones & bella frequentia progenitorum nostrorum temporibus, sacrarum legum ac regularum notitiam & observationem plenè caperent, sicut posteà per incrementa studio illorum ab hac sancta Sede gratiâ Dei ceperunt; gloriosæ memoriæ avus noster Carolus Imperator Augustus, diu per egregios, ac præcipuæ auctoritatis & sapientiæ viros, de Presbyteris ex criminibus diffamatis, qualiter judicari, vel purgare se debeant, perquisivit & reperit, sicut in suæ Imperialis auctoritatis edictis, quæ in alia schedula ha-

bemus scripta, posteris servanda reliquit, quæque usque ad nostra tempora ex tunc, in Transalpinis regionibus servata, & quando necessitas postulavit, executa fuerunt. In diebus autem domini & genitoris nostri piæ memoriæ Hludovici Imperatoris, cum ipsa tepesci executio aliquatenùs cepit apud Papam Eugenium, inde ab eo commonitio facta est: qua de re Synodum universalis Papa convocans inter alia generalia decreta promulgare curavit quæ Leo IV. tempore fratris nostri Hlotharii, & nepotis nostri Hludovici observanda decrevit; sicut in gestis synodalibus, & in hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ archivo haberi credimus, & ab hac sancta Sede nostris decessoribus directâ venerabili sanctione habemus. Cùm autem non longè ante hos annos nepos noster Hludovicus Italiæ Imperator instinctu quorumdam contrà nos commovit, missæ sunt nobis epistolæ, quasi ex Apostolicæ hujus Sedis auctoritate ac nomine, quas tenoris inconvenientia hanc sanctam & discretissimam Sedem non misisse ostendit.

Et quoniam pravis sæpiùs prava quàm recta innosci solent, nactâ hinc occasione Transalpinarum regionum Presbyteri à suis Episcopis de certis criminibus regulariter ab ordine sacerdotali dejecti, & pœnitentiæ subacti, sine licentia & conscientia Primatum & Episcoporum suorum huc venire, & hinc epistolas, quæ regulis non conveniunt, referre ceperunt; quas non jussione Apostolica, sed ut assolet etiam in republica propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumque ministrorum quasi pia miseratione factas, & nos, & illius regionis putant Episcopi. Quapropter quia, ut sanctus Augustinus dicit, cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum, intermissis propter prolixitatem sacrarum legum capitulis prædecessorum nostrorum Imperatorum, quibus ecclesiasticæ regulæ consonant, necessarium duximus pandere sanctissimæ vestræ paternitati ac summæ auctoritati, qualiter regulas de honore in suo statu Episcoporum, & de appellatione Presbyterorum, intelligimus, & intelligi à rectoribus Transalpinarum Ecclesiarum didicimus; quatenùs ab hujus Sedis auctorita-

te, nostra sana, ut credimus, intelligentia confirmetur, à qua fidei ac religionis sumpsit initium, & quotidie, gratias Deo, sumit augmentum: & si quid malè in agro dominico pullulat, decreti vestri falce recidatur; si etiam quorumcumque negligentiâ, vel præsumptione à præstitutis regulis est discessum, vestræ auctoritatis industriâ sit reformatum.

Sicut Dei virtus Christus, & Dei sapientia ordinem ac dignitatem Apostolorum & 70. discipulorum in carnis præsentia distinxit, ut lectio sancti Evangelii patenter ostendit, ita idem ipse per quem Reges regnant, & conditores legum justa decernunt, sacris legibus & Canonibus spiritu suo conditis, & totius mundi reverentiâ consecratis, ordinem & dignitatem Episcoporum, qui locum in Ecclesia tenent Apostolorum, & Presbyterorum, qui subrogantur loco 70. discipulorũ, & in administratione, & in honore, sicut & in veteri testamento, inter summos Pontifices, & inter minoris ordinis Sacerdotes, discrevit. Quapropter ab omnibus honorandi ac venerandi sunt pro patribus nati filii, id est, pro Apostolis ordinati Episcopi, & ordinis dignitate, & illius honore qui eis Apostolis dixit. *Iam non dicam servos meos, sed amicos: & qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: & de eis, ite, nuntiate fratribus meis,* & alia quæ de illorum veneranda honoratione sacræ Scripturæ textus eloquitur.

Qui forte si aliqui temporalibus rebus sunt pauperes, & forte merito divites, pro certò autem sunt ordine sacro sublimes, à nullo quolibet sive ecclesiastica, sive sæculari potestate prædito debent vilipendi, nec potentibus sæculi modo quocumque postponi, præcipiente omnibus Apostolo Jacobo. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ*; quia non qui ditiores ad sæculum, hi in divino examine sunt meliores. *Nonne*, inquit, *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & hæredes regni, quod promisit diligentibus se?* Et Paulus, *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus*, & reliqua. Et sanctus Gregorius in epistola ad Mauritium Imperatorem: Sacerdotibus, inquit, consideratione excellenti, propter eum cujus servi sunt, ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat: nam in

divinis eloquiis aliquando Sacerdotes Dii, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moysen de eo qui ad juramentum deducendus est, dicitur: *Applica illum ad Deos*, id est, ad Sacerdotes. Et rursum scriptum est, *Diis non detrahes*, scilicet Sacerdotibus. Et Propheta ait: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est:* Quid ergò mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos, ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino Principi in scripto oblatæ accusationes contrà Episcopos fuissent, libellos quos acceperat incendit, dicens: Vos Dii estis à vero Deo constituti: ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est ut nos judicemus Deos. In qua tamen sententia, pie Domine, sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, Deos ligneos & lapides colebant; tamen eorum Sacerdotibus maximum honorem tribuebant. Quid ergò mirum, si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, ut prædiximus, Principes honorem impendere Sacerdotibus noverunt, qui diis ligneis & lapideis serviebant? Et idem sanctissimus atque facundissimus & discretissimus, veraciterque, in oculis Dei humillimus, in Epistola ad Joannem Episcopum Syracusanum scribens de Episcopo Constantinopolitano inter alia dicit, quòd Sedi Apostolicæ dicat se velle subjici: si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit; cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis, æquales sunt.

Post Constantinum autem, quique Christiani Imperatores decessores ac prædecessores nostri leges de Episcoporum honore ac privilegio condiderunt. Proinde, Pater sanctissime, quia ut sanctus Gelasius dicit: Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, Auctoritas sacra Pontificum & Regalis potestas, ad quas appellari potest, & à quibus nemo permittitur appellare, sub oculis districti & æquissimi

judicis Dei, qui sine personarum acceptione judicat, nostra poneremus judicia, quia etsi plerumque existunt inter negligentes vel desides Fratres, quæ oporteat majore auctoritate curari, sic tamen est, ut sanctus Leo dicit, adhibenda correctio, ut semper sit salva dilectio, & plus erga corrigendos agat benevolentia quàm severitas, plus cohortatio quàm commotio, plùs charitas quàm potestas. Episcopos sanè in statu suo manentes debitâ veneratione colamus, & à nobis eis competenti honore impenso, cæteris exemplum reverentiæ erga sacerdotalem ordinem præbeamus: quia si nos sacrum ordinem in personis eorum vilipendimus, qui velut in speculo ad sumendum exemplum, in omnium qui nobis subjecti sunt oculis positi sumus, pro tantorum culpis à districto judice, summo videlicet Pontifice & Rege Regum, judicabimur, quot nostro facto delinquendi, quod absit, exempla præbuerimus. Sicut idem beatus Gregorius in regula pastorali terribiliter intonat, dicens: Scire etenim Prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est ut tantò se cautiùs à culpa custodiant, quantò per prava quæ faciunt, non soli moriuntur, sed aliarum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt: & contrà, quod suo vel verbo, vel exemplo vel quibus potestas est data correptionis, correptione, quia sæpè invitis bona præstantur, dicente summo Patre familiàs ad servum, id est, prælectorum chorum, *Exi citò in vias & sepes, & compelle intrare ut impleatur domus mea,* Domino lucrati fuerint, pro tantis gloriæ coronam accipient, attestante Apostolo, *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Cæterum, quia non est homo in terra qui faciat bonum, & non peccet, & nec ipsi sine peccato fuerunt qui cælesti magisterio adhærebant, dicente Joanne, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* & sanctus Jacobus plus dicit, *In multis offendimus omnes,* & ut Scriptura ostendit, *in Angelis reperta est nequitia;* si necessitas cum multa ponderatione atque examinatione

coëgerit Episcopos ab Episcopis judicari, vel Presbyteros ab Episcopis à gradu ecclesiastico dejici, sicut in honore atque administratione, sic & in dijudicatione atque appellatione discretionem aüctoritas sacra distinxit: decernens, ut si necessitas & pondus legalis ac regularis accusationis exigit, Episcopum judicari debere à suis judicibus Episcopis, à quibus regulariter unà cum Primate provinciæ potuit secundùm Nicænos & Antiochenos Canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum ordinari, congregatis unà cum Primate provinciæ ipsius regionis Episcopis secundùm Sardicenses Canones, atque à Constituto juxta Carthaginenses Canones duodecim Episcoporum numero, si plures nequiverint congregari.

Et si isdem accusatus & judicatus Episcopus, congregatis ejusdem regionis Episcopis de gradu suo dejectus, Apostolicam Sedem appellaverit, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & ab eo se audiri voluerit post judicium juxta Sardicenses Canones & decreta Innocentii ad Victricium, & Bonifacii, ad Gallicanos Episcopos, & Leonis ad Anastasium, scribendum est ab his qui causam examinarunt Romano Pontifici; & si judicaverit esse renovandum judicium, renovetur, & det judices; si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt; & si justum putaverit ut renovetur examen, scribere his dignetur Episcopis qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter requirant, & juxta fidem veritatis definiant: quòd si is qui rogat causam suam audiri, iterùm deprecatione suâ moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, & quid velit, & quid æstimet: & si decreverit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit. Interim tamen alter Episcopus in cathedra depositi Episcopi post appellationem ejus non ordinetur, antequam causa ejus fuerit in judicio.

Quæ constitutio appellationis ad Apostolicam Sedem non discordat à sacra & mystica Nicæna Synodo, de qua magnus Leo Papa ad Anatolium scripsit: Illa, inquiens, Nicænorum Canonum per sanctum verè Spiritum ordinata conditio in nulla unquam parte est solubilis: nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis, quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum comparare se audeat, vel præferre, cum tanto divinitùs privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitùs auctoritate fit vacuum, quicquid ab illorum constitutione fuerit diversum: de cujus privilegio & beatus Gregorius dicit, non humanâ industriâ, non compositione aliqua trecenti decem & octo Episcopi ad Concilium convenerunt, sed ut in numero eorum per signum suæ passionis & nominis Dominus Jesus suos se probaret adesse Concilio, crux in trecentis, Jesu nomen in decem & octo est Sacerdotibus: Et mihi, inquit Hilarius, ille ipse numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni sacerdotii est forma, benedicitur. Et hinc iterùm beatus Leo Papa ad Anatolium: Sancti illi & venerabiles Patres qui in urbe Nicæna sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem leges Ecclesiasticorum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, & si quid usquam aliter quàm illi statuêre præsumitur, sine cunctatione cassatur.

Quod sanctum & mysticum Concilium præcipit de his qui communione privantur, sive ex clero, sive ex laïco ordine ut ab Episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur: requiratur autem ne pusillanimitate aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione secluſus. Ut hoc ergò decentiùs inquiratur, benè placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter simul Episcopis congregatis provinciæ discutiantur hujusmodi quæstiones, & sic

qui

qui in suo evidenter peccaverunt Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequò vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.

Cujus sanctæ Synodi constitutionem Sardicenses Canones non convellunt, qui cum Pontificis Romani vicario vel arbitrio causam Episcopi in provinciali Synodo judicati, etiam Episcoporum arbitrio vel judicio qui eum judicaverunt cum Episcopis qui in finitima & propinqua provincia sunt, præcipiunt terminari, quatenùs sive in manenda, sive in mutanda sententiâ juxtà Nicænos Canones commune sit placitum. De quibus sacris Canonibus Nicænis Africanum Concilium ad sanctum Cælestinum Papam scribens: Prudentissimè, inquit, justissiméque providerunt, quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique provinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.

Beatus quoque Innocentius ad Victricium Rothomagensem Episcopum duo capitula magni Concilii Nicæni, de his videlicet qui communione privantur ex clero, & aliud, ut per singulas provincias suis privilegia serventur Ecclesiis, & capitulum Sardicensis Concilii, de Episcoporum ad Apostolicam Sedem appellatione, uno capitulo sagaciter atque patenter explicat, dicens: Si quæ autem causæ inter Clericos tam superioris quàm inferioris gradus fuerint ortæ, placuit ut secundùm sanctam Synodum Nicænam, congregatis omnibus provinciæ Episcopis judicium terminetur, nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Ecclesiam Dei nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quòd si quis fortè præsumpserit, & ab officio cleri submotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut sancta Synodus constituit, & beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur. In eo enim quod dicit, ut secundùm Synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ Episcopis de exortis

causis judicium terminetur, capitulum Nicæni Concilii de excommunicatis explanat: In eo quod ad alias quemcumque de ecclesiastico ordine prohibet convolare provincias, aliud capitulum Nicæni Concilii explicat, quod jubet, ut per singulas provincias suis serventur privilegia Ecclesiis: sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ; ut, si majores causæ, quarum una est de Episcopi appellatione, in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam referantur, sicut Synodus statuit, hoc est Sardicensis Concilii capitulum; appellantis igitur Episcopi causa in provincia in qua fuit exorta diffiniatur, ut judicium Episcoporum provinciæ secundùm decreta Bonifacii Apostolicæ Sedis auctoritate confirmetur, & sicut Leo scripsit, ejusdem Sedis sententiâ roboretur. Quia verò sanctus Innocentius, non Nicænam, sed Sardicensem Synodum de appellatione Episcopi ad Sedem Apostolicam in auctoritatem traxit, qui utrasque Synodos legit, apertè intelligit.

Sacræ leges ac regulæ Presbyteros ac cæteros inferioris gradus clericos, non alibi quàm apud suos Episcopos præcipiunt accusari, à quibus, sicut Africæ provinciæ Canones decernunt, eorum causa debet audiri, & sicut & sanctus Gregorius constituit, cum Presbyteris vel Clericis suæ parochiæ judicari. Qui fortè de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, ad quos eis sit provocandum, de appellatione Presbyterorum ac Diaconorum ad vicinos & finitimos Episcopos Papa Zozimus in commonitorio per Faustinum Episcopum ac Philippum ac Azellum Presbyteros directo Carthaginensi Concilio, in Concilio Sardicensi, capitulo decimo-septimo continetur hoc modo: Osius Episcopus dixit, quod me adhuc movet, reticere non debeo: Si Episcopus quis fortè iracundus, quod esse non debet, citò & asperè commovetur adversùs Presbyterum sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur aut perdat communionem; & ideò habeat potestatem is qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, & diligentiùs tractetur, quia non oportet negari ei audientiam roganti: & ille Episcopus qui justè aut injustè eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut vel probetur

sententia ejus à plurimis, vel emendetur : tamen priusquam omnia diligenter vel fideliter examinentur, cum qui fuerat à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere, ut eum communioni societ : hi verò qui conveniunt ad audiendum, si viderint Clericorum esse factum & superbiam, quia non decet ut Episcopus injuriarum vel contumeliam patiatur severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo; quia sicut ille Clericis sincerum debet exhibere amorem caritatis, ita quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.

Nec hoc capitulum Sardicensis Concilii dissentire videtur à Capitulo Nicæni Concilii, quo expressiùs & apertiùs quàm Sardicense Concilium decrevit de his qui communione privantur à proprio Episcopo, sicut suprà posuimus, & de privilegiis singulorum Metropolitanorum, dicens: Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est : Similiter autem apud Antiochiam, cæteraque provincias, suis serventur Ecclesiis privilegia. Quod exponit Antiochena Synodus, dicens : Per singulas regiones convenit Episcopos nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant; & Constantinopolitanum Concilium dicens : Ut illa quæ sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciæ Synodus dispensèt, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.

Et hinc Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Episcopum : Revolventes, inquit, auctoritatem Nicænæ Synodi quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, quæ censuit de Antiochæna Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, quâ super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliam aliquam provinciam recognoscimus constitutam. Et Bonifacius Papa ad Hilarium Narbonensem : Nulli, inquit, videtur incognita Synodi Nicænæ constitutio, quæ ita præcipit, ut eadem propriè verba ponamus, per unamquamque

provinciam jus Metropolitanos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas; quod illi, quia aliter credendum non est, servandum, Spiritu sancto suggerente, sibimet censuerunt. Quod idcircò dicimus, ut advertat caritas tua, adeò nos Canonum præcepta servare, ut ita constitutiò quoque nostra diffiniat, quatenùs Metropolitani sui unaquæque provincia omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et his consonanter Cælestinus: Juxta decreta, inquit, Canonum unaquæque provincia suo Metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec usurpationi locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur injuriam, sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat. Et Leo ad Maximum Episcopum: Et si, inquit, diversa sunt merita Præsulum, jura tamen permanent Sedium.

Et Antiochenum Concilium à magna Synodo Calchedonensi actione duodecimâ favorabiliter collaudatum, sequens decreta Nicæni Concilii: Si quis, inquit, à proprio Episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo, aut certè ad Synodum quæ congregatur occurrens pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circa laïcos & Presbyteros & Diaconos, omnesque qui sub regula esse monstrantur. Et loquens de Conciliis capitulo vicesimo, dicit: In ipsis Conciliis adsint Presbyteri & Diaconi, & omnes qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen. Nullus verò liceat apud se celebrare Concilia, præter eos quibus Metropolitana jura videntur esse commissa. Et capitulo decimo sexto: Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes.

Appellantes autem Presbyteri vel Diaconi, à quibus & qualiter sint judicandi, sacri Carthaginenses Canones capitulo vigesimo, & capitulo vigesimo octavo, evidenter ostendunt: ubi autem inter accusatores & accusatos causa debeat agitari, Concilium Carthaginense statuit, ut accusatus vel accusator in eo loco, unde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi

causa finiatur. Et hinc leges dicunt: criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est, aut repetitione aut criminis objectione pulsans in provincia in qua consistit ille qui pulsatur suas exerat actiones, nec æstimet adversarium suum alibi, aut longiùs pertrahendum: illi verò qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare, scilicet Ecclesiasticis ad finitimos Episcopos, ut Sardicenses & Carthaginenses Canones, ut præmisimus, decreverunt, vel ad provincialia Concilia, sicut sacri Nicæni & Antiocheni Canones constituerunt, & sicut Africanum Concilium in Epistola ad Cælestinum, Papam ostendit: Unicuique, inquiens, concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suæ provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi fortè quisquam est qui credat, unicuilibet posse Deum nostrum inspirare justitiam: & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis incurrentibus impedimentis adduci non poterunt?

A judicibus autem, sive quos juxta Africanos Canones, Primates dederunt, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint, regulariter provocari non potest. Et sanctus Gregorius in Epistola ad Gallicanos Episcopos: Nec hoc, inquit, in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias Conciliis patrum providentiâ, necessitatis causâ sancitum est: unde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter subjectos & præpositos sint fomenta discordiæ, in unum Sacerdotes convenire necesse est, ut de incidentibus causis discepta-tio, & sit salubris de Ecclesiasticâ observatione conlatio; quatenùs dum per hoc præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordiâ collaudetur: cujus vobis adesse præsentiam, si hæc observabitis, scitote, quia scriptum est: Ubi fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergò adesse dignatur, ubi duo vel tres fuerint, quantominùs ibi non deerit, ubi plures convenerint. Et quidem quia de adhibendo bis in annum Concilio Patrum sit regulis statutum,

non latet; sed ne fortè aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen sine excusatione aliqua decernimus congregari, ut expectatione Concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum; nam plerumque etsi non amore justitiæ, metu tamen examinis abstinebitur ab hoc quod omnium notum est posse displicere judicio.

Hæc itaque Transalpinis Ecclesiis, earumque rectoribus à Sede Apostolica de appellatione Episcoporum ad hanc Sedem Apostolicam, & de Presbyterorum aè Diaconorum appellatione si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint ad comprovinciales Synodos, & dijudicatione regulari eorum in iisdem Synodis ante longissimæ ætatis annos usque ad nostra tempora servata, & à decessoribus ac prædecessoribus eorum servata & executa fuerunt; quæ si etiam illis servata, & ab eis secuta & non executa fuerint, nihil prodest eos secundùm sacros Canones & decreta Sedis Romanæ Pontificum pro accusatis Presbyteris de manifestis criminibus comprovinciales Episcoporum Synodos frequentare, sed faciet licenter quisque Presbyterorum quodlibet, unde si fuerit redargutus, veniat Romam.

Et quia pro singulis Presbyteris regulariter judicatis Transalpinis missos dirigere, & actionum documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas, vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, vel pro multis aliis impedimentis huc producere, fiducialiter poterit mentiens quique innocentiam suam asserere, cùm non erit, qui mendacia ejus possit refellere: unde, sicut præmisimus, legum & canonum conditores prudentissimè justissimèque viderunt, quæcumque negotia in suis locis ubi orta sunt, finienda, & per expressa regularum judicia discretissimè judicanda, & post judiciũ conservanda, maximè de subintroductione contra regulas mulierum, pro qua ab Episcopis Transalpinis Presbyteri regulariter judicati ad hanc sanctam Romanam Sedem insciis suis Episcopis veniunt, & eis Epistolas eorum refragantes judicia deferunt, eosque vel comministros eorum ad hanc Sedem ad conquerendum contrà eos venire præcipiunt, quod nullis antiquorũ legibus, vel Patrum regulis decretũ fuisse legimus.

Quas epistolas sacris regulis obvias, ut in præfatione hujus opusculi commemoravimus, nec authoritate apostolica fuisse missas, sed compilatas quorumque vafriciâ credimus. Non enim sibi ipsi Sedes Apostolica potest esse contraria, vel diversa, de qua Gelasius Papa dicit: Confidimus quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum, & suâ auctoritate confirmat, & continuâ moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesiâ nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet. Et item: Cùm nobis contrà salutarium reverentiam regularum cupiamus temerè nihil licere: & cùm Sedes Apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis Canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentiũ hanc observantiam refutare, quam beati Petri Sedem & sequi videat, & docere, satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam ibi vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit Principatum. Potest enim fieri, ut illi qui in vicinis parochiis sunt hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique juxta regulas sacras ad manus impositionem, & ad Synodos huc convenire solent, ipsi pro reclamatione contrà Presbyterum suum ad præfatam examinationem conveniant, sicut sacri Canones ac leges præcipiunt, ut ad Primatem uniuscujuscumque Provinciæ, qui negotia videntur habere concurrant, vel ad Synodum qui se læsos existimant, quò non sit difficile testes producere, invitentur. Transalpinis autem & aliis, qui in similiter longinquis regionibus commorantur, Apostolica Sedes & sacrorum Canonum promulgatores, loquente in eis sancto Spiritu, quæ sunt unicuique Provinciæ possibilia, & auctoritati convenientia, atque paci Ecclesiæ congruentia, tenenda & exequenda discretissimè præfixerunt.

Legimus etiam, quamvis rarissimè præceptum, à Sede Apostolica, quosdam de longinquioribus Parochiis specialis Diœ-

ceſeos Romani Pontificis, ad cujus ſollicitudinem univerſalis Eccleſia pertinet, propter contumaces contentiones aliquas invitatos fuiſſe: ſed de Tranſalpinis regionibus quibus decreta privilegia ſervari debent, tale quid pro Preſbyterorum & Diaconorum appellatione, à Sede Apoſtolica præceptum fuiſſe non legimus. De Eccleſiaſticis nihilominùs privilegiis, in Epiſtolis beati Gregorii legimus ad Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum: Veſtra fraternitas, inquit, hoc poſtpoſitâ dubitatione retineat, quia ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua jura ſervamus, nec cuilibet favente Chriſti gratiâ ultrâ quàm meretur impertior; nec ulli hoc quod ſui juris eſt ambitu ſtimulante derogabo, ſed fratres meos honorare per omnia cupio, ſicque ſtudeo in honorem eos ſubvehi, dummodo non ſit quod alteri jure ab altero poſſit opponi. Et alibi idem hinc dicit: Quod verò dicitis veſtris temporibus debere ſervari, quæ à meis quoque deceſſoribus tradita atque cuſtodita ſunt: abſit hoc à me ut ſtatuta majorum & Conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam, quia mihi injuriam facio, ſi fratrum meorum jura perturbo.

Tandem hinc præter antiquas regularum ac legum conſtitutiones, in promptu habemus ſynodalia capitula Apoſtolicorum Eugenii, anno Imperii decimo tertio domni & genitoris noſtri Hludovvici, & anno decimo Imperii Hlotarii fratris noſtri menſe Novembrio, atque Leonis quarto anno, Hlotharii trigeſimo ſeptimo, & Hludovvici nepotis noſtri anno quinto, menſe Decembrio decreta, quibus præcipiunt, ut ſi quiſpiam Sacerdotum, id eſt, Epiſcopus, Preſbyter, Diaconus, vel etiam Subdiaconus de quacumque fœmina crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primam ſecundamque & tertiam commonitionem Metropolitani vel alterius Epiſcopi, aut ejus (cui ſubjacere videtur) inveniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo converſari, canonicè judicetur. Quapropter unuſquiſque Epiſcopus in tali re ſtudiosè ac diligenter curam habere debet, ne Eccleſia Chriſti à propriis poſſit ſordidari Miniſtris: quia cùm propriam uxorem habere non permittitur, maximè ab omni fœmina ſit abſtinendum. Et item: Sacerdos etenim, aut quivis alius in ordinem eccleſiaſticum provectus, ſi in eo

ſcelere

scelere inveniatur quo abjiciendus existat, depositus providentiâ Episcopi, bene proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, & ulteriùs non committat, Sic & magnus Leo Papa longè ante hanc constitutionem auctoritate sacræ Scripturæ ad Hilarium Narbonensem decrevit, ut Presbyteri, vel Diaconi lapsi, ad promerendum misericordiam Dei, privatam expetant secessionem, ubi illis satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Cùm hæc ita se habeant, non est perfunctoriè attendendum vestræ Pontificali auctoritati, & nostræ Imperiali potestati, quid prædecessores nostri de servandis sacris legibus, & sanctis regulis decernentes constituerunt; ex quorum pluralitate pauca numero, non pauca pondere hîc censuimus ponere. De legibus namque Valentinianus, Theodosius & Arcadius decreverunt, dicentes; Perpensas serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones nec ignorare quemquam nec dissimulare permittimus. Interpretatio. Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Et sanctus Cælestinus paria de sacris Canonibus dicit: Nulli, inquiens, sacerdoti liceat Canones ignorare, nec cuiquam facere quod Patrum regulis possit obviare: quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentiâ populi permissâ, frangatur? Quia, ut Hilarus Papa dicit, non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur, cùm expectatio fructus nostri ministerii non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponatur animarum. Et item: De legibus præfati Augusti omnia constituta non præteritis calumniam faciunt, sed futuris regulam imponunt. Interpretatio. Omnes leges non ea quæ anteriore tempore facta sunt damnant, sed in futurum observanda constituunt.

Et hinc Symmachus Papa: Cum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites sacerdotium, quemadmodùm priorum statuta à sequentibus convenit violari? Huc accedit quod hæc si eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur,

nisi universa quæ à Domini sacerdotibus semel regulariter statuuntur perpetua sint : quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quantâ enim Vicarius beatissimi Petri Apostoli judicabitur esse reverentiâ, si quæ in Sacerdotio præcipiunt, ea iisdem transeuntibus dissolvantur ? Hæc igitur servemus nostris temporibus tantò gratiùs, quantò & Ecclesiæ & Imperio erit capacius, & servando quæ legaliter ac regulariter gesta sunt, rata esse faciamus quæ legaliter ac regulariter gesserimus.

Suggerendum etiam vestræ summæ auctoritati necessarium credimus, ut de quorumdam Episcoporum coërcenda inconsideratione alios, decreto generali instruentes, cautos efficiatis; ut quorum debent esse matura & perpensa judicia, non sint præcipites in proferendis sententiis, nec facilè ac indiscretè, neque aliter, nisi juxta sanctarum scripturarum tramitem traditionemque majorum, & pro evidentibus culpis quemcumque à communione corporis & sanguinis Domini Dei nostri Jesu Christi, in quibus post unicum baptismum præcipuè humanæ salutis reconciliatio & summa consistit, pro suis injuriis, vel animi sui motibus ac iracundia seperent: Quoniam ira Sacerdotis, ut sanctus dicit Gregorius, nequaquam debet esse præceps & pertubata, sed magis ex consilii gravitate metuenda; nec debent temerè indiscussa judicare, nec passim dicta sine probatione credere, sed auctoris nostri facta pensare, cui cùm omnia nuda & aperta, mala tamen Sodomæ noluit antè judicare, sicut sacra docet historia, quàm probare; nos instruens, ne mala hominum antè præsumamus credere quàm probare.

Sequuntur autem in proferenda sententia judiciali sanctorum Romanæ Sedis Pontificum documenta Leonis atque Gregorii. Beatissimo Petro, inquit Leo, à Christo dicitur, *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustrà uni commendatur

quod omnibus intimetur : Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergò Petri Privilegium, ubicumque fertur ex ipsius æquitate judicium ; nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil ligatum, nihil est solutum, (nisi quod beatus Petrus aut ligarit aut solverit.) Hinc certa consideratione datur intelligi, quia in judicando non est Petri privilegium, ubi non ex ipsius fertur æquitate judicium : est igitur prædicium non judicium, quia non jure dictum, id est, non justitiæ lege prolatum. Et sanctus Gregorius, Sæpè agitur, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat, cùm suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur; unde fit ut ipse ac ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorum moribus exercet ; judicare enim dignè de subditis nequeunt, qui in subjectorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Unde rectè per Prophetam dicitur : Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat ; & non victurum vivificare nititur, qui reū supplicio absolvere conatur. Causæ ergò pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas.

Qui beatissimus doctor Spiritu sancto repletus passim in dictis suis ostendit, quoniam Episcopus qui in ligando & solvendo interim non arbitrium sequitur judicis, ipse ligandi & solvendi potestate, quin & regno Dei se privat, si maledictionem alligationis non judicio justitiæ, sed livore vindictæ depromit : Paulo attestante qui dicit, Neque maledicti regnum Dei possidebunt. Quia verò sacra Scriptura duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, & aliud quod damnat : aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ : sancti viri cùm in excommunicationis alligatione maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc voto lividæ ultionis, sed justitiæ examine erumpunt : intus enim subtile judicium Dei adspiciunt : mala foras exurgentia, quia maledicto alligandæ excommunicationis ferire debeant, cognoscunt ; & ideo in alligationis ac excommunicationis

maledicto non peccant, quòd ab interno judicio non discordant. Contrà excommunicationis maledictum livore vindictæ depromptum voce Pauli prædicantis, admonemur, qui ait: Benedicite & nolite maledicere, quia neque maledicti regnũ Dei possidebunt; nam si à quolibet fortasse non ex malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis verbum jaculatur in proximum, apud districtum judicem, à quo de otioso verbo ratio in die judicii poscitur, damnabilis est ille sermo, qui malitia non caret, & pœnalis est ille qui ab utilitatis bonitate vacat, pensandum est magnoperè, quanta adnimadversione plectenda est ab Episcopo, cujus sermo semper sale, id est, sapientiâ conditus esse percipitur, jaculata in proximum injustæ alligationis excommunicatio, quæ potiùs vacanda est maledictio.

Sequantur itaque sanctæ Ecclesiæ rectores, quorum dorsa mentium incudes sunt hominum peccatorum, dicente Psalmistâ, suprà dorsum meum fabricaverunt peccatores, in separatione à communione & reconciliatione Sacramentorum Christi sacrum Nicænum Concilium, & Africæ Provinciæ Canones; Siricii quoque & Innocentii atque Leonis decreta, atque Epistolam ipsius Leonis ad Theodorum Forojulienſem Episcopum; sed & quem de Ecclesiastico ordine clarescentibus gravioribus culpis gradu privaverint, communione corporis & sanguinis Christi, ut Canones præfixerũt, non privent. Hæc est enim, Scriptura dicente, directa via ut recti ambulent in ea, nec stulti errent per eam. De injustè siquidem excommunicantibus, vel excommunicatis, quid etiam lex Justinianea decernat, vestram sapientiam latere non potest.

APOLOGIA GERBERTI pro Synodo Remensi.

Wolfredo Argentinæ Civitatis Episcopo Gerbertus Salutem.

BENE concepta meliúsque retenta casta societas sanctaque amicitia quantorum sint causæ bonorum docti noverunt, indocti sæpè stupuerunt: Et quia horum bonorum

causa bonum est, & quod exinde gignitur bonum esse necesse est. Unde enim familiæ, unde urbes & regna, nisi societate & amicitia stabiliuntur? Quidnam aliud ad heremi devia mortales attraxit, nisi ad Deum societas? Mundus ipse contrariâ sui potentiâ aliter dissidens, aliter concliatur amicè: corporeum hominis incorporeo eadem copula nectit. Quæ cuncta bona à maximo bono, id est, Deo, & magno bono societatis & amicitiæ, æterna lege sui conditoris ordinem servant. Hoc igitur amicitiarum bonum tam præclarum tamque jucundum, meo quidem judicio propter se, non ut quibusdam videtur, propter aliud expetendum est. Ut enim Seneca ait in Moralibus.

Sapiens etsi contentus est se, tamen habere amicum vult, si nihil aliud, ut exerceat amicitiam, nec tam magna virtus jacent; non ad hoc quod dicebat Epicurus, ut habeat qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula conjecto, vel inopi, sed ut habeat aliquem cui ipse ægro assideat, quem ipse circumventum hostili custodia liberet. Hæc generositas, hæc animi vestri prudentia subtiliùs intellexisse visa est cum me remotum, vixque solo nomine cognitum fidi interpretis dulci alloquio recreastis: mea vel commoda vel incommoda exponi vobis curastis: eoque præstanti officio palàm feciſtis, cui & quanto Helvetia pareat Sacerdoti. Deponam igitur apud tanti judicis aures moderni temporis malorum materiam, quidve inter dissidentes conveniat, quidve in controversia sit: ut toto genere causæ cognito, judicium diligens haberi possit, cui parti faveat æquitas.

Arnulphus regis Hlotharii, ut fama est, filius, postquam suum Episcopum dolo & fraude circumventum, cum propria urbe captivavit, post multum cruorem humani sanguinis a se effusi, post prædas & incendia, in conventu Episcoporum totius Galliæ damnatus est, ac deinde post obitum beatæ memoriæ Adalberonis à solo Adalberone Episcopo Laudunensi reconciliatus, spe obtinendæ pacis Metropoli Remorum donatus est, acceptis ab eo terribilibus sacramentis & libellari professione, pro fide suis regibus conservanda, quam & viva voce in conventu Ecclesiæ recitavit, & propria manu subscribendo corroboravit. Necdum à suâ ordinatione sextus mensis elapsus erat, & ecce quasi tempestas, urbem ab eo pro-

ditam hostis invasit, sanctuarium Dei polluit, spolia diripuit, clerum & populum captivavit: Posthæc verò Arnulphus suos prædones sub anathemate posuit, atque ut idem facerent, Galliarum Episcopis imperavit: prædia Ecclesiæ, quæ per sacramentum suis militibus dederat, abstulit, hostibus contulit, conjuratorum manum contrà suum regem ejusque exercitum in aciem sub signis Karoli produxit. Intereà legatis, & literis Synodicis Romanus Pontifex, ut Ecclesiæ turbatæ subveniat, ammonetur: Sed neque legatis, neque literis consulentibus consulit. Itaque gravium Episcoporum facto consultu, legatis & literis Synodicis ac mitti ammonitione Arnulphus conventus decem & octo continuis mensibus ut à cœpto furore desisteret, seque à scelere proditionis & rebellionis quo impetebatur, regulariter purgaret, noluit. Sed cùm à se fautores maximos nequitiæ suæ discedere sensit, territus, regem adiit, noviſque sacramentis ac novis rerum cõditionibus regiæ mensæ particeps factus est. Atque ita irâ regis sedatâ, omni crimine se exutum credidit: indeque mox rediens fidem sacramentorum rupit, conditionibus non servatis. At ii quorum intererat, totiens bonis suis privari non ferentes, Lauduni arcem occupant. Arnulphus inter hostes regis invenitur. Synodo repræsentatur, pro tot tantisque flagitiis rationem reddere deposcitur. Qui diu secum atque cum suis familiaribus multùm deliberans, suâ sponte in confessionem peccatorum suorum erupit, suisque confessoribus alios testes adhibuit, crimina sua in libellum retulit, eique à se viva voce coram Ecclesia recitato subscripsit: insignia sacerdotii deposuit, eoque se abdicavit, confessoribus suis ac testibus attestantibus & respondentibus. *Secundùm professionem & subscriptionem tuam cessa ab officio.*

His de flagitiis & sceleribus Arnulphi satis inter partes convenit; sed defensorum studia bifariam se scindunt. Alii quippè regem sacerdoti Arnulpho omnium peccatorum veniam tribuisse dicunt, neque post veniam quicquam non veniabile commisisse: Alii Romano Pontifici injuriam factam videri volunt, quasi sine ejus auctoritate & sine suis juribus resumptis, deponi non debuerit. Ad hæc, Reverende, simili-

ter discutienda, quoniam res sub judiciali genere causarum posita, tum ratione, tum scripto tractatur, id est, constitutionibus conjecturali, diffinitiva, translativa, qualitativa, itemque legalibus statibus. Primùm mihi videtur breviter dicendum de ratione & veritate, consuetudine & lege, itemque de legũ differentia, & quæ quibus anteferantur, in Ecclesiasticis duntaxat causis. His enim præcognitis, facilius quæsita patebunt.

Planè, inquit Augustinus, *verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est: Sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Is item in libro de Baptismo inter cætera: *Quod etsi consuetudo Ecclesiæ pristina non habebat, & postea Catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit, ut quod per disputationes ejusmodi in aliquorum mentes irrepere cæperat, de salute veniens unitatis potentior veritas & universalis medicina sanaret.* Legem partim natura, partim authoritate firmari didicimus: & lex quidem naturæ manifesta est: quæ autem in auctoritate consistit, partim divina, partim habetur humana, & in divinis vel in humanis facienda vel non facienda præscribit. Post legem ergò naturæ, data est lex tum literæ, tum gratiæ: quæ utraque auctoritate divina subnixa, tanto est utraque præstantior, quanto divinitas humanitatem supervenit. Et quoniam legem literæ lex gratiæ transcendit, hæc eadem subtilis & multiplex, velut ab ipso divinitatis fonte emanans, ab Apostolo accepta, tum à primæ sedis Pontificum decretis, tum ab innumerabilium sacerdotum Conciliis dilucidata, & quasi per quosdam purissimos rivulos penè in infinitũ derivata. In hac itaque lege summoperè, ut diximus, auctoritas spectanda est. Multùm enim interest, utrùm Deus loquatur, an homo: & si homo utrùm Apostolus, an simpliciter Episcopus. Porrò in Episcopis item multa differentia est; quæ differentia eadem auctoritate fulcitur. Hanc autem auctoritatem aut numerus, aut scientia, aut locus, ut quibusdam videtur, attribuit. Et numerus quidem, in Conciliis, ubi multorum Catholicorum assensus, id est, scientia in particularibus vel in divinis superveniens: Locus verò in maximis consideratur urbibus. Rursùm numerus, scientia & locus, tùm à se, tum inter se differunt. Et numerus

quidem à numero, vel pluralitate, vel rationis vel veritatis pondere superatur. Pluralitate, cum inter æquè bonos & doctos, pars à parte dissentit: rationis & veritatis pondere, ut Arminensis numero famosa Synodus à parvo Episcoporum numero cassata. Idem in numerosis ad individua. Itemque locorum ad alia & inter se collationem perspici licet. Sit ergò in legibus maximum & præcipuum, quod per Christum, per Apostolos, perque prophetas innotuit. Deinde his consona & consensu omnium Catholicorum corroborata secundum in legibus vigorem obtineant. Tertio succedant loco quæcunque à singularibus viris scientiâ & eloquentiâ clarissimis in lucem intelligentiæ prolata sunt. Et ne fortè ad placitum loqui videar, injuriamque decretis Pontificum Romanæ inferre Ecclesiæ, Gelasium Romanæ sedis Pontificem sententiæ meæ primum afferam testem. Hic quippe in catalogo divinorum librorum, authenticis præmissis scripturis, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem quoque Synodum subjungit, ita subinferens: *Et si qua concilia à Sanctis Patribus instituta, post horum quatuor auctoritatem & recipienda & custodienda decrevimus.* Deinde ab universalibus ad specialia seu individua transitum fecit, atque adjunxit: *Item opuscula atque tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo à sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt, sed ipsius communionis per gratiam Dei usque ad ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legenda decernimus.* Deinde qualiter ipsius sedis decreta accipienda sint, hoc modo distinguit: *Item Decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum consolatione dederunt, venerabiliter suscipiendas.* Et sic nominatim quædam specialia determinās legenda, solertissimè ac discretissimè tam de epistolis quam de specialibus opusculis quid foret sentiendum, expressit: Sed cum hoc, inquit, ad catholicorum manus advenerit, beati Apostoli præcedat sententia: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Hinc legum differentiam etiam Hincmarus Remorum venerabilis Antistes nepoti suo. Æquivoco scribens ita interpretatus est: *Animadvertenda igitur est discretio ex verbis beati Gelasii inter Synodalia concilia & apostolico-*

apostolicorum virorum epistolas, quas ante concilia celebrata diversis temporibus pro diversorum patrum consolatione dederunt, quasque venerabiliter suscipiendas dicunt. Si qua sunt autem Concilia à sanctis Patribus instituta, post quatuor Conciliorum auctoritatem, custodienda & observanda decrevit. Unde item in decretis suis idem dicit: *Patres*, inquit, *nostri catholici doctique Pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundùm scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in hac eadem causa denuò quæ præfixa fuerant, retractari quælibet recenti præsumptione permiserunt. Quantum enim distet inter illa scilicet Concilia, quæ custodienda & recipienda decrevit, & inconvulsa firmaque deinceps patres Catholici manere voluerunt, & illas epistolas quæ diversis temporibus pro diversorum consolatione datæ fuerunt, quas venerabiliter suscipiendas dicunt, nemo in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus ignorat. Si enim quædam ex his, quæ in quibusdam illis epistolis continentur, tenere & custodire velle inceperimus, adversùs ea quæ antea servare voluimus, faciemus: & conciliis sacris, quæ perpetuo nobis recipienda, tenenda, custodienda, atque sequenda sunt, deviabimus. Sed & à consuetudine quam Catholica Ecclesia habuit, ex quo in sacrum Nicænum Concilium Patres nostri convenerunt, qui adhuc, sicut Leo dicit, nobiscum in suis constitutionibus vivunt, pernicioſissimè discedemus, & nihil certi tenentes, in sectam Genethliacorum, id est, Mathematicorum offendemus, qui diffinierunt omnia in incertum. Nam & beatus Gelasius eadem epistolas non solùm sacris canonibus in quibusdam adversas, sed etiam sibi ipsi diversas ostendit, cum dicit illas diversis temporibus pro diversorum consolatione datas. Et hinc fortè adversùm me dices: ergo calumniaris Apostolicam sedem in sanctis ejus Pontificibus, eo quòd malè senserint, & non tenenda decreverint. Unde tibi respondebo, quod de lege non Iudaïcè servanda contradicentibus sibi & dicentibus, Lex ergo adversùs promissa Dei, Respondet Apostolus, absit: Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum & bonum, sed personis & temporibus suis congrua quæ propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui repromiserat Deus, ordinata per angelos in*

manu mediatoris. Et illas epistolas sanctorum & Apostolicorum virorum, diversis temporibus pro diversorum consolatione, sicut Gelasius dicit, à sede Apostolica datas & per eosdem Domini sacerdotes, qui & Angeli secundùm scripturam appellantur, ordinatas cum beato Gelasio Apostolico viro venerabiliter suscipiendas dico, quæ suis temporibus congruentes fuerunt, donec per sacra concilia Patres nostri in unum convenientes, sicut ejusdem Apostolicæ sedis Pontifices protestantur, suggerente sibimet sancto Spiritu, quoniam aliter credendum non est, mansuras usque in finem seculi leges condiderunt. Et sicut dicit de lege Apostolus: Si enim esset quæ posset vivificare, verè ex lege esset Justitia: ita, salvâ reverentiâ sedis Apostolicæ, dico, quia si illa quæ in eisdem epistolis continentur & suis temporibus congrua fuerunt, subsequentibus temporibus, ita ut in eis temporibus continentur, omnia & simul custodiri valerent, & servari ac teneri congruerent, Patres nostri catholici doctique Pontifices in consiliis sacris leges mansuras usque in seculi finem non conderent. Suscipiendas igitur illas epistolas venerabiliter cum beato Gelasio dico, & cum leguntur, sicut ipse præcepit Gelasius, Apostolica illa præcedat sententia, quæ dicit, Omnia probate, quod bonum est tenete. Et hæc dico, non ut in eis dicam quædam non esse bona, sed non per omnia sacris Canonibus Patrumque Conciliis consona. Sicut & Apostolus dicit: Lex quidem bona & sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum, sed in temporibus suis. Item idem Hincmarus de sacrarum legum differentia loquens, inter cætera sic dicit: *Quædam denique, sicut in eisdem epistolis ab Apostolis tradita leguntur, vel ex legibus Romanis assumpta inveniuntur, ita plenariorum Conciliorum auctoritate firmata servantur; & quædam ex his in Conciliis immutata fuerunt.* Sed & quædam de his quæ in regionalibus fuere statuta Conciliis, plenariorum Conciliorum immutata auctoritate, vel in posterum irrefragabiliter conservanda tenentur, sicut catholici Doctores & Ecclesiæ magistri demonstrant, & partim ex eorum dictis supra ostendi. Et præter ea quæ de verbis beati Augustini in hoc opusculo posui, in libris de Baptismo dicit, Primum quidem ostendens differentiam esse inter epistolare colloquium, quo istæ epistolæ Apostolicorum, de quibus agitur, conditæ sunt, & regionale ac plenarium concilium: *Video,* inquit, *quid adhuc à me possit inquiri, videlicet ut respondeam*

verisimilibus illis rationibus quibus vel antè Agrippinus, vel ipse Cyprianus, vel illi qui eis in Africa consenserunt, vel si fortè aliqui ex transmarinis terris longè diseretis, nullo quidem sive plenario, sive saltem regionali concilio, sed epistolari colloquio commoti sunt, ut esse faciendum putarent, quod & sic consuetudo Ecclesiæ pristina non habebat, & postea catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit, ut quod per disputationes ejusmodi in aliquorum mentes irrepere cœperat, de salute venicns unitatis, potentior veritas & universalis medicina sanaret. Item differentiam inter regionalia & plenaria Concilia ostendit hoc modo: *Nobis*, inquiens, *tutum est in ea non protrahi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico religionali Concilio cepta, nullo plenario terminata sunt. Id autem securum est sententiâ vocis asserere, quæ in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris Iesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Item differentiam ostendit inter authenticas scripturas & regionalia & plenaria concilia; item inter priora & posteriora concilia: *Quis*, inquit, *nesciat sanctam scripturam catholicam tam veteris quam novi testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari vel disceptari non possit, utrùm verum, vel utrùm rectum sit quicquid in ea scriptum esse constiterit? Episcoporum autem literas quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem autoritatem doctorumque prudentiam & per Concilia licere reprehendi, si quid fortè in eis deviatum est; & ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ superbiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum Christiana?*

Et item: *Quapropter illud unum isti considerent, quod omnibus patet, si auctoritas Cypriani consequenda est, magis eam sequendam in unitate conservanda, quam in Ecclesiæ consuetudine com-*

mutanda. Si autem Concilium ejus attendimus, huic esse universæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum, cujus se membrum esse gaudebat, & ut se in totius corporis compage retinenda cæteri imitarentur, sæpiùs ammonebat. Nam & concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & universum partibus semper optimo jure præponitur. Cyprianus enim sanctæ Ecclesiæ catholicæ universitas non fuit, sed in ejus universitate permansit, cujus radicem nunquam deseruit, sed in cujus radice fœcundus, ut esset fœcundior, ab agricola cœlesti purgatus est.

Hæc de aliis Conciliis à beato Augustino sunt dicta.

Cæterùm de sacra & mystica Nicæna Synodo sicut supra ex verbis Leonis & aliorum ostendi, nihil unquam à quoquam vel Apostolicæ sedis Pontifice, vel à plenario Concilio minimè autem à regionali est immutatum, quod non penitùs sit irritum. Sicut & Gelasius in decretis suis dicit: *Non, inquiens, nos latet in tempestate persecutionis Arrianæ plurimos Pontifices de exiliis pace reddita respirantes, per certas provincias congregatis secum fratribus Ecclesias turbatas composuisse: non tamen ut illius Synodi Nicæna quicquid de fide & communione catholica diffinierat, immutarent, nec nova quemquam pro lapsu damnatione percellerent: Sed illius decreti tenore, nisi resipuisset, judicarent damnatum, esset que consequens, ut nisi corrigeret, damnationi proculdubio subjaceret.* Item hinc Hincmarus ad eundem: *Repetam tibi quod de sacris Conciliis ad Januarium dicit beatus Augustinus: Omnia itaque talia quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri causæ possint quas in eis constitutis hominesfecuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quæ verba beati Augustini quomodò placeant tibi tu videris: Exiguitati autem meæ tutius & salubrius videtur cum illo sacra sequi concilia, & omnibus qui me audire voluerint, inculcare, non sequi, relictis sacris conciliis, illa quæ existimat resecanda, quàm illa quæ resecata & dissecata proponis sectanda, quoniam sibi ipsis diversa, ostendunt se non posse esse in omnibus servanda atque sequenda. Oportet igitur*, inquit Innocentius ad Decentium Eugubinum Episcopum, *eos qui sunt Domini sacerdotes hoc se-*

qui quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Quid sit autem quod Ecclesia Romana custodit, & Domini sacerdotes oporteat sequi, demonstrat Gelasius, *Confidimus*, inquiens, *quod nullus jam Christianus veraciter ignoret uniuscujusque Synodi institutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere quam primam, quæ unamquanque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet. Ecce habes secundum legem & Evangelium plenitudinem testium testificantium de sequendis inconvulse Conciliis, & de non studendis peregrinis assertionibus, Apostolo etiam præcipiente: Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Peregrinas autem eas assertiones ideo cum Innocentio dico, quia ex quo sacra concilia in Ecclesia Catholica celebrari cœperunt, illa quæ suo tempore parum viguerunt, in quantum ex eis sacra concilia assumenda viderunt, ab usu Ecclesiastico effluxerunt, usque quo nuper à te quantum ex te est, recrudescere cœperunt, ut ad ea quæ aspiras libenter transire possis, in affectum cordis licenter, & à nullo coerceri vel judicari valeas regulariter: Sed non sentiunt tecum neque tibi consentiunt Doctores & magistri Ecclesiæ.* Hæc quidem Hincmarus. Porro Nicena Synodus quem locum obtineat in divinis legibus quibusve nitatur testibus, breviter audi. Leo Papa ad Anatholium: *Illa*, inquit, *Nicænorum Canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio, nulla unquam est parte solubilis: nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre: cum tanta divinitùs privilegia Nicæna sit Synodus consecuta, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit vacuum quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum.* De cujus privilegio & beatus Ambrosius dicit: *Non humana industria, non compositione aliqua trecenti decem & octo Episcopi ad Concilium convenerunt, sed ut in numero eorum per signum suæ passionis & nominis Dominus Iesus suo probaret se*

ndesse Concilio. Crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est Sacerdotibus.

Et mihi, inquit Hilarius, *ipse ille numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum, ab eo qui etiam in sacerdotii est forma, benedicitur.*

Et idem beatus Leo Papa: *Sancti illi & venerabiles Patres qui in urbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt: & adhuc in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, & si quid usque aliter quam illi statuerunt præsumitur, sine cunctatione cassatur.*

Et hinc sanctus Leo ad Pulcheriam Augustam: *Contra statuta*, inquit, *Canonum paternorum quæ ante longissima ætatis annos in urbe Nicæna in spiritalibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur, ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ si ut oportet à cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax, & firma concordia, nulla de mensura bonorum dissensiones, nulla de ordinationibus lites, nulla de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni usurpatione certamina, sed æquo jure charitatis, rationabilis morum officiorumque ordo servabitur: & ille verè erit magnus qui fuerit totius ambitionis alienus.*

Hæc de legum divinarum differentia, & quæ quibus anteferantur, breviter dicta sufficiant. Nunc quibus earum Arnulphus sacerdotio in æternum dejectus sit, expediendum est; Prius de peccatorum generibus, de judiciis, déque ordine judiciario paucis præmissis.

Sunt igitur peccata in Deum, sunt in hominem. Eorum autem peccatorum quædam sunt occulta, quædam manifesta.

Unde manifestum est judicia & judiciorum ordinem juxta peccatorum distribui qualitatem. Hinc scriptum est. *Qui occultè peccat, occultè pœniteat: & qui publicè, publicè pœniteat.*

Hinc judiciarius ordo duplex: Unus de quo dicit Apostolus: *Si quis nominatur fornicator:* eam nominationem intelligi volens, ut dicit Augustinus in libro de pœnitentia, quæ sit in quemque, cum sententia ordine judiciario & cum integritate profertur. Noluit enim hominem ab homine judicari

ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potiùs ex lege Dei secundùm ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes: quia sæpe falsò in quemquam crimen nominatur.

Qui ordo judiciarius qualiter exequi debeat, beatus Gregorius in commonitorio ad Joannem defensorem euntem in Hispanias dicit: Videlicet ut alii sint accusatores & alii testes, deinde ut præsente accusato sub jurejurando dicatur testimonium scriptis alligatum, & accusatus respondendi & defendendi se locum habeat, & examinatio personarum accusantium ac testificantium regulariter fiat. Quem judiciarii ordinis modum etiam Dominus innuit, cum in resuscitatione puellæ in domo jacentis mortuæ, ac si in revelatione non omnibus causæ notæ, quosdam discipulorum suorum testes, sed & patrem & matrem puellæ secum adhibuit. Alter verò judiciarii ordinis modus est eorum quæ non sub paucorum notitia, quasi adhuc in cubiculo contecta, ut patrata credantur, testibus indigent, sed quasi jam extra portam civitatis, multa turba comitante elatus, ad multorum cognitionem delata esse noscuntur. De quo judiciarii ordinis modo dicit Apostolus, *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu tradere hujusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis.* Et paulò superiùs: *Ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Unde Ambrosius cognito opere pellendum peccantem fuisse de cœtu fraternitatis dicit. *Omnes enim crimen ejus sciebant:* In qua re neque testibus opus est, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. De patratore autem manifestorum etsi ad judicium adduci non potest, Bonifac. Papa ad VII. provincias decernens dicit de Maximo qui conventus devitabat, & adesse minimè volebat: *Nullus*, inquit, *dubitat quòd ita judicium nocens subterfugit, quemadmodùm ut absolvatur, qui est innocens, quærit.* Sed astuta cavillatio eorum qui versutias agendi credunt esse consilia nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfu-

gere judicium dilationibus putat. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata totiens constet absentia. Quòd si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Sic & Cœlestinus de Daniele Galliarum quondam Episcopo judicavit. Et quia nemo præposterè vel præproperè, scilicet non commonitus neque conventus, est judicandus, de conventione hujusmodi patratoris manifestorum criminum lex dicit : *Quicunque tribus auctoritatibus, judicis conventus, vel tribus edictis ad judicem fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est, quod causam extinguit, fuerit evocatus, & præsentiam suam apud eum judicem à quo ei denunciatum est, exhibere noluerit, adversùs eum quasi in contumacem judicari potest. Quin imo nec retractari per appellationem negotia possunt, quotiens in contumacem fuerit judicium.* Et hanc sententiam de tribus auctoritatibus conventis ex Evangelica veritate Cœlestinus ad Nestorium scribens, & Ephesina Synodus de eodem decernens, & beatus Gregorius ad Joan. scribens comprobant.

De peremptorio autem scripto Africanum Concilium monstrat de Cresconio, ut si conventus resipiscere detrectaverit, suo contemptu & contumacia faciente, auctoritate judiciaria protinùs excludatur. Et idem Concilium de sacerdotibus qui conspirant, & suis plebibus incubant, & ad Concilium venire detrectant, sua fortè ne prodantur flagitia metuentes, hoc statuit, ut non tantùm diœceses non retineant, verùm etiam de propria Ecclesia quæ illis malè faverit, omnimodo adnitendum, ut etiam autoritate publica rejiciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris removeantur, & etiam propriis publica careant autoritate ut rebelles.

Animadvertit prudentia sacerdotalis, Arnulphi peccata non inter occulta, sed inter manifesta computari : Episcopos quoque Galliarum novas leges in Arnulphum non condidisse, sed legum conditarum diligentes executores fuisse : & quia legibus parere noluerit, lege peremptoria, id est, Episcoporum totius Galliæ literis conventus, suo contemptu & contumacia faciente, auctoritate judiciaria à sua Ecclesia exclusus,

cluſus ſit : & ut vox ejus audiri non poſſit, contemptus & contumacia unius anni efficit.

Neque verò objici poteſt, aut eum extra ſuam provinciam evocatum, quaſi ad externa concilia, quò teſtes producere difficile ſibi fuerit, cum obſides & ſacramenta oblata ſibi abunde fuerint: aut extra provinciam dijudicatum ab his qui ejus cauſam ignorarent. Sed neque primati Romano injuriam illatam cum per XVIII. menſes literis & legatis commonitus reſpondere noluerit. Non enim ejus ſilentium, aut diſſimulatio, vel nova conſtitutio, jam conſtitutis præjudicat legibus. Sed ô improborum hominum aſtuta cavillatio. Deus dicit: *Peccantem fratrem uſque ad aures Eccleſiæ corripiendum & commonendum, monitaque non audientem habendum ſicut hæreticum & publicanum:* & Synodus Africana, *poteſtate principis coercendum, & ab Eccleſia expellendum:* & tu dicis, Arnulphum incendia, ſeditiones, traditiones, flagitia, captivitates, ſuorumque direptiones exercentem, ſuorum regum interitus moliëntem, patriam hoſtibus prodentem, divina humanaque jura contemnentem, nec communione debuiſſe privari, nec poteſtate principis abjici ſine Epiſcopi Romani juſſione, cum Apoſtolus dicat: *Quia princeps non ſine cauſa gladium portat, ſed ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Favete omnes qui regibus veſtris fidem promiſiſtis, promiſſamque ſervare vultis: qui clerum vobis commiſſum & populum, nec tradidiſtis, nec tradere diſponitis: vos, inquam, qui tantorum ſcelerum facta perhorreſcitis, favete his qui obediunt Deo jubenti: *Peccantem & Eccleſiam non obaudientem habendum ſicut ethnicum & publicanum:* Qui iterum dicit: *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi, qui tranſgredimini mandatum Dei ut traditionem veſtram ſtatuatis.* Iterum oro & deprecor favete his qui principi Apoſtolorum obtemperant dicenti: *Oportet Deo obedire magis quam hominibus:* & Apoſtolo concionanti: *Si quis vobis adnunciavit præter quod accepiſtis, etiam Angelus de cælo, anathema ſit.* Et Propheta his conſonat: *Væ* inquit, *his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum.* Et ne quis nos in invidiam adducat, quaſi privilegiis Romanæ Eccleſiæ derogantes, audiat Hieronymum dicentem. *Si auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe:* Quod

si persona major presbytero quæritur, ille sacerdos magnus Leo Papa accedat: *Non tenetur*, inquit, *Petri privilegium, ubi non ex ejus æquitate fertur judicium.* Sed esto, in non judicatis novum & ex æquitate Petri ponatur judicium, indeque ad Sedem Apostolicam tanquam ad divinum recurratur oraculum: At quid judicata, si judicanda exinde non informantur? aut quomodò mansuras in æternum leges trecenti decem & octo Patres constituerunt, si horum constituta ad unius libitum permutãtur aut perimuntur? Apiarius Presbyter ab Afris damnatus, à Romanis communioni restitutus est: Scribunt Africani Episcopi Cælestino Papæ, *contra Nicænam Synodum factum videri.* Aiunt calumniatores nostri summum Sacerdotem Arnulphum à summo sacerdote Romano debuisse tantùm dijudicari: Ait beatus Augustinus, *Si Cæcilianum totius Africæ Primatem ejus accusatores quæ in vita non potuerunt, post mortem convincant à sacrorum proditoribus voluminum ordinatum, vel ipsum proditorem fuisse, etiam post mortem sine retractatione se ei anathema dicturum.* Licuit ergo Episcopis Galliarum viventi Arnulpho confesso & convicto, ut ethnico & publicano dixisse anathema: licuit, inquam, sequi Evangel. Apostolos, Proph. sacra concilia, vivorum Apostolorum decreta, ab his quatuor non discordantia semper in usu habita, semper habenda. *Si oculus tuus*, inquit Christus, *scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Et Apost. *Corde creditur ad Justitiam, &c.* Et item: *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur.* Et Synodus Nicæna: *Si qui sine examinatione promoti sunt Presbyteri aut Episcopi, vel cum discuteretur, confessi sunt quod peccaverunt, vel si ab aliis evincatur, & confitentibus contra Canonem homines commoti manus eis imposuerunt, tales canon non suscipit sed abjicit.* Hoc enim quod irreprehensibile est defendit catholica Ecclesia. Confessus ergo Arnulph. est sua sponte se contra suam professionem & subscriptionem suis regibus factam, venisse: Confessus est ea quæ sui novêre confessores, & hoc post indultam sibi vitam, membra, supplicia; postquam impositum sibi anathema ab Episcopis ne quid falsi de se proferret, dijudicavit semetipsum ut Judas, ut Achal, ut Achitofel: crimina sua in libellum retulit, ut Potamius Bracharensis Ecclesiæ Episco-

pus, & hoc juxta Sedis Apostolicæ traditionem, juxtaque sui facti qualitatem. Scribit Zosimus Papa Aurelio & provinciis septem inter alia dicens: *Lazarus dudum in Taurinensi Concilio gravissimorum Episcoporum sententiis pro calumniatore damnatur, cum Briccii innocentis Episcopi vitam falsis objectionibus appetisset, post vero indebitè ab eodem Proculo, qui inter cæteros in Synodo damnationi ejus assenserat, Sacerdotium consecutus est, à quo ipse vitæ suæ conscius, datis literis in abdicationem sui sponte submovit.* Et Joannes Papa de Contumelioso quodam Episcopo ad universos Episcopos per Gallias constitutos scribit: *Prædictum*, inquiens, *Contumeliosum Episcopum ut habeat pœnitendi licentiam, petitorium dare vobis censemus, ubi errorem suum evidenter allegans sub die profiteatur & Consule.* Et sanctus Gregorius ad Joannem primæ Justinianeæ Archiepiscopum. *Dilectissimus*, inquit, *lator præsentium Nemesion ad nos veniens indicavit, sicut & gestorum exemplaria quæ huc detulit, continebant, Paulum Diadinæ civitatis Episcopum:* & post pauca: *Etiam libellum in quo ea de quibus accusatus fuerat, vera esse confessus est, obtulisse.* Qua de re sententia Episcopali, illo depositio, se ejus loco cum fraternitatis vestræ consensu esse Episcopum ordinatum. De moderatione autem ac temperantia hujusmodi libelli Leo ad universos Episcopos per Campaniam & Samnium ac Picenum cæterasque provincias scribit, dicens: *Magna indignatione commovcor & multo dolore contristor, quod quosdam ex vobis comperi esse Apostolicæ traditionis oblitos, & studio erroris interritos.* Et post aliquanta, de pœnitentia quæ à fidelibus postulatur: *Nec de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur conscientia peccatorum, sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicari, removeatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli.*

Et beatus Gregorius, sicut in ejus epistolis multotiens invenitur, quia etiam pro infirmitate corporis, dato libello ab

Episcopatu se valeat Episcopus, si voluerit, removere, & in loco ejus alius subrogari, demonstrat; ut de pluribus unum ponamus de Joan. Archiepiscopo: *Si*, inquit ad Anatholium Diaconem, *idem reverendissimus Ioannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab Episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est.* Quòd si ex sententia Gregorii Episcopus corpore languens dato libello successorem accipere potest, quænam invidia est, si Arnulphus in anima Deo & Ecclesiæ defunctus, dato libello successorem ex Synodi sententia accepit? Sed fortè inquies, falsa de se dicit. Decernit Africanũ Concilium de illo Episcopo qui se Donatistis communicasse mentitus est, ut Episcopatum amittat, ejusque professioni & subscriptioni credi debere judicatum est, secundùm sententiam Synodi cui sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus sedis Apostolicæ vicarius, sicut in ipsius sedis invenitur epistolis, præsedit, docente Antiochena regula, *Perfectum esse Concilium ubi interfuerit Metropolitanus Antistes:* quod juxta Nicænos & aliorum Conciliorum Cànones Romanæ sedis auctoritate firmatos, & continua moderatione servatos, bis in anno omnibus semel Episcopis congregatis provinciæ celebrari, & in eis præcipiuntur singula, quæ fortasse emerserint, corrigi, quatenus, ut dicit Gregorius, *& præterita corrigantur, & regulam futura suscipiant:* Nec *illud* (inquit præfata Synodus plurimorum metropolitanorum cum suffraganeis suis cui præsedit Cæsarius) *Fratres, alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis quicunque sub ordinatione vel Diaconatus vel Presbyterii, seu Episcopatûs mortali crimine dixerint se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submovendos, reos scilicet tueri confessione vel mendacio falsitatis. Neque enim absolvi potest is qui in seipso dixerit mortis causam, qua dicta in alium puniretur: cum omnis qui sibi fuerit mortis causa, major homicida sit.* Domino dicente in Evangelio: *ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Et item: *Ex ore tuo te judico.* Et David Propheta ad eum etiam qui mendaciter se ait interfecisse Saül Christum Domini: *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversùm te.* Et Sanctus Gregorius ad Maximum Solitanum Episcopum de Andrea dixit, *quia flagitari judicium non debet*

de causa quam ipse judicavit. Si enim Arnulphus, ut tunc dixerunt Episcopi, de se verum confessus fuit, quòd pro reatibus suis ab officio & ministerio pontificali se reddidit alienum, criminosus : Si falsum, tanquam falsus contra semetipsum testis abjiciendus fuit : quoniam cum non liceat dicere contra proximum falsum testimonium, Domino dicente in Decalogo, quod & in Evangelio comprobat: *Non loqueris contra proximum falsum testimonium:* multò minùs contra semetipsum. Et sacri Canones & jam publicæ leges ad accusationem majoris natu neque ad testificationem contra eum criminosos admittunt, multò minùs ad gradum Ecclesiasticum accedere vel in gradu Ecclesiastico manere permittunt. Sicut Zozimus de Lazaro, qui in Taurinensi Concilio gravissimorum Episcoporum sententiâ pro calumniatore damnatus est, scribit. *Unde*, sicut Leo dicit ad Rusticum, *hujusmodi lapsis ad promerendum misericordiam Dei privata est expetenda successio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.*

Toletana porro Concilia pro legum robore proprias leges condentia Arnulphum spoliari proprio honore confessum vel convictum sine mora jusserunt, eumque usque ad diem mortis sine communione in perpetuo ergastulo retruserunt. Cælestinus autem Papa eundem totiens justè damnatum frustra in examen deductum demonstrat, sciens, ut ait Prosper contra Cassianum, *damnatis non examen judicii, sed solum sententiæ remedium esse præstandum:* ideoque Cælestinum quasi non discussi negotii audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi, adeo & prædecessorũ suorum statuta & decreta Synodalia inviolabiliter servare censebat, ut quod semel meruerat abscidi, nequaquam admitteret retractari. Monstratum est, ut arbitror, nullam Romano Pontifici jure factam videri posse injuriam, nec sine Romanorum Pontificum auctoritate Arnulphum damnatũ, nec suas legibus vires recipere debuisse. De quibus omnibus in Remensi Concilio plenius exposuimus.

Prior verò pars Arnulphi causam defendentium per seipsam infirma est, scilicet quòd reges Arnulpho peccatorum suorum veniam attribuerint, & quòd post nihil non veniabile commiserit : Sacerdotibus quippe animarum Pontificum, non

regibus commissum est. Neque verò ipsis Pontificibus ligandi & solvendi potestas ad placitum concessa est. Quem enim in peccatis mortuum Christus ad vitam erigit, Sacerdos absolvit: & quem proprius reatus implicat, Sacerdos ligat. Ostendit Christus hoc in Lazaro resuscitato. Ostendit Petrus in Simone Mago damnato. Jam verò aliter conantibus clamat Propheta: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Quod Gregorius exponens ait: *Sæpe in ligandis ac solvendis subditis, pastor suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit, ut ipsa hac ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus & non pro subjectorum moribus exercet. Unde rectè per Prophetam dicitur: Mortificabant animas, ut superiùs. Non morientem quippè mortificat, qui justum damnat: & non victurum mortificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur. Ac sæpè agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat.* Et Justiniani Catholici Imperatoris lex, quam probat & servat Ecclesia Catholica, cap. 441. decrevit, *ut nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem antequam causa probetur, propter quam Ecclesiastici Canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversùs ea excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: Is autem qui legitimè non excommunicavit, in tantum à sacra communione abstineat Episcopus, quantum majori Sacerdoti visum fuerit, ut id quod injustè fecit, ipse justè patiatur.* Et hinc sanctus Gregorius ad Joannem Episcopum injustè excommunicantem inter cætera scripsit, dicens: *Cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri Apostolorum Principis auctoritate decernimus in triginta dierum spatio sacra te communione privatum ab omnipotente Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia ac lachrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognoverimus implesse remissius, non tantùm injustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, juvante Domino, severiùs puniendam.* Et item alibi; *Quòd si contra hæc quæ statuimus quolibet tempore, qualibet occasione, vel surreptione venire tentaveris, sacra te communione privatum, nec eam te, excepto vitæ tuæ ultimo tempore, nisi cum concessa Romani Pontificis*

decernimus jussione recipere. Hæc enim consona Sanctis Patribus diffinitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire Canonibus nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus. Stultè ergo Arnulphus à regibus peccatorum absolutionem accepisse putatur, cum Episcopis tanto sui periculo concessum esse videatur. Illud quoque irrisione potiùs dignum quàm admiratione, quod post, eum nihil non veniabile commisisse edicunt. Cum enim scriptum sit: *Verba Sacerdotis aut vera, aut sacrilega*, quonam modo purgandus est, qui os suum postea perjurio polluit, qui sancrosancta sacrilegio prophanavit, eâ nimirum dexterâ, quam tot perjuriis addictam tot sceleribus implicitam à sacrosanctis & mysticis nunquam retraxit: quam impiis & damnatis à se & totius Galliæ Episcopis cum sacra Eucharistia osculandam præbens non erubuit.

Erudito antistiti satisfactum esse arbitror: Arnulphum jure videri damnatum, legibus Evangeliorum Apostolorum, Prophetarum, sacrorum Conciliorum, Decretorum quoque Romanæ Ecclesiæ præsulum, viris doctissimis atque eloquentissimis consona his sentientibus atque attestantibus. At nunc te convenio meaque tibi seria suggero, magne Dei sacerdos, ego parvus meritis non loco sacerdos: Ego ille *multùm terris jactatus & alto*, dum Philosophorum inventa persequor, dum gentes indisciplinatas fugio & non evado. Ego, inquam, qui magnæ urbis Remorum proditæ, captivi & spoliati populi pars non parva fui, ad te quasi ad tutissimum confugio portum. Ergo fluctuanti salutarem porrige manum, fessum alleva, paria, si fors dederit, repensurum. Nam & Amalechites recreatus Dux David factus est. Non aurum poscimus, non prædia requirimus: sola charitas est, quam interceptam reposcimus. Edax livor, cupiditas cæca, finistrorum ore disseminaverunt me alterius invasisse sedem, meo instinctu pastorem captum, accusatum, dejectum: quod ita non esse sacerdotalis dignitas Galliæ testis est: testes reges & proceres. Neque verò me importunum injecisse huic officio quisquam probare potest. Noverunt hoc, qui, me inscio, super hac re plurimùm elaboraverunt: noverunt fratres & coepiscopi mei, qui post Arnulphi dejectionem, sub divini nominis attestatione, hoc officium me suscipere coëgerunt. Cur ita factum

sit, si fortè requiras, nescire me fateor: fateor, inquam, me nescire cur egenus & exul, nec genere nec divitiis adjutus, multis locupletibus & nobilitate parentum conspicuis prælatus sit, nisi quod tui est muneris, bone Jesu, *qui de stercore erigis pauperem*, ut sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat. Tu omnium horum dator & distributor: tu pacis & charitatis autor: tu scis me Germaniam & Belgicam semper honorasse ut dominam, coluisse ut matrem: pro earum adversis palluisse, pro secundis, lætam mentem tulisse: & nunc quidem à te dulces affectus, quos perdidi, reposco: tuumque Antistitem Vvil. gratiæ indebitè amissæ reconciliatorem fieri oro, meæque interpretem innocentiæ coram præsulibus, coram rege suo, cui favendo, tempore regis Hlotarii, gladiis hostium addictus sum. Et nunc quidem mala pro bonis retribuuntur nobis ab his, quos pacis amatores, innocentium protectores, impiorum propugnatores existimabamus. Pressa jacet tyrannide omnis Ecclesia Gallorum, atqui non à Gallis, sed ab his sperabatur salus. Sed una salus hominis, ô Christe, tu es. Ipsa Roma omnium Ecclesiarum hactenùs habita mater, bonis maledicere, malis benedicere fertur, & quibus nec *Ave* dicendum est, communicare; tuamque legem zelantes damnare, abutens ligandi & solvendi potestate à te accepta: cum apud te non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur; nec possit hominis esse, impium justificare, justumque damnare.

Hæc sunt dulcissime frater, quæ rhetorum nugis complexus sum, amicitiarum pariendæ societatis, retinendæ benevolentiæ causâ, insuper vobis & vestris me meaque impensurus. Perinde vestrum diligens expecto judicium, cum in his, tum in Remensi Concilio à me utcumque interpretato. In quo opere res genusque dicendi doctis auribus si placuerint, erit mihi tutissima merces id effeciss, quod summis viris potuerit placuisse.

Quatuor hæc insignia monumenta notis fortè quibusdam illustrassem, nisi quæ in eis ad institutum conducunt meum, vel ipsa per se micarent satis, vel suo jam loco alias in dissertationis corpore fuissent observata.

FINIS.

1023941